






JOHANNIS CYPRIANI
S. Theolog. Licentiati, & in Academia Lipsiensi Professoris Physices Publici Ordinarii

HISTORIÆ ANIMALIUM

a

D. WOLFGANGO FRANZIO,
Theologo Witebergensi
olim scriptæ

CONTINUATIO

in

Commentario & Supplemento

Observationum ex recentiori Historia naturali, similitudinum, Emblematum, Hieroglyphicorum, ad usum Oratoriæ tum civilis tum Ecclesiasticæ.

Accedunt Indices necessarii, & inter eos Hodego-homileticus in gratiam Ministrorum Verbi & Theologiæ Studiosorum.

Cum Gratia & Privilegio Potentissimi Elect. Saxon.

LIPSIÆ & FRANCOFURTI,
Impensis MARTINI GABRIEL HÜBN[illegible]
Bibliopolæ Dresd. 1688.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. JOHANNI GEORGIO IV.

ELECTORATUS SAXONICI
HÆREDI,

Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Superioris item ac Inferioris Lusatiæ, Comiti Principali Hennebergico, Comiti Marcæ, Ravensbergi & Barbiæ, Dynastæ in Ravenstein &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Sereniſſime Princeps,

D. JOHANNES GEORGIUS I. Potentiſſimus Elector ac Dux Saxoniæ, Proavus Tuus, Hiſtoriam Animalium Sacram a Wolfgango Franzio, Theologo Witebergenſi ante hos ſeptuaginta quinque annos ſibi dicatam clementiſſime accepit. Eadem poſtea tam in his regionibus, quam exteris ſæpius edita, Nominis Glorioſiſſimi ſplendore oculos omnium perſtringens, exiſtimationem conſervavit ſuam. Ejus Operis Continuationem a me factam Tibi, DOMINE CLEMENTISSIME, humillime nunc conſecro. Proavus Tuus, cum jure imperii in has ditiones, virtutum ſuarum maximarum, Principe ſummo dignarum, radices ac ſemina

à Ma-

a Majoribus accepta, per Avum Tuum D. JOHANNEM GEORGIUM II. per Patrem Tuum DOMINUM JOHANNEM GEORGIUM III. Dominum meum clementissimum, in Te transmisit. Non ergo dubito fore, ut recordatio affectus & gratiæ, quam Proavus Tuus Franzii libro exhibuit, Tuam perinde gratiam erga Continuationem hanc excitet ac commoveat. Offero Calendis Januariis, quibus Reges Galliarum solent subditos suos qvoscunqve in conspectum suum admittere, & vota pro vita sua audire, strenas, quas quisque dare potest, recipere. Tu similiter, PRINCEPS OPTIME, pari devotione pro salute Tua apud Deum nunc orantem, non spernes, neque munusculum ferentem repudiabis. Nimirum non pretii magnitudine, quæ Vobis, PRINCIPES, nuncupant homines subjectissimi, æstimatis, sed bonas dantium mentes respicitis, ex

quibus valorem ipsi ponitis. In qu
bonitatem Dei, cujus in terra vices g
ritis, recte imitamini, qui pelles & c
prarum pilos acceptissimos habeba
pauperioris sortis hominibus ad t
bernaculi structuram collatos, du
ditiores aurum, argentum, lapid
pretiosos, byssum, purpuram, & co
cum, & hyacinthum darent. Ide
ab illis, in quorum facultatibus n
fuerunt sacrificia majora, accepit
bentissime turtures aut columb
Misceo me cætui eorum, qui T
CELSITUDINI desponsam jam
destinatam Virginem Regiam, S
PHIAM HEDWIGEM, Potentissi
Danorum Norvagorumqve Mon
chæ DN. CHRISTIANI V. Filia
submisissime gratulantur, atque S
premum Numen, a quo animoru
vestrorum propensio, & ista cons
sio voluntatum est, ardentissime co
precantur, ut optatissimam & T
fastig

fastigio decentissimam Conjugem amplectaris, & cum ea des Augustæ Electorali Domui ornamenta ac firmamenta, his regionibus præsidia. Cum quibus devotissimis civibus venientem, ut unum me repellas, non Tua permittit Pietas, non Clementia, non Lætitia ex mentione Charissimæ Sponsæ Tibi redintegrata, ex gaudio nostro aucta, quo exultare nos cernis ob bonum Tuum magnum & divinum, ob spem & prosperitatem nostram æque ac posterorum. Certe cum non temere, nec fortuito MAJORES TUI laudatissimi nati fuerint, sed in terram a Deo commodati venerint, ut divinæ destinationis munia implerent, quæ PATER POTENTISSIMUS adhuc conficit, ex tua indole, ac fortuna tua ævi futuri statum atqve commoda cogitatione præcipimus. Non repeto ex vetustioris ævi Annalibus, TUÆ SERENITATI bene cognitis,

 Majo-

Majores Tuos, pro temporum ratione aliqua inter cæteras animi virtutes adeo illuſtres, ut Bellicoſorum, Animoſorum, Conſtantium, Magnanimorum, Placidorum, Pacificorum, Sapientum, Juſtorum ſublimia cognomina jure meritoque gerant. Solorum Magnorum Principum ac Electorum, qui JOHANNIS GEORGII ſancto nomine his terris per Dei gratiam obtigerunt, ac ſibi ſucceſſerunt, vitæ resque geſtæ ſententiæ meæ fidem faciunt. Ad bellum tricennale Germaniæ funeſtum, quo diuturnius & pertinacius geſtum in omni hiſtoria non extat, ſuſtinendum fortiter, finiendum glorioſe, deſtinatus erat ætate & animo par, immo ſuperior DN. JOHANNES GEORGIUS I. MAGNUS, Proavus Tuus. Leoni illum aſſimilavero, cui inſcribam ex ſententiis Sapientiſſimi Regum: HOSTILES SUSTINET AC SUPERAT INCURSUS.

SUS. Pace Germaniæ tandem reddita, res bello turbatas reſtituere in florentiſſimum ſtatum nullus debuit alius, quam DN. JOHANNES GEORGIUS II. Avus Tuus, qui tranquillitatem Germanici Imperii iterum vacillantem conſilio & copiis ſuis ſuffulciret, Reges Septentrionales belligerantes reconciliaret, quietem ſuis civibus exoptatiſſimam conſervaret, ac inter hæc Pietatis, Sanctitatis, Religionis, Juſtitiæ, Benignitatis exemplar conſummatum exiſteret. PACIFICUM recte agnominant Principem, virtutes ejus alias maximas aut ſilentes, aut ſimul complexi. Equidem Aquilæ ſimilem fecero, quæ in ſublimia cœlorum evolans rectis oculis Solem intuetur, ad ima tamen, quæ in terris, eos etiam reflectit, addito Symbolo, quod Pietas Principi ſuggeſſit, ut ipſe ſibi faceret: SURSUM DEORSUM. Poſt exceſſum ejus immenſa ferorum

Turcarum,& immitium Tartarorum millia, Hungariam, Auſtriam,Sileſiam vaſtabant, Imperialem Vindobonenſem urbem obſidione circumdata urgebant, ut niſi mox ſubveniretur, occuparent, atque deinde more procellæ inundarent Germaniam. Cui calamitati maximæ depellendæ conſtitutus erat Magnanimus Parens DN. JOHANNES GEORGIUS III. Adproperabat ergo divino excitus impulſu cum copiis ſuis, &, prout in Belli conſilio, cum Potentiſſimo Polonorum Rege DN. JOHANNE III. qui auxiliarem pariter exercitum adduxerat, ac Sereniſſimo DN. CAROLO V. Principe Lotharingiæ, exercitus Cæſareani Supremo Duce, convenerat, primus adortus hoſtem truculentum profligavit, aditum ſubſidiariis cohortibus in urbem fecit, victoriamque adeo illam auſpicatus, ac una fortiter pugnantibus ſociis conſecutus eſt, a qua

for-

fortuna belli felicissime contra barbaros gesti, liberatio hominum Christianorum innumerorum ex intolerabili servitute, tot provinciarum atque regnorum ex immani tyrannide vindicatio, Orbis denique Christiani universi securitas à juratis & trucibus hostibus unice pendebat. Laudavit amorem Patriæ, ac fidem erga se Augustissimus Cæsar LEOPOLDUS. Extulerunt fortitudinem summam ac fortunam Rex Poloniæ, Princeps Lotharingiæ, milites omnes. Non displicebit Tibi, CLEMENTISSIME DOMINE, immortali laude dignissimum factum in meo isto libro sub elephanti emblemate productum & commendatum esse. Meministi enim, Dn. PARENTEM TUUM, Equitum ab Elephanto nominatorum Ordini ab Avo materno meritissimo suo adscriptum, cujus quidem initia à prostratis Saracenis ducuntur. Idem Heros incompara-

parabilis supereſt, ut, ſi induciæ intutiſſimæ in Germania cum bello commutentur, dignitatem ac Libertatem ejus armis tueatur, donec diffuſa in Orientis Occidentisque tractus, & quicquid Imperii Romano-Germanici meridiano aut ſeptentrione finitur, Pax Auguſta ab invaſionis metu immunis ſtabiliatur. Jam de TE, DOMINE SERENISSIME, tam ex præteritis, quam ex præſentibus omen fauſtum capimus in futurum. Quam primum ab ætate capax eras, cura Regiæ Matris Tuæ, Heroinæ laude mea ſuperioris, Dominæ Clementiſſimæ fuit, ut Tu FRATERQVE SERENISSIMUS Dn. FRIDERICUS AUGUSTUS pietatis honeſtatisque ſtudia, quibus Deus recte noſcitur, ſanctèque colitur, recta amantur, prava exſtirpantur, hauriretis, aliasque virtutes compararetis VOBIS, quibus Principes Orbis Terræ inter alios homines emi-

eminent. Si permittis mihi, Serenissime DOMINE, denuo ludendo verum exprimere, statuam ante oculos Concham margaritiferam cum duobus pulcherrimis succrescentibus unionibus, cui epigraphen addam: EDUCAT AD CORONAS. Itaque Lingvas Exoticas tenes, in historiarum monumentis frequenter versaris, ut, quicquid in Principibus, præcipue in antiquissimis Majoribus, quicquid virtutis in proavis atque avis tuis legis effulsisse, hoc ipse aliquando reddas, hoc exprimas. Ingenuas artes atque scientias cognitas habes, ut amare eas scias impense, juvareque eximie velis. In itineribus Tuis per florentissima Europæ regna factis, ex colloquiis cum summis Monarchis, ac prudentissimis sæculi viris, ex moribus hominum multorum, multarumque civitatum legibus ac consvetudinibus, ea didicisti, ea observasti, quæ ad utilitatem & salutem Reipubl. referas. Nunc artem pace belloque imperandi Te docet PATER MAGNANIMUS. Qvis autem hoc melius? quis excellentius? Matrimonium Tuum felicia, fausta ac salutaria omnia promittit nobis. Etenim ex Regio Danorum Sangvine ortas ac fœdere connubiali conjunctas DN.

AUGU-

AUGUSTO ANNAM, CHRISTIAN
III. filiam, Ataviam Tuam: DN. CHR
STIANO II. HEDWIGEM FRIDER
CO III. natam; DOMINO JOHANN
GEORGIO III. Annam Sophiam FR
DERICO III. progenitam, Matrem TU
AM, Dominam meam Clementissimam
benefica his Terris sidera quis non agno
scit, qvis non sentit, qvis non venera
tur? Inter Te & Fratrem Serenissimum
Tecum pariter virtutibus summis imbu
tum, indissolubilis est animorum consen
sio, amor maximus ac mutuus. Quare
gestis in amplexus ejus ruere, ubi Divin
benignitas ex peregrinationibus suis, quo
optamus unice, salvum incolumemque
reduxerit. Ex qvibus omnibus qvid tan
dem posteri magna spe a Te exspectent
Non nisi AUREAM ÆTATEM Tuo s
bi fore auspicio. Ad hanc igitur, Optim
Princeps, Deus velit Te annare, perennar


Lipsiæ Cal. Jan. 1688.

SERENISSIMÆ CELSITUDIN
VESTRÆ

devotissimus
Johannes Cyprianu
Professor Lipsiensis.

LECTO

LECTORI BENEVOLO
Salutem, Obſervantiam, Amorem!



Mnes fere, qui eruditorum hominum nomine comprehendimur, de librorum multitudine querimur; quotquot tamen ſcribimus, noſtros minime ſuperfluos ac otioſos opinamur. Equidem mihi arbitrium de aliis judicandi non arrogo: ſufficit, ſi mei inſtituti eas poſſim rationes proferre, quæ æquis judicibus approbentur. Non vetus ex veteribus quaſi novum deſcripſi volumen, ſed jam ante factum alibi continuavi, alibi emendavi. Effluxerunt jam ſeptuaginta anni & quinque amplius, ex quo D. Wolfgang Franzius SS. Theolog. D. & Profeſſor Witebergenſis, non ſolum de Academia, ſed de Eccleſia etiam orthodoxa ſcriptis plurimis luculenter meritus, Hiſtoriam Animalium Sacram edidit. Eam tam ab iis, quorum

)o(uſui

usui destinata erat, Studiosis Theologiæ & Ministris verbi, quam ab aliis historiam animalium in compendio discere, ac ex ea pietatem ac mores suos erudire cupidientibus, avide exceptam atqve expetitam fuisse, vel decies repetitæ impressiones, (nimirum anno 1612 1616. 1621. 1624. 1633. 1642. 1654. 1659. 1671. inter quas illa anno 1654. Belgica est Amstelodamensis) comprobant. Quam tantam animorum cupiditatem operis dignitas utilitasque excitavit, virorum doctissimorum commendationes auxerunt. Non commemorabo laudes ab iis dictas multas, qui religione aut gente propius Franzium attigerunt, cum peregrini, si quid in exteris extollunt, affectus aut studii causas censeantur procul habuisse. Audiamus igitur celebrem apud Ultrajectinos, non adeo ante multos annos adhuc viventem Theologum grandis ævi ac eruditionis, Doctorem Gisbertum Voetium, qui *in Selectarum Disputationum Theologicarum Parte prima pag. 719.* scripsit: *De anima-*

animalibus quamplurima quæruntur & referuntur ab auctoribus physicis, ab auctoribus admirandorum naturæ, inprimis ab Historicis naturalibus, Aristotele, Plinio, Æliano, Alberto, Vincentio Bellovacensi, Barthol. Anglico, superioris sæculi Plinio Gesnero, & Bellonio ac Rondeletio de piscibus, & postremo omnium tanquam Oceano, Ulysse Aldrovando. Compendium hic laudabili studio Studiosis Theologiæ paravit Wolf. Franzius lib. de Animalibus Sacræ Scripturæ. Addamus Antonii Deusingii, Medici ac Philosophi in Academia Groningensi judicium in Fasciculo Dissertationum Selectarum p. 633. *Magis ad scopum physicum collimat Franzius, prudenterque se illis accommodat, qui simplicitati ac veritati simul divinarum doctrinarum, quæ unice ad salutem & ædificationem pietatis intentæ sunt, sapientiam humanam miscentes, ac vulgari ea docendi ratione, ad captum plebejorum accommodata, usitatissima etiam Spiritui Sancto, non contenti exactissimam ubivis ἀκρίβειαν, eorum quoque quæ Philosophiæ propria sunt, in rebus fidei ac pietati inservientibus, requirunt.*

Enimvero non imus inficias ab eo tempore, quo sua in lucem protulit Franzius, partim experientiam optimam rerum Magistram, partim itinera terra mariqve facta sæpius, docuisse multo plura de animalibus, quædam etiam falsa hactenus credita detexisse. Nec ignoramus Samulem Bochartum, Cadomi in Gallia Philologum & Theologum, in admirabili Hierozoici opere anno 1663. Londini in Anglia impresso, Franco urti ad Mœnum utiliter recuso anno 1675. loca Scripturarum Sacrarum, in quibus animalium mentio multo accuratius ac exquisitius explicasse, ejusque compendium sine dispendio orsum esse, atque rectissime confecturum Joh. Henricum Majum Ecclesiæ Durlacensis Pastorem, & in Illustri Gymnasio Linguarum Orientalium Professorem. Quæ qui aut ip animadvertunt, aut ab aliis passim desiderari legunt, facile poterant fastidire impofterum librum utilissimum. Siquidem, ut ut alia desint, alia corri in eo debeant, habet nihilominus ips quas cæterorum nullus, meditation

ex animalium natura ac indole factas, quales ad pietatem ac virtutum optimarum ſtudium vehementer excitant, ad vitiorum turpiſſimorum fugam valide exſtimulant. Quamobrem cum diſtractis editionis ab a. 1671. exemplaribus, libellum adhuc emturi frequenter quærerent, atq; Bibliopola de nova impreſſione cogitaret, noluit rem aggredi ſine virorum doctorum conſilio, quod defectus Franzii paſſim in ſcriptis publicis notari inaudiiſſet. Illi vero omnino judicarunt, hiſtoriam animalium iſtam ita comparatam eſſe, ut noſtræ ætatis homines ſupplementum ejus aliquod non immerito deſiderare queant. Idem ſtatuerat conſultus Dn. Adamus Rechenberg SS. Theolog. Licentiatus, Hiſtoriarum ac Linguæ utriusqve Profeſſor Ordinarius in hac Academia, Collega & Amicus, mihi & honorandus & amandus, ſimulque meam operam requirendam cenſuerat. Atque is ipſe auxilium etiam Bibliopolæ ferens, mihi continuationem obtulit & perſvaſit. Suſcepi itaque in me laborem, neque alienum a mea profeſſione, quam in Academia exerceo, Philo-

 loſo.

losophiæ Naturalis, cujus pars non ultima eſt animalium hiſtoria, neque a ſtudiis meis cæteris ſacris, in quibus & mihi, & aliis diſcere volentibus, operor. Speraveramus initio additiones omnes poſſe ita breviter, ac cito abſolvi, ut cum Franzio mox impreſſæ uno volumine comprehenderentur. Sed dum ego elaborando occupor, rerum copiam ac varietatem mihi obvenire experior, nec tam arctę conſtringendam, nec deſtinato primum tempore expediendam. Unde, aut indicanda ſolum errata auctoris, & alia in animalibus recenter obſervata erant, nominatis Scriptoribus, ex quibus peterentur plura, morales etiam doctrinæ omnes omittendæ; aut, ut opus magis integrum prodiret, in duas partes debuit ſecari. Illud prius minime placuit facere, quod plerisqve, in quorum uſus augmentum fieret, libros illos comparandi aut evolvendi facultas non eſſet, aliis ſupellectile aliqua inſtructis, unum alterumve perlegendi in aliorum negotiorum multitudine tempus non ſuppeteret, atque hi

omnes

omnes vellent ſine dubio paulo copioſiorem tractationem, quam nimis abruptam, ac non valde ſibi utilem. Hoc ergo poſterius inſtitutum teneri, longe conſultius viſum fuit. Quare nunc prodit Continuationis Hiſtoriæ Animalium Franzianæ Tomus prior, Dilucidationem Quadrupedum complexus, alter hiſtoriam Avium, Piſcium, Serpentum, Inſectorum expoſiturus jam adfectus, pari induſtria conficietur, ac benevolente DEO, annuo tempore edetur. In utroque hoc agimus: *primo* falſo narrata notamus, eosque a quibus Auctor hauſit, nominamus: neque enim pius ac cordatus Theologus aliqua finxit, ſed ex hiſtoria, uti eo tempore erat, accepit. Oportet autem omnes in his, quæ ipſi experiri non poſſunt, aliorum fide niti, & nonnunquam decipi, cum & qui oculis ſuis propoſitas res habuerunt, aliquando ab opinionibus falſis ac erroribus non vacent. *Secundo* nomina Latina animantium græca, hebræa, aliarumque linguarum attulimus, eorumqve rationes dedimus, ubi utilitas ad rem præ-

sentem affulgebat. *Tertio* naturam & proprietates bestiarum descripsimus, facta appendice peculiari de Exoticis & vulgo ignoratis: *quarto* usus in sacrificiis, cibis, vestitu, aliisque, ac eis contrarii abusus multiplices recensiti sunt. In quibus non profanos solum tam veteres quam recentiores Zoographos, Anatomicos, Historicos, qui itinera sua per exteras regiones confecta literis prodiderunt, & alios optimos Auctores consuluimus, sed diligenter etiam adduximus in Sacris Scripturis de animalibus passim occurrentes sententias. Atque sic factum est, ut enucleaverimus integrum Bochartum resectis inutilibus, & in eum animadversiones ac additiones tam Maji quam nostras conjunxerimus. *Tandem* capitibus singulis suæ annexæ sunt morales doctrinæ in similitudinibus, emblematibusque, potissimum ex Picinelli Mundo symbolico, aliisque præstantissimis in eo genere libris conquisitæ, vel a nobis excogitatæ. Illum enim esse quoqve inter fines, quos sibi DEUS machinator constitutorque animalium habuit propositos, vel Titulus nostræ Continua-

tioni

tionis suis iconibus commonstrat. Commentarios ipsos, cùm ad verba Franzii adstringere debuerim, accidit mihi id quod iis evenire solet, qui antiquæ domui novas partes adstruendo, a ratione quam in animo rectam habent deflectere aliquando coguntur. Quo vero omnia in illa comprehensa inveniantur facilius, accesserunt Indices Locorum Scripturæ explicatorum, Rerum Memorabilium, Moralium doctrinarum, Auctorum & Librorum citatorum. Hodego Homileticus pariter promissus, cum se diffundat tam in Franzii, quam Continuationis contextum integrum, parti posteriori atque toti operi imponet colophonem. Interea, uti vicem ejus præstare possint Indices copiosi, ex speciminibus quibusdam, in extremo hujus Continuationis primæ propositis, cognoscere licebit. Faxit DEUS, ter Optimus ter Maximus, ut homines, sicut mente sua & corpore, ad immortalem illam ac perpetuam vitam facti, mutis præstant bestiis, quarum anima simul cum corpore occidit; ita actionibus virtutum & usu longe illas multumque superent

Dabam Lipsiæ d. 1. Januar. 1688.

Quæ Sylvæ, atque ſpecûs & loca culta fovent;
Sive inſecta etiam videas, formasque natantum,
Oceanus queis & quælibet unda ſcatet,
Cuncta docent non eſſe DEUM ſuper æthera tantum;
Cujus ea immenſâ ſint fabrefacta manu,
Sed tibi virtutes etiam vitioſaque monſtrant,
Illasque induere, hæc depoſuiſſe jubent;
Sed quoniam brutis non eſt vis ipſa docendi,
(Haud etenim poſſunt more hominum iſta loqui)
FRANZIADES, Plaviæ decus immortale Variſcæ,
Euſebiesque decus, Leucoris alma, tuæ,

In



Ad

LECTOREM

De

VVOLFGANGI FRANZII

Hiſtoria Animalium,

Jam

a

JOHANNE CYPRIANO

Prof. Phyſic. in Acad. Lipſ.

Collega & Compatre honoratisſimo, notis eruditiſſimis aucta atque illuſtrata.

SEu volucres vaſtum ſpectes
per inane volantes,
Veſtes queis plumas ſumma
Pronœa dedit,
Sive per extenſam diſperſa animantia terram,

Quæ

Inbrutis docuit, quid nos imitarier
æquum,
Quid fugiſſe etiam, ac poſthabuiſſe, ſiet,
Lumen & accendit ſanctis ſic
grande miniſtris,
Qui plebem indoctam publica
in æde docent.
Lumen at ecce! novum, Phyſeos
quod myſta ſtupendus
Nunc addit FRANZI Lipſica
in urbe libro:
Compatris ecce! inquam, CYPRIANI, augmenta verendi,
Qui Phyſicos veteres excutit, atque novos.
Inſpice, age, & confer, LECTOR,
cum lumine lumen;
Hesſperus en! alter, Phosphorus alter erit.

Prop. Lipſiæ

L. Joachimus Fellerus,
P. P. & Acad. Bibliothecarius.



INDEX

:rvet B. L. numeros paginarum
on designare eos, qui fronti unius-
paginæ, sed qui margini adscripti sunt, editio-
priori in formâ, quam vocant, duodecimâ,
Francofurti Anno 1671. impressæ re-
spondent.

INDEX PRIMUS
Capitum,
PART. I.

PART. II.
DE AVIBUS.

PART. III.
DE PISCIBUS.

PART. IV.
DE SERPENTIBUS.

PART. V.
DE INSECTIS.

CAP.

INDEX II.

ctorum Biblicorum, quæ in hôc libro allegantur & breviter explicantur.

Mich.

INDEX III.
Rerum Memorabilium.

A.

Asin

Clupea

Cuculus

I.

K.

L. Lac

L.

Q.

tes

Torpe-

Verbum

INDEX V.

NOMINUM PROPRIORUM,

A.

Arifto-

Cara-

Drus

I. *Jacobus*

I.

L.

M.

V.

X.

Z.

INDEX VI. & POSTREMUS.

Adagiorum, Symbolorum & Proverbiorum explicatorum.

R.


S.

T.

V.

W.

FINIS.



CUM DEO.

Historia Animalium Sacra D. Wolffg. Franzii

Continuata

à

JOHANNE CYPRIANO, S. Theolog. Licentiato & Philosophiæ Natural. Professore Lipsiensi.

PARS PRIMA.

CAPUT I. DE ARGUMENTO HUJUS TRACTATUS.

H*Istoria animalium brutorum*, 1 *ab aliqvibus non satis commodè dicitur* ζωογραφία] Post hanc admonitionem nihilominus de animalibus tractantes Joh. Sperling. *Zoologiam Physicam*, M. Aurel. Severinus *Zootomiam Democriteam*, Samuel Bochartus *Hierozoicon*, Gvalterus Charlethon *Onomasticon Zoicon* inscripsere. Nimirum τὸ ζῶον non generaliter acceperunt pro eo, cui ζωὴ sive vita est, qvalem plantis Aristoteles tribuit, qvas tamen ζῶα esse negavit

contra Platonem, sed specialissimè pro bestiis. Sic ipse Philosophus, qvi aliâs ζώων voce & homines & bestias comprehendit, *lib. 1. Polit. c. 8.* ait; *uti alimentorum species multæ sunt, ita & vitæ plures, καὶ τῶν ζώων, καὶ τῶν ἀνθρώπων, & animalium & hominum.*

2 *Qvod Brutum appellamus*] cum philosophis animal rationis expers aut etiam ἄφωνον indicantibus. Hoc enim sensu inter vitia sermonis numeravit *Vossius l. 1. c. 33. p. 144.* docens, Latinis significare, immobile, grave, obtusum, stultum. Unde callidum & brutum in ipsis bestiis opponit *Plinius l. 9. c. 29.* & *Scaliger in lib. 2. de histor. animal. sect. 133.* vocat Elephantum terrestrium omnium maximam belluam, sed non maximè brutam. Latinior vox est bestiarum apud *Ciceron. l. 5. Tuscul. qvæst. n. 38.* Græcorum nomina sunt Θὴρ vel Θηρίον, ἄλογον ζῶον. A θὴρ est Germanorum Thier / ex etymologiâ suâ feram notans, ex impositione Philosophorum animal generatim, non repugnante planè usu loqvendi, ex qvo solemus ein unvernünfftig Thier nominare, subindicantes aliud rationale. Qvare non est qvod plebeji indignentur, si nomine animalium vocentur à Philosophis. Ἄλογον nominatur qvod caret λόγῳ tum ἐνδιαθέτῳ tum προφορικῷ i. e. ratione & oratione. Posteriori respectu ἄφωνον dicitur. Ita qvæ ζῶα ἄλογα sunt 2. *Petr. II. 12. Interpres Æthiopicus* explicat, animalia, in qvibus non est sermo; brevius *Syrus & Arabs* vertunt, animantia muta. Ipse *Petrus* paulo post *v. 16.* asinam Bileami vocat ὑποζύγιον ἄφωνον jumentum mutum, non qvod omni voce, sed humana desti-

destituatur. Itidem Judæ *v. 10.* ἄλογα ζῶα vertit Latinus Interpres, muta animalia. Apud Latinos etiam scriptores optimos muta animantia, mutas bestias, pecudes sæpe legas. Muta & irrationabilia conjunxit *Lactantius lib. de Irâ DEI cap. 7.* In Sacro Codice בהמה Behema generaliter qvodvis brutum comprehendit, cum homini soli opponitur, uti Ps. XXXVI. 7. juxta *Bochart. Part. 1. Hieroz. lib. 1. cap. 2. & Geierum in Commentar.* Derivata ea vox à radice usitata Æthiopibus *baham*, aut Arabibus *abhamo* i. e. mutum esse, nescire loqvi; aut ita loqvi barbare, ut parum intersit inter bestiarum hominisqve vocem, affabre respondet Græcorum ἀλόγῳ & ἀφώνῳ. Unde Hebræis homo dicitur חיה מדברת *Chaja medabbærath* animal loqvens. Altera vox בעיר in sacro Codice pro omni bestiarum genere vix occurrit, ac *Ursinus in Miscellaneis Sacris p. 176.* inter Synonyma qvadrupedum reposuit. Non repugnat verò vocis significatio pro omni eo animanti sumi; qvod nullam rationem, juxta qvam agat, habet. Vid. Jes. XIX. 11. Jer. X. 21. *Confer Joh. Henrici Maji Animalium Historiam Part. I. lib. 1. cap. 6. p. 127.*

Physica qvæ est explicatio naturæ rerum dividitur in metaphysicam, mathematicam & physicam specialiter dictam.] Satius est illam amplam Physicæ acceptionem Stoicorum omitti, utpote in scholis nostris obsoletam, nec sufficienter ad mentem ipsorum hic explicatam.

Gen. II. 20. Adam ipse omnibus animalibus sua convenientia nomina imposuit] ut declararet tam dominationem suam in ea, qvàm sapientiam à 3

DEO ſibi datam. *Lutherus in Commentario hîc; Bochartus l. c. cap. 9. col. 54. Heidegger. Exercit. IV. Hiſtor. Patriarch. p. 148. Majus l. c. p. 116.*

Noah convenientia pabula ipſis proponere jubetur] Dubitatur, qvomodo carnivoras animantes paverit? Reſpondetur; feræ carnivoræ, uti divino imperio congregatæ in arcam venerunt, ita & frugibus alioqve parabili victu contentæ vixerunt. *Auguſtin. l. 15. de Civit. DEi c. 27. Bochart. P. 1. lib. 1. c. 2. col. 10. Heidegger. Hiſtor. Patriarch. Exercit. 17. p. 516. Majus Hiſtor. Animal. l. 1. c. 2. p. 28.*

Jacobus Patriarcha phyſico ſtrategemate efficit] de qvo infra hâc parte *cap. 22. p. 265*

Ana in deſerto invenit mulos] redit & hoc *cap. 29. p. 342.*

Salomon dicitur eſſe locutus de animalibus.] Si etiam aut ſcripſit ipſe, aut alius ab eo dicta literis conſignavit, qvod vulgo putant, liber absqve detrimento Canonis periit. *vid. Waltheri Officin. Bibl. p. 1185. Hottinger. Theſaur. Philolog. p. 532.* Combuſtum unâ cnm cæteris Salomonis voluminibus phyſicis, medicis & magicis ab Ezechiâ Rege *Anaſtaſius Nicenus* ex Euſebio retulit apud *Caſpar. Sanctium in IV. Reg. cap. XVIII. v. 4. & Helmontius in Tractatu de virtute magnâ verbor. & rerum p. 756.* Volunt id admonitu Prophetæ factum, ne ſcilicet populus in atheiſmum & gentilitatis futilitates pronus, nimio affectuum ſtupore deflexus, DEi Iſrael oblivisceretur. In incendio Templi & Urbis Hieroſolymorum à Chaldæis facto unâ cum reliqvis libris ſacris deflagraſſe vult cum aliis *Sextus Senenſis Biblioth. S. lib. 2. voce Salomo.* Qvam opinionem qvo-

ad

ad libros Canonicos repudiat *Gerhard Exegesi Loc.1. de Script. S. n. 112.* Tractasse in libris suis physicis res naturales Salomonem iconologicè, i. e. addendo cuilibet speciei plantarum & bestiarum qvandam parabolam scripsit *Josephus Antiqvit. Jud. l. 8. c. 2.* qvod si in sacro textu aut saltim in versione LXX. Interpretum exstaret, elegans simul esset pro methodo Franzii testimonium. Magna sane fuit ad Salomonem per occlusas fores, oculos, ingressa scientia rerum naturalium, sive eam fuisse putes habitum infusum, qvem innuere videtur Auctor libri Sapientiæ *c. VI. 17. seqq.* sive capacitatem & promptitudinem ingenii ad capiendum res distinctè & clarè. Nam eâ innumeros alios hominum vicit. Adamo etiam præferunt Judæi *(vide Raschi & Kimchi ad 1. Reg. IV. 34.)* ex Christianis *Abulensis in Commentar. ad l. c. & Schotanus Tom. II. Biblioth. Histor. Sacr. p. 764.* â qvibus dissentiunt *Salianus in Annal. V. T. Tom. III. ad an. M. 3022. f. 392. seqq. Sanctius h. l. & alii ab eodem citati. Confer Geier. ad Ecclesiast. I. 16.* Conspurcant hæc more suo fabulis superstitiosis Judæi, cum *in Targum Scheni Esther (fol. 234. seqq. Tripl. Targum. Hanov.)* nugantur, intellexisse Salomonem verba volucrum, pecorum, dæmonum, & hos vicissim Salomoni intellectos. Vino exhilaratum eundem Regem inter convivandum, ad ostendendam magnificentiam suam peregrinis Principibus unà accumbentibus, citasse literis pecora campi, & volucres cæli, & reptilia terræ, & dæmones, & spiritus & striges; citatos venisse omnes sponte atqve saltasse. Natam fabellam ex antiqvorum traditione, qvâ auguriorum peritus Rex Salomo cre-

debatur suspicatur D. *Joh. Benedict. Carpzovius Noster in Programmate de Sapientiâ Salomonis an. 1673.* Nes minus ad extollendam partim Salomonis sapientiam, partim gentis suæ dignitatem confictum est ab iisdem, qvod ex *Schevile Æmunah narrant R. Moses Iserles in Toras haolah part. 1. cap. XI. & R. Abraham Zachus in Juchasin fol. 257. col 2.* Aristotelem ab Alexandro M. sub potestatem suam redactis Hierosolymis Bibliothecæ Salomonis præfectum, scripta qvæ inveniret sapientissimi Regum, suo nomine edidisse admixtis ad plagium occultandū pessimis opinionibus, de mundi æternitate, aliisq;.

Alexander M. Aristoteli donavit 80. talenta] i. e. ex supputatione Budæi aureos nostri temporis qvadringentos & octoginta mille. *vid. Athenæum l. 9. Deipnosoph. p. 398. Plin. l. 8. c. 16.* Patrem Alexandri Philippū jam immensas opes suppeditasse eidem Philosopho ad exseqvendum id opus, tradidit *Ælian. var. Histor. l. 4. c. 19.* Etsi autem eximia sit animalium historia ab Aristotele conscripta, tamen in ea multa, qvæ hodie cognita sunt, desiderari, qvædam ex auditione relata incerta aut falsa prorsus esse, nemo diffitebitur. Laudem nihilominus studii in tanta rerum varietate & difficultate summi apud posteritatem, non acerbiores sententias meruit latas *â Deipnosophistâ Ulpiano apud Athen. l. 8. p. 552. & Olao Borrichio in Hermeticâ Ægyptior. & Chemicor. Sapientia c. X. num. 2. p. 241.* Non dubium est, multa suppleri & emendari posse, si pro libris, qvibus complexus est historiam animalium decem superstitibus, haberemus qvinqvaginta *Plinio l. c.* aut etiam LXX. *Antigono Carystio cap. 66.* numeratos. Intercidisse

cidiſſe itaqve multos neceſſe eſt, qvos ne *Laertius* qvidem ipſe recenſet inter Philoſophi opera *lib. 5. p. 120. cum vix XXX.* & unum ejus argumenti refe- rat. *Confer Philip. Jacobi Mauſſaci Prolegomena in Ariſtotelis Hiſtor. de Animalibus cum Scaligeri Commentariis editam.* Poſt Ariſtotelem inter veteres nominandi *Plinius & Solinus*, uterqve epitomator, ille, in hiſtoria maximè animalium, Ariſtotelis, hic ex toto Plinii; uterqve erudite emaculatus & explicatus *à Claudio Salmaſio in Exercitationibus Plinianis & nuperrimè à Joanne Harduino Societatis Jeſu in Interpretatione & Notis ad Plinii Naturalem Hiſtoriam.* Porrò *Ælianus*, cujus libri XVII. de animalibus manum medicam, qvalis ejusdem Hiſtoriæ variæ contigit, exſpectant; *Phile* in verſibus Jambicis de Animalium proprietate. Ex Philoſophis ſæculi XIII. *Albertus M. in libris XXVI. de animalibus.* Illis qvamplurima addidit, aliqva melius edoctus, mutavit ſuperiori ſæculo *Conrad Geſnerus*, Plinius Germanorum merito appellatus, *in libris duobus de qvadrupedibus ſcilicet Viviparis & Oviparis, tertio de Avibus, qvarto de Piſcibus & Aqvatilibus.* Librum qvintum ex Schedis & Collectaneis ipſius compoſuit *Jacob Carronus Francofurtenſis*, cui, qvantum ad Inſecta adjicitur Libellus de Scorpione ex relicto itidem Geſneri faſciculo per *Caſparum Wolfium Medicum Tigurinnm* digeſtus. Majores *Geſnero* ſumtus pertinaciusqve ſtudium, ex qvo ſenex cæcus fuit, impendit *Ulyſſes Aldrovandus Bononienſis Philoſophus & Medicus, Auctor voluminum multifariâ* eruditione vaſtorum *de Qvadrupedibus, de Avibus, de Piſcibus, de Animalibus Exſangvibus,*

de Serpentibus & Draconibus, de Insectis. Utriusqve laudatissimi Zoographi *Gesneri ac Aldrovandi* compendium qvoddam *Caspar. Schvenckfeldii Medici Hirschbergensis in Silesiâ, Theriothropheum Silesiæ, ac Johannis Jonstoni celeberrimi itidem Silesiorum Medici ac Polyhistoris libri de Animalibus exhibent.* Uterqve, qvæ magnam librorum partem in Gesnero ac Aldrovando implent, philologica, historica, moralia resecuit, nisi qvod Schvenckfeldius methodum Gesneri alphabetariam tenuit, Jonstonus Aldrovandi concinnius cohærentem secutus est, ac insuper observationes novas adjecit. Alios, qvi partem de animalium historiâ illustrarunt, vel veteres vel recentes, Anglos, Gallos, Belgas, Italos, Germanos, ubi commodum erit, laudabimus.

4 *Ad differendum*] dum vel animantium naturas, differentias, proprietates admirabiles commemoramus, vel ab iisdem etiam similitudines petimus ut animos hominum, qvi propositâ nudâ rerum varietate non facile moventur aucupio qvodam delectemus, doceamus, flectamus. Qvam rationem dicendi sacris profanisqve scriptoribus antiqvissimis passim usurpatam legimus. vid. *Causin. de Eloqventiâ Sacrâ & Humanâ l. 4 c. 54.* Ex Patribus Ecclesiæ Christianæ institutionem morum â brutis peculiariter tradiderunt *Basilius & Ambrosius Meditationibus ad Hexaemeron, Epiphanius in Physiologo;* Inter Monachos sub finem sæculi decimi *Hugo de S. Victore* in libris tribus Bestiarii nomen vulgò ferentibus. Auctores qvi inter similitudines â variis rebus petitas, ab animalibus itidem sumserunt, *Anshelmum, Joannem de S. Geminiano sive Sangemianum,* alios

qvo-

[ve]torum farraginem vel impressorum vel manu exa-atorum à Monachis Bibliotheca Academiæ Nostræ 'aulina habet, referre nunc nihil attinet. Recen-iores etiam, ex qvibus proficiemus, diligenter de-nde adscribemus.

Virgilius tribuit Africæ cervos l. 4. Æneid.] v. 54. & ante l. 1. v. 88. 89. *Oppianus* etiam Lybicos cer-'os laudavit *l. 2. Cyneget v. 259.* qvos tamen *Herodot.* . *4. Melpom. p. 286. Aristot. l. 8. hist. anim. c. 33. Pli-ius l. 8. c. 33.* Africæ negant. Inde varias excusandi 'irgilium rationes excogitarunt viri docti. Ast)alechampius pro Virgilio contra Plinium suum :ntit. Hodie abundare cervis eam regionem nar-ant *Atlas Major de Abyssinorum Regno, Aldrovand.* *'e Qvadruped. Bisulcis l. 1. c. 27. p. 322.*

Alibi (in Georg.) Italiæ tribuit onagros] l. 3. scil. . 409. Ajunt qvidã Critici ea non Italis tantùm, sed umano generi scripta esse. *vid. Taubman. ad h. l.*

Ad Explicationem Sacrorum Auctorum] in vibus tam freqvens occurrit animalium mentio, t qvi ea loca sola aut omnia, aut aliqva commen-triis illustrare selegerunt, libros integros scripse-nt, *M. Herman Heinrych Frey Pastor in civitate* *nperiali Schweinfurtensi* Θηριοβιβλία, *Joannes ustamantius Camerensis* de Reptilibus animanti-us sacræ Scripturæ, *Samuel Bochartus* Hierozoicon, :x qvo Nomenclatorem animalium Biblicorum xcerptum inseruit Miscellaneis sacris & Philologi-*Joh. Heinricus Ursinus p. 97.*) ac nuperrimè *Joh.* *'enr. Majus* Animalium Historiam sacram.

Prodest historia animalium ad laudem DEI mnipotentis.]

6 Uti omnes res creatæ, ita & incredibiles animantium varietates, admirabiles ſtructuræ, actionum ſtupendæ ſolertiæ, irefutabilia argumenta præbent contra gentiles & atheos, ipſa non extitiſſe absqve origine, aut â cauſa fortuita olim tam non eſſe orta, qvam hodie nullum canem, aſinum, eqvum aut aliam talem beſtiam ſuapte ſponte aut forte ê terra proſilire compertum eſt, ſed omnino primum, qvi hæc & talia fecerit eſſe divinum artificem in operis his ſuis hominum generi manifeſtatum. Hinc omnipotentiam DEi, ſapientiamqve ſummam cognoſcimus, de bonitate gaudemus, qvi nobis ſolis inter adſpectabilia opera mente inſtructis ad vitæ noſtræ multiplicem uſum ſubjectas beſtias habemus, rapimurqve in venerationem ac cultum ſupremi benificentiſſimiqve Factoris. *vid. Rom. I. 19. 20. Gen. I. 24. Job. XII. 7. 8. 9. Jerem. XXVII. 5. Eccleſiaſt. III. 14. Actor. XVII. 24. ſeqq.* Confer *Hal* **vom erſten Anfang des menſchlichen Geſchlechts** *p. 944. ſeqq. Samuel Parcker de DEo & Providentia divina Diſputat. V.* Scite *Proſper. Aqvitanicus* judicavit, Pinacothecam eſſe hanc rerum univerſitatem in qvâ ſummus Rex ac opifex DEus ſuas collocavit ſtatuas, qvibus publicatur. Illorum nulli, licet elingvi, dicendum eſt, loqvere ut te videam, ut olim diſcipulo Socrates ajebat. Habent enim ſi intelligantur lingvam ſuam, ait *S. Auguſtin* in Pſ. XV qvâ ſuum conditorem celebrant. Pie *Bernhard* exclamat *in Pſalm. qvi habitat Serm. 14.* Qvanta largitus es ad ſuſtentationem, qvanta ad eruditionem.

CAP. II.

E DEFINITIONE ANIMA-
LIS IRRATIONALIS.

Iperfecta animalia loco sangvinis habent pingvem 9
r cruentam qvandam humiditatem, qvæ est ana-
a sangvini] liqvor ille albidus, in Exangvibus
gò appellatis animantibus, ichor seu sanies ob si-
litudinem vocatur nomine proprio carens. Ast
b. Conrad. Peyerus in Commentario de Ruminan-
us l. 1. c. 1. pag. 3. putat, sangvinem inesse omni-
; qvantæcunqve subtilitatis animalibus. Neqve
m Sangvinis essentiam præcisè consistere in pur-
:â, neqve rubrum colorem illi ita hærere, ut ab-
ıhi neqveat, qvin potius generaliter sangvinem
i debere omnem humorem, qvi viventium corde
arteriis & venis ad restaurandam vitam naturâ
ıtinetur.

Pisces non habent ossa, sed loco ossium spinam]
ces ovipari loco ossium spinam gerunt, qvæ est
ısi os tergi in qvadrupedibus; vivipari ossa habent
dia inter spinam & cartilaginem. Delphinus,
æna, & alia cetacea, qvæ animal pariunt, ossi-
; gaudent. Serpentum qvoqve ossa spinaceæ
:uræ esse videntur, præterqvam magnorum, qvo-
n robur validiora fulcra exigit.

In insectis aliqvid intermedium apparet inter
'nem & nervum] Insectorum qvædam fere tota
ıllia sunt, ut Lumbrici, qvædam dura, veluti ve-
e toto corpore fere, duritie tali, ut osse carnosio-
, carne ossatiora sint, ne facile eorum corpus di-
li possit, ceu loqvitur *Aristotel. l. 2. de Partib.*
im. c. 8.

Aves

Aves loco aurium habent meatus auditori nocturnæ aves auritæ sunt habentqve ad region aurium plumeos apices.

Loco dentium habent rostrum osseum] A Granivoræ dentibus carent. Herbivoræ, qvales seres & cygni rostrum dentatum qvodammodo ctæ sunt ad evellendum facilius herbas. Carni ræ rostro gaudent & acuto & superiore parte pro xiore atqve adunco, ut non modò ipsum in carne infigere, verùm avellere qvoqve ex eâ frusta valea

Vitulus marinus non habet aures, sed tant cavernas auditorias] Idem de reliqvis Cetaceis i telligi debet. Attamen in vitulo marino tam ma festas videre non potuit *Gassendus*, qvam *Aristote* indicavit. Branchiæ piscium reliqvorum ad ea dem regionem in alium usum comparatæ, an ad a ditum etiam conferant, dubitatur, neqve tam observantur in ipsis alii audiendi meatus.

Loco digitorum habent pedes priores] Pedu tanta est varietas, ut ab eâ nobiles differentiæ anim lium petantur. Digitatis & majusculis qvadru dibus sunt in anterioribus pedibus fere qvini digi in posterioribus qvaterni: parvulis qvibusdam etia qvini, utuntur ipsa plerumqve anterioribus pedib instar manuum, Solidipeda potius posteriorib Avibus qvaterni sunt in utroqve pede digiti, tres a tici, posticus unus (præter calcar in unico pe Gallo celebre.) Ungves etiam habent animalia, q bus distincti digiti ac dearticulati, non habent, q bus digiti indistincti, ut elephas. Hominum ung sunt plani, avium pene teretes, aqvilæ & aliis rapa bus adunci, alaudæ recti. vid. *Scalig. in lib.3. animal. c. 9. sect. 119.*

Pisces & Serpentes non habent membra genera-nis] declaratio petenda est *ex Part III. cap. 1. n. I. p. 651. & Part. IV. cap. 1. p. 772.*

Loco capitis Polypi habent alveum] Polypus e est acephalus ob caput indiscretum ab alveo. sangvia Mollia illud habent inter pedes, ac in eis-n & cochleis excrementorum meatus ad eandem ionem cum capite spectat.

Multa aculeo suo externo, fungoso & cavo simul lant, ut cibum attrahant, ut muscæ & apes &c.] boscis muscæ, apis & consimilium veluti spon-sa in extremo est, ut succum exugat, conditum- habet ceu vaginâ qvâdam aculeum bifidum lticuspidemqve, ut eo evibrato in cutem anima-sangvinem exprimat, qvi applicato interim spon-so extremo sugatur. Præter hunc apes, vespæ qve qvadripennia gestant aculeum in extremâ o subtilem ac longiusculum, cujus vibratione am veneni aliqvid ex sitâ ad radicem vesiculâ in-lant.

Pisces carent pulmonibus] at loco pulmonum e branchias, qvibus respirent, ipse *Franzius* habet rt. *III. cap. 1. p. 655.* Album qvoddam velut o-rculum basi cordis cohærens in piscibus speciem lmonis reputari posse vult *Gassendus*. Pisces oqve Testacei ac Crustacei, qvamvis exangves, anchiis numerosis ac largis donati sunt, qvœ in ollibus itidem observantur. Amphibia, ranæ, lypus, vitulus marinus, uti corde biventri (uni-ntre enim est pulmone carentibus) ita & pulmo-bus sunt instructa. Insecta terrestria, Bombyces, spas, Apes, Cicadas, locustas, gryllos abundare pulmo-

pulmonibus demonstrat *Malpighius in Dissertatio-ne de Bombyce pag. 28.* Hominum & qvadruped pulmones in extimâ superficie sunt ubiqve clausi volucribus perforati.

Pisces carent collo] itidem Gulâ, (i. e. ven culo aut intestino proximè aperto) nisi qvod brev sima in oblongis, veluti anguillis conspicitur. *V de magna aut nihil habent fellis*] Carent hoc aliq sangvinea, ut Solidipeda, Eqvus, asinus, mulus, Bisulcis, Cervus & Dama. Omnes aves piscesqve h bent, sed in piscibus intestino potius qvam jec hæret.

11 *Multa valent cornibus*] Qvædam gerunt; a cornu unum, in fronte monoceros, in nare rhin ceros; aut gemina, uti Bisulca, eaqve vel lævia, rugosa, vel ramosa, vel concava, vel solida, vari qve modo inflexa, arcuata, sinuosa. Cervis ram sa sua & solida cuti magis qvam ossi hærent; un & decidua sunt. Confer *Aristot. l. 3. hist. an. c. 9. se 117. Nieremberg hist. nat. l. 7. c. 2.* Solipeda plera cornibus carent. Veluti Cornua sunt antennæ m biles in crustaceis papilionibusqve, qvas limac etiam emittunt & reducunt, ut nullæ videantur vide Franz. p. 28. Non tam cornua qvam brachia motum comparata esse in Limacibus & Turbina marinis contendit Philippus Bonannus de Anim libus Testaceis Part. III. Problem. XXIII. pag. *Mobiles fecit natura aures in animalibus, ut ex pe petuo motu melius possint imbibere sonos*] Hunc fine non omnino esse verum monuit *Günther. Christop Schelhammer libro de Auditu Part. II. cap. 2. p. 17* ubi alias ejus mobilitatis rationes attulit.

Ca

Cum non erecta incedant, sicut erectus homo vi- percipit imminentia pericula] an erecta hominis gura tantopere deprædicata *ab Aristot. lib. de Re- irat. c. 13. & Ovidio lib. 1. Metam.* sit ex naturæ vel EI instituto, an ex educatione & consvetudine otius, ambiguum suum discipulum Alexandrum linqvit *Julius Cæsar Vaninus Dialogo XXXVII. de dmirandis Naturæ Reginæ deæq; mortalium arca- is p. 233. sq.* Ad qvem refutandum facient, qvæ *assendus* differit *Phys. Sect. III. l. 1. c. 1. p. 194 & l. 2. 5. pag. 530.* Georgius Rollenhagen in Veracibus Iendaciis seu warhafften Lügen de Spiritualibus & Iaturalibus Rebus cap. 16. concedit hominem re- um incedere qvadrupedibus comparatum, negat lum hoc privilegio gaudere, cum omne avium enus similiter capita versus cœlum erecta gerat. lura de hac controversia habet *Thomas Brown Iedicus Anglus in Pseudodoxia Epidemica l. 4. c. 1.*

Multa animalia habent qvidem dentes &c.] d varios, serratos, planos, exertos, alteri tantum axillæ concessos. Qvadrupedes viviparæ denta- sunt omnes. In animantibus herbivoris aut anivoris dentes molares sunt instar molarum mplanati, ut cibos conterant, qvemadmodum in ve & eqvo. In Voracibus sicut in Leone sunt periores & acuti, ut carnes dilacerent potius, am conterant. Pisces magnâ ex parte dentes ma- llæ infixos gerunt. Utriqve Lingvæ Lateri iidem hærescunt in truttis, qvanqvam non tam cibis nterendis, qvam prædæ arripiendæ inservire pu- ntur. In multis piscibus alias dentium series ven- culum respicientes impedire ne pisces vivi de- glutiti

glutiti se agitando regredi possint, docet *Stephan. Lorenzini Ephemer. Natur. Curios. Dec. I. An. II p. 571.* Gammari tribus dentibus in ventriculi osti alimenta comminuunt. Mollia dentes binos i ore habent. Insectorum pauca dentibus instrui no tavit *Aristot. l. 4. hist. an. c. 6. sect. 218.*

12 *Cancri cum magnam habeant varietatem vi scerum*] voluit dicere intestinum cancrorum sim plex cum stomacho contiguum pari semper crassi tudine in caudam terminari. Atqve hinc est, quo si cannula subtilis ex stramine blande admoveatu extremitati Intestini, & fortiter insuffletur aër Gammarus inspirati aëris impulsu evomat, qvicqvi ciborum ventriculo continet. Vid. *Philipp. Jacob Sachs à Lewenheimb Gammarologiam p. 225.* Con troversia, an Cancri natent, an solum gradiantur *ibidem excussa p. 216.* hoc loco minus commodè tra ctabitur. Notare potius placet, Astaci, Cancri Gammari, Sqyillæ & aliorum crustaceorum retro natatilium partes & viscera respectu aliorum an malium aut inversa aut opposita videri. Nam he par, stomachus, uterus supra, cor infra, scil. im dorso contiguum collocatur. *vid. Willis de Anim. Brutor. Part. I. cap. 3.*

Sunt multa, qvibus non est unicus ventriculus ventriculus numero unicus est in homine & besti utramqve maxillam dentatam habentibus. In Avi bus Granivoris, Gallinis, Columbis & aliis duo sur ventriculi; unus membranaceus seu Ingluvies, i qva frumentorum grana asservantur, macerantu emolliuntur, atqve exinde qvoqve pullis injiciu tur; alter ex duobus musculorum paribus, laterib

sci

[s]cilicet & dorsum atqve fundum ventriculi stipan-[t]ibus, ut & duobus scutis callosis ceu lapidibus mo-[l]aribus compositus. vid. *Emanuel. König Regn. Animal. p. 62.* Francisc. Willughbeii Ornitholog. *l. 1. c. 2.* [p]*ag 6.* Ingluvie illâ carent Aves, qvæ Carnibus ver-[m]iculis, herbisqve mollioribus vescuntur. Qvadru-[p]edibus viviparis Bisulcis & altera maxillâ dentatis [q]vadruplex datus est ventriculus. Primus & maxi-[m]us Venter vulgò, *Severino* Pera dictus, instar cu-[j]usdam sacci alimentum excipit, ubi nonnihil præ-[p]aratur & in os masticandum per æsophagum post-[e]a rejicitur. Hîc melius subactum in primum ite-[r]um demittitur, tum in secundum, qvi ejus lateri [e]xtro adhæret, qvem variis lineis veluti rastris di-[st]inctum interius, Reticulum communiter, alii Ol-[l]am mediam tesseratam appellant, ubi partes her-[b]arum nondum dissolutæ colliguntur. In Tertio [v]entriculo, Omaso, sive ut alii vocant, Conclavi [c]ellulato variis foliis discreto alimentum arctius [p]remitur. In qvarto ventriculo, Abomaso, juxta [r]ecentiores Intestinali, itidem variis foliis discreto, [q]væ glandulas dispersas exhibent, subigitur & fer-[m]entescit. Licet ergo in bisulcis ruminatio ob ven-[tr]iculorum pluralitatem contingat, adeò ut infe-[ri]orum qvoqve qvibusdam propter ventriculorum [c]ellulatorum multitudinem, veluti Gryllotalpæ, [S]carabæo Cornuto, Locustis, simile qvid rumina-[ti]oni nonnulli tribuant, nihilominus illa in sim-[pl]ici etiam ventriculo ob elegantem fibrarum fa-[br]icam & apparatum fieri potest, uti in Cuniculis, [L]eporibus, muribus Ponticis, Scaro Pisce observa-[t]ur. Hominum itidem ruminantium exempla hi-

ſtoria Medica annotavit. vid. *Peyeri Commentar. de Ruminantibus, cujus ſumma legitur in Actis Eruditorum Lipſiens. an. 1685. menſ. Auguſt. p. 384. Schwammerdam Hiſtor. General. Inſector. p. 82.*

Fecit DEUS ut ſemper minora animalia ſint ſapientiora magnis] putarem majorem ſolertiam eſſe earum beſtiarum, qvæ indole & varietate actionum propius ad homines accedunt, qvam qvæ unum licet admirabile ſemper operantur.

13 *DEUS qvibusdam avibus latiorem conceſſit lingvam*] uti Pſittaco, Picæ, aliisqve paucis, qvarum lingva mediocriter lata, tenuior, aliqvanto longior atqve haut nimis adſtricta eſt. Nam in Picis & Corvis ligamentum qvod ſub lingva eſt, in homine frænulum vulgò appellatum, ſæpe incidi debet, ut illæ imitentur voces humanas, aliter lingvæ liber motus non eſt pro multiplicium ſonorum articulatione. Qvæ imitatio vocis humanæ licet tanta eſſe qveat, ut pene fidem ſuperet, negari tamen non debet, Cacodæmonum aliqvando impulſu & auxilio aves ejusmodi aliqva fuiſſe locutas. Perſpicitur autem ſimul cauſa, ob qvam animalia qvadrupedia aliaqve ſermonem humanum non effingant. Boves ergò, canes, ſerpentes & alia talia loqvi, qvorum exempla collegit *Julius Obſeqvens in libello de prodigiis*, pro fabula aut prodigio habendum. Vide *Origenem contra Celſum lib. 4. ſub finem p. 233. Del Rio Diſq. Mag. l. 2. q. 19. Salmuth in Panciroll. l. 2 Tit. X. p 200. Voſſ. l. 3. de Idolol. c. 44. Schoock de Anima Belluarum diſp. VI.*

Per ſe omnia animalia carent beneficio ſermonis

is] qvia rationis vel mentis. Unde hoc sensu muta ocari meminimus *ex annotatis ad p. 1.*

Singula in genere suo distinctas habent voces])vadrupeda tam vivifera qvam ovifera voces emitınt pro genere suo proprias varias; veluti agni baınt, porcelli grunniunt, palumbes minuriunt, ursi :viunt, Leones rugiunt, Leopardi rictant, elephan- barriunt, ranæ coaxant, eqvi hinniunt, asini ru- unt, tauri mugiunt; qvas qvomodo singula ede- :nt, familiare erat Antonio Getæ Imperatori ex ırammaticis qværere, teste *Ælio Spartiano in vita us.* Plures earum referuntur ab *Auctore* sine du- io Christiano *Philomelæ*, poëmatis veteris *Ovidio* ıscripti, à qvo lectionibus verborum variis discre- ıt, ut evulgavit *Andreas Schottus l. 2. Observat. 'umanar. c. 51.* atq; ex eo repetiit *Schoock de Ani- a Belluar. Disp. II. Th. 15.* notis qvibusdam additis.

Et in distinctis vocibus diversitatem qvandam norum efficiunt] Sanè affectuum varietas in eodem :nere animantibus diversas vocis dearticulationes inflexiones exprimit. Canis canens bellicum nibus aliis hirrit: baubatur qvasi speculator do- :sticus; aliam vocem emittit, cum Domino ab- ınditur, cum offam postulat aut exspectat, dum ıore prurit, dum catellos mulcet, dum verberatur. ıserum non inanis ipsis strepitus *(p. 423.)* Passe- m, aliarumq; avium veluti confabulationes (p. 590.) ;es *apud Franzium.* Atqve hunc qvasi sermonem αρεȝ διάλεκτον *Aristoteli l. 4. hist. an. c. 9.)* qvo er se sensum jucundi & molesti significant bestiæ *ı. Polit. c. 2.)* ex industria observatione ab homi- ɔus confusè & aliqvo modo intelligi posse non

eſt dubium. Enim vero qvi diſtinctam & ſingula-rem vocum interpretationem profitentur, veluti de Apollonio Tyaneo *Philoſtratus l.4.c.1.* ac de Monacho Ordinis Minorum ante paucos annos in Sicilia *Bonaventura Baro Tom.I. Scoti defenſi, in libros περὶ ἑρμηνείας, Apolog.1. de ſigno Act. III. n. p.6. retulit*, id jactant ſe noſſe, qvod revera belluæ non habent, nec caret ſuſpicione impoſturæ alicujus humanæ aut magiæ Diabolicæ, cum ita eveniunt illa, de qvibus ipſi belluas ante inter ſe ſermocinari ajebant. De Salomone hanc ſcientiam ſuperſtitioſe creditam ſupra memoravimus *ad pag. 3.* Miramur autem *Iſaacum Voſſium libro de Poëmatum cantu & viribus Rythmi p.65.ſq. tum prædicare animalium brutorum meliorem longe qvam hominum conditionem, utpote qvæ promtius & forſan felicius ſenſus & cogitationes ſuas ſine interprete ſignificent, qvam nos præſertim peregrino ſermone uſi qveamus; tum optare, ut homines laborem, qvem in perdiſcendo ſermone aliqvo adhibent, arti impendant pantomimicæ, juxta qvam, pulſa tot lingvarum peſte & confuſione, omnes mortales poſſent ſignis, nutibus geſtibusqve qvidvis clare explicare.* Profecto vir opinatiſſimus belluarum conditionem ultra qvam par eſt, extollit non ſolùm, ſed & homines dediſcere humanam & induere illarum naturam cupit. Cœterum uti beſtiæ qvædam humanas voces, ita viciſſim homines nonnulli belluarum concinnè effingere norunt. Scurra in ſcena porcelli grunnitu ita imitatus dicitur in Apologo; ut palli ſubeſſe ſpectatores crederent porcellum, *apud Phædrum l.5.n.86.* Virum novimus, qvi aſinorum v


c

:em adeo exactè exprimeret, ut nocte ineunte ru-
lens in vicinia non paucos ad respondendum ex-
:itaret; qvem clamorem cum deinde asini per in-
egram ferè noctem continuarent, magistratus ho-
ninis petulantiam compescuit. Festivum exstat
Ausonii Epigramma LXXV.

Latratus catulorum, hinnitus fingis eqvorum,
Caprigenumqve pecus, lanigerosqve greges,
Balatu assimilas; asinos qvoqve rudere dicas,
Cum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus.
Gallorum cantus, & ovantes gutture corvos,
Et qvicqvid vocum bellua talis habet:
Omnia cum similes, ita vere, ut ficta negentur:
Non potes humanæ vocis habere sonum.

Non scitius nocturnis suis grassationibus in plateis lamosos homunciones describas, qvi qvam inter-iu pecuinam naturam moribus pravis induunt, in-:r lemures vocibus belluinis exerunt.

Pisces tamen hac in parte infeliciores sunt] ide infra Part.3. c.1. p.648. Insecta similiter sonum vem edunt, efficiunt non ore, sed aut membra-ulâ bifidâ, ad incisuram mediam agitata, sicuti icadæ; aut exteriorum membrorum motu, putà artim alarum creberrimâ motitatione, uti bom-um suum muscæ, apes, aliaqve id genus; partim urum affricatione, veluti locustæ. Experimen-am licet capere in membrana, qvæ ventilata so-um edit. Muscarum ergo alis membranaceis ver-eratus aër sonat, à papilionum alis non sonat; sunt nim mollissimæ: sonus efficitur grandior á cra-



bronum

bronum alis durioribus, vastus à scarabæorum crustaceis, tenuis & acutus à culicum angustioribus.

14 *Multi pisces nullam habent vesicam.*] Ovipara omnia renibus & vesica carent. Qvæ piscium ventriculo adstánt, sunt vesicæ natatoriæ nunc simplices, ut in Lucio, nunc duplices, ut in Cyprino, Angvilla &c.

Patet qvænam sit diversitas inter corpus humanum & inter corpora brutorum] Nimirum alia animalia vel habent partes, qvales homo habet, vel habent, qvales homo non habet, (uti boves qvatuor pedes, cornua &c.) vel habent tantùm κατ' ἀναλογίαν proportione qvadam similes, (uti ichorem loco sangvinis animalia imperfecta, vice ossium spinam pisces &c.) aut saltim magnitudine, figura, duritie, situ, numero, aliave qvadam qvalitate differentes. Vide *Aristot. histor. animal. Gassend. Sect. III. Phys. l. 2. c. 1. & 2. Bartholini Anatomiam Reformatam, Severini Zootomiam Democriteam, Blasii Anatomen Animalium, Emanuel. Konigii Regnum Animale aliosq́ʒ, qvi Comparativam, ut vocant, Anatomiam excoluerunt relatos & excerptos in Actis Anglicanis, in Ephemeridibus Naturæ Curiosor. German. in Actis Eruditorum Lipsiæ publicatis.* Partes autem omni animanti necessariæ sunt os ac venter, qvibus alimentum assumatur concoqvaturqve, ac meatus etiam, qvo fiat excrementorum dejectio, insuper partes aliqvæ, qvæ nutriantur alimento, & pars qvædam, qvæ tangendi organum sit. Nam tametsi desint sensus cæteri, tactus saltim deesse non potest ei, qvod

in

in numerum animalium referri debet, *juxta lib. 2. de Anima, c.2. & alibi.*

DE ANIMA BRUTI.

Triplicem animam statuunt Physici]: Peripatetici; aliter Stoici, juxta qvos ὔτε ἔμψυχον ὔτε ζῶόν ἐςι τό Φυτόν: neqve animatum qvid, neqve animal est planta; ut testatur *Clemens Alexandrinus Stromateo VIII* Epicuri eandem opinionem ex *Lucretio* docet *Gassendus Sect. III. Phys. l.4. de Plantis c.1.* Scilicet & ψυχὴν & ζωὴν solis animalibus illi dabant, plantis Φύσιν & Φυτικὴν δύναμιν tribuentes. Vid. *Themist. in II. de Anima c.8. Plutarch. de Placitis Philosoph. l.5. cap.26. Salmasii notas in Epictetum & Simplicium p.119.* Cum Stoicis, ex qvorum Schola prodiere, fecerunt *Tertullianus aliiqve Patres apud Nieremberg. l.2. Histor. Natur. c.1. pag.17.* Idem hodie arridet Gassendo aliisqve assentiente, ut putant, Scriptura Sacra, qvæ nullibi animam aut vitam plantis adscribat. Ad qvos redarguendos argumenta *Bocharti* non sunt æqve omnia valida *Part. I. lib.1. c.1. Hierozoici.* Efficacius præ reliqvis urget Apostoli comparatio *1. Cor. XV. 36.* ubi semina Terræ concredita ζωοποιεῖσθαι & ἀποθανεῖν ait, de cujus robore, si plantis vitam neges, decedere videtur. 15

Animam Bruti non esse Spiritum incorporeum]

N. 1. Qvænam sit natura brutalis animæ, â qvâ intus latente corpus animale ex variis membris, veluti machina ex rotis, elateribus, vasibus, follibus & aliis compaginatum, vitam, sensum & motum accipit, non facile est explicatu.

N. 2. Nimium qvam par eſt, eam extollunt, qvi poſt Pythagoreos, Platonicos alioſqve veteres, ſubſtantiam incorpoream docuerunt *Joannes Scotus Erigena lib. 3. de diviſione Naturæ n. 41. Nicolaus Taurellus Phyſicæ & Medicin. qvondam Profeſſor Altorfi in libello de vitâ & morte Quæſt. alterâ Propoſit. IV. Joan. Lippius Theolog. D. & Profeſſor Argentinenſis in Metaphyſicâ magnâ l. 2. c. 1. p. 386. & nuper Henricus Morus Theologus Cantabrigienſis Enchirid. Metaphyſ. Part. I. c. 28. n. 15. 16. & Tractatu de Animâ cap. 2. & 6.* Inter qvos *Taurellus* à cæteris Platonicis ſomniis alienior, brutorum animas à morte ſupereſſe negat; *Scotus & Lippius* in ea propenſiores ſunt, dum *ille*, adverſus Baſilium & Gregorium Nyſſenum diſputans, vitam ſeparatas á Corpore non amittere, *hic* qvoqve ſe junctas in aëre exiſtere atqve modo aliqvo operari opinatur, fortè cum univerſo olim in nihilum redigendas; *Morus* autem iisdem uti alias profundius occupatus, & ſuperſtites & in corpora alia remeare tradit *cap. 5.* Abſurdiſſime omnium M.B. Semigentilis & ſemi Chriſtianus ante paucos annos, cum monſtroſis opinionibus aliis etiam hanc protulit, bruta niſi peccaviſſet homo, moritura non fuiſſe, atqve eadem tamen licet nunc moriantur, cum hominibus olim reſuſcitanda, & ab hoc centro mundi ad liberiora cœli ſpatia transferenda; qvod ſomnium olim Muhammedis à Turcis hodie credi, teſtis eſt *Joh. Andreas in libro de Confuſione Sectæ Muhammeticæ.*

N. 3. Viciſſim nimium deprimunt Bruti Animam Accidens non ſubſtantiam eſſe diſputantes, tum veteres nonnulli, tum recentiores *Guilielm. Pemb-*

liu

ius Philosophus Anglus Oxoniensis in Tractatu de Origine formarum, Adrian Heereboord Philosophiæ Lugdun. Batav. Professor in Meletemat. Philos. Vol. I. Disputation. 34. 35. 36. & pauci alii. Qvorum sententia non tam reipsa, qvam modo loqvendi abire videtur ab iis, qvos mox referemus Animas Brutorum substantias corporeas tenuissimas asserere. Manifestum id est ex extremo Disputationum Heereboordianarum.

N. 4. Peripatetici Latini (Græci enim ad præcedentem numero proximo assertionem potius reducendi) qvod captum ipsorum aliorumqve fugit, dicunt; nominantes substantiam qvandam, qvæ non sit ex nihilo facta, sed ex materiâ sic educta, ut neq; in ipsa præfuerit, neq; ipsius qvidpiam sit, hoc est, ne tenuissima qvidem ipsius portiuncula. A Magistri Aristotelis auctoritate hanc etiam doctrinam perplexè tradentis parum subsidii exspectandum ad lites inter ipsius sectatores componendum.

N. 5. Esse verò Animam Brutorum substantiam materialem & corpoream tenuissimam & subtilissimam, contextam ex subtilissimis, summe mobilibus actuosisve corpusculis, iis non absimilibus, ex qvibus ignis calorqve creatur, atqve adeo qvandam flammulam ignisve tenuissimi speciem, qvæ qvamdiu viget seu manet accensa, tamdiu vivat animal, cum amplius non viget, sed exstinguitur, animal moriatur non solius *Franzii*, sed multorum admodum est dogma; ævo vetusto ex Philosophis *Democriti, Epicuri, Lucretii* (qvi tamen absurde & impie hominum qvoqve animas tales habuerunt) ex Medicis *Galeni atq; Hippocratis*, Ex Patribus Ec-

clesiæ *Basilii M. in Hexaëmeron. homil. VIII.* Assensi sunt recentiori ætate; inter Theologos Reformatos superiore sæculo *Lambertus Danæus Physicæ Constian.* Parte altera Tract. V. c. 7. & 8. inter Philosophiæ Democriteæ addictiores in Italiâ *Bernardinus Telesius l. 5. de Rerum Naturâ c. 10. Claudius Berigardus Circuli Pisani p. 602. Franciscus Carus Philosoph. Natural. p. 362. Isaacus Cardosus Philosophiæ Liberæ l. 5. Quæst. 8. p. 282. Josephus Gallaratus Physiologiæ Medicæ l. 3. cap. 1. sqq.* in Angliâ *Franciscus Baconus Baro de Verulamio de Augmentis Scientiar. l. 4. c 3. p. 116. 118. in Historia Naturali Centur. VII. Experimento 601. Willis de Animâ Brutor. Part. I. cap. 2.* in Galliâ; *Petrus Gassendus Matheseos Regius Professor Parisiis Physicæ Sect. 3. lib. 3. c. 3. Tom. II. Oper. p. 250. Emanuel Maignan Ordinis Minimorum in Philosophia Naturæ cap. 21. n. 18. sqq. c. 24. n. 9. sqq.* in Daniâ *Thomas Bartholinus de Luce Hominum & Brutorum l. 3. c. 4.* Auctor Novæ Sectæ *Renatus DesCartes Dissertat. de Methodo p. 29. sqq. in Responsionibus Quartis p. 126. in Epistolâ ad Voet, quæ in Appendice Meditationum de Prima Philosophiâ continetur,* ejusque asseclæ, *Henricus Regius Fundament. Physices cap. XI. Joh. Clauberg. in Physica Contracta Thesi 822. & Exercitat. 100. num. 6. de Cognitione Dei & nostri;* (ubi Franzii testimonium citat, ut adversario Jacobo Revio Theologo Lugdun. Batavor. ostenderet nihil Theologis inauditum aut indictum à Cartesianis doceri) *Anton Le Grand Instit. Philosoph. Part. VII. c. 18.* Ex electivis Philosophis in Galliâ *Joh. Baptista Du Hamel Philosoph. Veteris & Nov. Tom. VI. Physica Part. III. Tract. I. Dissertat. I. cap. 1.* in Germaniâ

Joh.

Joh. Christoph. Sturm. Philos. Natural. & Mathem. Prof. Altorfinus Physica Conciliatricis p. 271. Samuel Strimesius Prof. Francof. ad Viadrum in Philosophiâ Naturali Demonstrativâ p. 283. immò ex ipsis Peripateticis, cum qvibus numerari vult, *Honoratus Fabri Jesuita de Homine l. 2. prop. 38. sqq.*

N. 6. Non negandum est, post Franzii librum nunc aliqvoties editum Theologos Lipsienses, Rostochienses, Basileenses, Regiomontanos qvinqvagintâ abhinc annis de animâ bestiarum interrogatos, inclinasse magis in Danielis Sennerti opinionem, cui asserenti animas brutorum olim ex nihilo creatas, & hodie etiam alterius qvam elementaris naturæ esse, blasphemiam & hæresin *Johannes Freitagius Professor Medicus Groningæ* intentaverat. Enim verò & eosdem nominatos Theologos legimus in Responsis suis candidè disceptationem de naturâ elementari ejus animæ â se ad philosophos devolvisse, eorumqve libertati permisisse.

N. 7. Palmarium argumentum pro dogmate illo multis hodie accepto est, qvod omnes operationes ac passiones brutorum animalium ad substantiam materialem ejusmodi, qvalem n. 5. describebamus commode referri qveant, tanqvam ad primum, qvod in corpore est principium, & multò verisimilius qvidem, qvam si cogitemus substantiam incorpoream, (n. 2.) aut substantiam qvandam innominatam & incognitam (n. 4.) qvæ motus animales efficiat.

N. 8. Juxta qvod etiam erit planissima interpretatio dictorum in Scripturis S. qvæ animam, aut sangvinem esse Gen. IX. 4. Deut. XII. 23. aut esse in san-

ſangvine, Levit. XVII. 11. habent. Siqvidem Spiritus illi animales, in qvibus anima ſenſitiva conſiſtit, ſunt in ſangvine radicati, ſunt nobilior & ſpirituoſior pars ſangvinis, & complexim vel concretive cum ſuo vehiculo ſumti, ſunt ſangvis. *Vide Grotium ad ll. cc. Willis. de Animâ Brutor. Part. I. c. 4.* Qvi autem aliâ opinione occupati accedunt, ſenſum difficilius inveniunt. Ita *Auguſtinus Tom. VI. Contra adverſarium Legis & Prophetarum l. 2. cap. 6. qvem Rivetus Exercitat. in Geneſin LVIII. Tom. I. Oper. f. 233. Revius in Staterâ Philoſoph. Cartes. p. 142. Johannes de Mey Medicin. D. & Eccleſiaſtes Medioburgenſis in Commentariis Phyſicis Sacris Part. I. p. 195. ſeqvuntur,* ſangvinem animam dictum exiſtimant, metonymice, qvia ſignum eſt animæ, uti Petra dicatur Chriſtus. Idem *Auguſtinus Qvæſt. in Levit. p. 219. edit Froben.* metonymiam continentis pro contento agnoſcit. Cæteri Auctores modo dicti alias adhuc explicationes adjiciunt. *Voet. Part. I. Diſputat. Theolog. p. 770.* aliiq; ajunt, animam non proprie ſangvinem dici, ſed ἐνεϱγητικῶς i.e. cauſaliter & concomitanter. *Meiſner. Philoſoph. Sobr. Part. I. Sect. I. cap. 5. Qvæſt. VIII.* cum Auguſtini altera explicatione conveniens in vocabulo animâ metonymiam adjuncti pro ſubjecto collocat, qvo notetur ſedes vel vehiculum animæ.

18 *Facultates dependentes ab animâ brutorum in homine ſunt potentiæ corporis*] Cum Spiritus animales in beſtiis ſint ipſa anima, qvæ facultates vegetandi, ſentiendi, appetendi, & locomovendi habet; dubitatio oritur, annon duplicem in homine animam

animam cogamur asserere, unam Corpoream i. e. Spiritus animales in sangvine radicatos, qvi utiqve homini insunt, alteram incorpoream & Spiritualem qvam homini, nisi Epicurus aut de grege ejus porcus, nemo negat. Ab hóc, qvod putatur inconveniens, se expediunt *Verulamius*, *Gassendus*, *Willis*, *Sturmius*, concedendo duas illas esse homini animas; & animam qvidem corpoream subjectum dici debere, ajunt, immediatum rationalis animæ; sic non solùm Philosophos multos, sed etiam Patres Ecclesiæ rectè docuisse. *Franzius* sine dubio mavolet cum *Honorato Fabri l. 7. de Homine prop. 3.* unicam homini tribuere animam rationalem, utpote principium formale operandi primarium & non subordinatum; principium autem sensitivũ, qvod in bruto est forma, in homine, qvoniam animæ rationali subordinatur, non formam aut animã, sed potentiã, realiter tamen diversam, appellare.

Nutritionem qvod attinet] Nutritio animalium qvomodo perficiatur disces optimè ex *Borelli de Motu Animalium* Parte *alterâ c. 16. prop. 199. sqq. D. Joh. Bohnio Nostro* in Circulo Anatomico Physiolog. Progymnas. VII. *Hamel.* Phil. *Vet. & Nov.* Phys. Part. *III. Tract. III.* In avium maximè Granivorarum ventriculis Lapillos ad meliorem tantum frumenti attritionem & comminutionem facere, opinantur cum aliis *Peyerus Anatom. Ventr. Galli p. 130. Konig Regno animali p. 62.* in chylum etiam simul resolvi, existimant *Helmont. Tract. Calor efficienter non digerit n. 22. Welsch. Hecatost. I. p. 130. Borellus l. c. prop. 194.*

Ad Generationem Brutorum qvod attinet] 21

N. 1. Tribus â Franzio recensitis modis be[...]

pr[...]

progenerari, vel ex coitu maris & fæminæ, vel sponte, vel utraqve ratione, proditum est ab *Aristotele l.5. hist. anim. c.1. sect.3. lib.6. c.14. sect.170.* & ab omnibus ejus sectatoribus tenaciter creditum.

N. 2. Ea, qvæ ex coitu, (qvem neqve similem omnibus esse, neqve similem in modum agi narravit *Idem l.5. hist. anim. c.2. sqq. item Nieremberg. histor. Nat. l.6. c.1.*) se propagant, qvid ad generationem fœtus conferant, valde fuit omni tempore controversum.

N. 3. Ac ipse qvidem *Aristoteles* censuit in generationis negotio â fæmella non emitti semen, sed menstruum sangvinem duntaxat, qvem in exangvibus analogum putari debere dixit *l.6. hist. an. c.17. lib.1. de Generat. animal. c.20. l.3. c.1. l.4. cap.5.* A mare autem afferri non semen aut generationis conceptum, aut fœtus materiam, sed *γονὴν* genituram & principium efficiens; *l.1. de Gener. animal. c.21.22. lib.2. c.3. & 4. lib.7. histor. c.7.*

N. 4. Contra multi antiqvi, qvos indigitat *Aristoteles l.1. de Generat. anim. c.17.19.20. & alibi, Auctores Librorum περὶ γονῆς, περὶ Φύσιος παιδὸς*, & primi *περὶ διαίτης inter Hippocratis Opera repositorum*, inprimis *Galenus l.2. de Semine c.1 sqq.* asseruerunt, tam mares qvam fœminas habere semen, qvod utrumqve unà cum sangvine fœmineo generationis materia sit. Hæc deinde sententia magnô applausu accepta fuit in Scholis Theologorum, Medicorum ac Philosophorum, inter qvos nonnulli cum *Maresio in Systemat. Theolog. Loco IX. Th.18.* ac *Scherzero Breviar. Eustach. p.422.* ita approbarunt, ut

t Aristotelicam] opinionem perniciosam Theolo-
iæ decernerent.

N. 5. Certantes inter se de utraqve sententiâ vi-
)s doctos elapsis ab hinc annis qvinqve supra tri-
.nta inopinato interpellavit *Guilielmus Harveus.*
Vir Anglus in Collegio Medicorum Londinen-
ım Anatomes & Chirurgiæ Professor, Carolum I.
egem Angliæ, cujus etiam Medicus erat, feras ve-
ıntem secutus, occasionem habuit cervas damas-
/e, eo tempore, qvo mares admittunt, concipi-
nt, ac novellos fœtus in utero gerunt, dissecandi
: contemplandi. Dissectis igitur illis & aliorum
binde generum animantibus varia deprehendit,
/æ Aristotelicis & Hippocratéis opposuit, qvibus-
/e inductus prorsus negavit, vel ex semine vel ex
ngvine menstruo concipi ullum animal. *Putavit*
:rò Generationem hoc modo fieri. Semen maris â
eminâ receptum nudo contactu uterum ita alte-
.t, ut facultatem accipiat efficiendi ex sangvine u-
:rtim éo confluente, lentum albugineumqve hu-
orem albumini ovorum simillimum, qvo facto,
ıatricis tunicæ interiori corrugatæ nonnihil ac
adescenti appenduntur mucosa filamenta, ad in-
ar telarum aranearum, qvæ primum qvidem exi-
ıa, mox verò aucta sui conjunctione membra-
osam ac mucilaginosam tunicam sive manticam
:ferunt. Hæc dictum albumen, qvod ex uteri
ıembranis stillat, recipiens, eoqve repleta, con-
:ptus sive generationis primordium est; & qvate-
us utrumqve conceptus principium continet, pla-
e *ἀνάλογον* semini plantarum, semen animale,
em ovum appellari debet secundum *Aristotelem*
defini-

definientis ovum l.1. hist. an. c.5. l.2. de Generat. animal. c.5. id, cujus ex parte animal gignitur, reliqvum ei, qvod gignitur, alimento est. Confer *l.3. de Gener. an. cap.9.* Juxta qvæ vult *Harveus* Ovum esse primordium commune omnibus animalibus etiam viviparis, atqve tam conceptus qvam vermes qvos *Aristoteles* vocavit *in histor. animal. l.c.* esse ova. Leges hæc omnia in nominati *Harvei Exercitationibus de Generatione Animalium,* in qvibus dispersas observationes in ordinem redactas *Justi Schrader Med. D. libello peculiari edidit.*

N. 6. Hanc Generationis rationem ab Harveo propositam alii approbarunt, alii rejecerunt. Conciliationem cum Hippocrateâ sententiâ tentavit personatus *Janus Orchamus* i. e. Johannes Vorstius, qvem incassum laborasse evincere suscepit, *D. Georg. Frider. Rallius Medicus Stetinensis.*

N. 7. Acutius adhuc cernentes Anatomici moderni *Nicolaus Steno, Joan van Horne, Theodor. Kerkring, Regnerus de Graaff, Marcellus Malpighius, Alphonsus Borellus, Thomas Pater, & Caspar Filius, Bartholini, Franciscus Zypæus, Joh. Conrad. Peyer,* invenerunt testes fæmellarum viviparарum esse ovarium, qvod perfecta ova intra se contineat, humore scatentia, & pelliculâ circumcincta: qvæ â semine maris fœcundata ac in uterum transmissa â spiritibus animalibus qvasi incubando foveantur, & succo è materno sangvine suppeditato nutriantur, qvemadmodum ova volatilium etiam extra uterum â solò blandi caloris fomento per succum actu inclusum vivificantur. Compro-

barun

..runt hæc suo calculo *D. Bohn* Circul. Anatom. ..hys. Progym. I. *D. Elsholt Ephemer. Medico Phys. ..erman. Dec. I. An. VI. & VII. Observ. 196. sq. Sturm. ..hys. Conciliatr. p. 269. Emanuel Konig Regn. Ani..al. p. 53.* ubi etiam de Ovariorum varietate dis..rit. Qvam verò similis autem hæc sententia plu..bus hodie visa est, nuper nihilominus ex Obser..ationibus Anatomicis impugnavit *Du Verney, Chi..urgus Regius in Galliâ,* qvem verò contrariâ ob..rvatione in sectione scrofæ, præsentem coëgit ca..ere palinodiam *D. Lietaudus Chirurgus Sereniss. ..rincipis Fratris Regis.* vid. *Zodiacum Medicum Gal..cum An. 1680. mense Martio observat. I. p. 57. mense ..ulio observ. XXII. p. 158.*

N. 8. *Recentissimè Antonius de Leeuwenhoeck, Bel..a,* in semine masculino statuit animalcula conti..eri, qvæ ova fœmellarum ovipararum, â qvibus ..cipiuntur, fœcundant. Vid. Anatomia & Con..mplatio nonnullorum Naturæ invisibilium Se..etorum ab illo edita. p. 61. sq. Idem pag. 66. scri..t, ex masculino semine solo fœtum prodire, fœ..inam instar naturæ agri fructum tantùm fovere, ..ere, atqve augere.

N. 9. Sponte juxta Aristotelem vulgò intellectum, ..præter ejus seqvaces, *Cardanum, Comenium, Vos..um l. 4. de Idol. c. 67.* non ex semine, non ex ovo, sed ..putridâ qvadam materiâ nascuntur varia ani..alia; *vel in genere Insectorum* ex terrâ, aqvâ, cœ..o, ex ligno demortuo, ex plantâ viridi, ex anima..cum vivo tum mortuo, ac in eo ex cute, sanie, su..re, pilis, fœcibus, ac rursus ex aliis qvibusvis pro..modum rebus, utpote ex lapide, nive, nube, rore,

& cæteris; *vel in genere imperfectorum*, uti Zoop[...]
ta, Ostrea aliaqve Testacea; *vel in genere perfe[...]*
rum, uti inter pisces anguillæ & mugiles, ex lim[...]
vel arena, atqve etiam ex fluitante re qvapiam [...]
trefactâ prodeuntes; inter qvadrupeda, mures [...]
ranæ; inter aves, anseres Scotici.

N. 10. Ast omnia ex semine suo vel ovo occ[...]
to licet & invisibili, originem ducere post *Scali[...]*
rum Exercit.59. sect.2. Franzius hîc & alias sæpe [...]
cet, inprimis *Part.V. c.1. p.829.* ubi ex Scripturâ [...]
riter ac experientiâ petitis rationibus confirmat. [...]
sentiuntur *Fortunius Licetus in Academiâ Patav[...]*
Professor de Spontaneo Viventium Ortu l.2. c.2. ([...]
adductis ex Aristotele testimoniis ostendit spo[...]
nasci, esse ex semine occulto præexistente orir[...]
ex putredine nasci vel luto, esse in loco putre[...]
nis ac luti ex semine occulto specifico prodir[...]
Daniel Sennert. Hypomn. Phys.V. Joh. Sperling [...]
stit. Phys. l.1. c.3. in Dissertat. de Traduce cap.1[...]
145. & alibi; Gassend. Sect.3. Phys. l.4. c.1. Velth[...]
sen de Generatione, in Operib. p.1273. 1274. 1279.[...]
Honorat. Fabri de Generat. Animal. l.5. prop.69 [...]
Idem peculiaribus Observationibus monstrar[...]
Francisc. Redus Patritius Aretinus, *Johan Gœd[...]*
Pictor Medioburgensis, *Johan. Schwammerdam[...]*
diversi generis Insectis, *Marcellus Malpighius [...]*
dicus Bononiensis in vermibus, qvi in gallis ar[...]
rum generantur; *Martin Lister* post Willisiu[...]
Stenonem & alios in Cochleis. Qvarum æqvi[...]
cam generationem cum nuper in gratiam Peri[...]
tueri ausus esset *Philippus Bonannus Societatis [...]*
in Recreatione Mentis & Oculi in Animalibus Te[...]

tiis, cum apertæ veritati frustra repugnare scripserunt, *Antonius Felix Abbas Marsilius in Epistolâ de Ovis Cochlearum ad Malpighium, & Johan. Jacob Harder Philosophus & Medicus Basileensis in Epistolâ ad Abbatem Marsilium de Ovis & genitalibus Cochlearum. Confer Du Hamel Philosoph. Vetor. & Nov. Tom VI. Phys. part.3. Tract.3. Dissert.3. c.1. & Tom.V. phys. part.2. Tract.3. Dissertat. Posterior. c.3. Harderi & Lucæ Schroeckii Epistolas aliqvot de Generatione Insectorum ex ovo cum Antonii Felicis Epistola junctim editas, Augustæ Vindelicor an.1684.*

N. II. Qvemadmodum autem qvodlibet pusillum semen futuræ plantæ ideam sive primordia (qvæ microscopia in Tuliparum germine aliisqve qvibusdam detegunt) continere dicitur: ita in qvolibet ovo animali ante congressum ideam realem ac typum omnium futuri viventis partium & membrorum præexistere, qvæ per epigenesin homogenearum particularum, i.e. nutritionem, augentur, explicantur, dilatantur ad leges & modulos â DEO in primâ creatione cuiqve speciei datos, asserunt *Schwammerdam Histor. General. Insector. p. 44. sqq. P. Malebranche de Inqvirenda veritate l.1. c. 6. p.25. Peyer. de Ruminant. l.1. c.5. p. 50.* Addunt grande paradoxon, in qvolibet ovo ex qvo fœmella nascitur, ideas numero tanto inscriptas, ut species inde propagari qveant per omnia sæcula; ac primarum fœmellarum â DEO creatarum ova cunctorum animalium nascendorum ideas continuisse. Commendat hanc speculationem *Schwammerdam* utilissimam solvendis qvæstionibus vexatissimis, qvomodo morbosus & valetudinarius, fœtum ge-

nerare sanum, qvomodo aliqvâ parte mutilus
tum nihilominus integrum possit generare, q
modo in Adamo & Evâ ad posteros in ipsis exist
tes peccatum & mors venerit. Ast uti omnes
qvæstiones sine suavi istâ cogitatione habent su
solutionem, ita & Theologos ad enodandum d
cultates de peccato Originali ea parum juvabit
facile alias lites de ideâ Christi Domini, de A
marum humanarum traducendarum inexister
inter ipsos suscitabit.

N. 12. Qvæ de qvibusdam animalibus sine m
generantibus vulgò circumferuntur; *Franzius*
sim pronunciat fabulosa, vide hâc parte I. cap.
132. de eqvis Lusitanis & Tigride; Part. II. c. 13. p.
de vulturibus; part. III. c. 1. p. 651. de Piscibus, &
bi. Certum est, Gallinas, Perdices, aliasqve q
dam non volaces uncungvesqve aves, item bom
ces, absqve maris coitu parere ova, sed subve
nea & infœcunda. Qvod si verò certioribus, q
Aristoteles prodidit l. 4. hist. anim. cap. 11. exem
compertum fuerit, in aliqvibus animalibus se
non reperiri, dicenda erunt illa semen excern
sine maris congressu, qvod maris & fœminæ vi
tem contineant, instar arborum, ad qvarum n
ram, qvô imperfectiora sunt, eo propius a
dunt.

N. 13. Qvædam animantia pariunt actu ani
qvædam potentiâ. Illa vivipara vel vivifera,
Ovipara vel Ovifera cognominantur. Sunt a
Oviparæ animantes, Aves, (præter unum vesp
lionem,) Pisces sqvammati omnes, (Cetacei
vivos pariunt.) Serpentes, (exceptâ viperâ) ex
di

drupedibus Lacerta, Teſtudo terreſtris & marina, rana, Crocodilus, & deniqve Inſecta, qvæ vermifera potius credidit *Ariſtoteles* , correctus ſupra ab Harveo n.5. *Adde Gaſſend. Sect.3. Phyſ. l.4. cap. 6. & Schwammerdam. General. Inſector. Hiſtor.* Ovũ, qvaſi alter portatilis uterus, putamine munitus, in qvo primum pulli rudimentum, paratum alimentum, membranæ aut ſecundæ continentur, calore opus habet, â qvo concluſa maſſa commoveatur, ac partim animula, partim ſemineæ coituræqve in corpuſculum particulæ excitentur & adjuventur. Id igitur agit Avis incubans, vel hominum induſtria, ſicut Ægyptii ova gallinarum excludunt ad calorem fimi, aut ignis, clibanis ſuperexſtructis debiteqve contemperatis; & fœminæ in ſinu foventes ova bombycum; vel absqve arte incubatuqve ſolus calor vernus, qvo universè omnium Inſectorum ova, piſcium, ſerpentum, ac qvadrupedum excluduntur. Mollia, i.e. Polypum, & Cruſtacea ferunt incubare. Aſt Cruſtaceorum, veluti Aſtaci, Gammari, Sqvillæ, non eſt alius incubatus, qvam qvod ovorum racematim compactorum congeriem uteris excluſam pinnis ſeu caudâ foveant, ut inibi perficiantur. Unde cauda fœmellarum latior eſt qvam marium, & qvinqve pinnis inſtructa, ne ova eundo atterantur. Serpentes cum incubare neqveant, ova ſua in fimo, vel juxta fornicem furni, aut circa thermas recondunt. Teſtata, uti Cochleæ, ova intra terram reponunt. Struthio ſuis in ſabulo nidum ut apparet, deſcripſit *Frãnzius Part. II. cap. 2. p. 367.* Inſecta ovis ſuis varios qværunt nidos. Plurima foliis arborum corrugatis ova committunt:

qvædam ramusculis fruticum ordinatâ serie affigunt. Scarabæi instar serpentum fimo tegunt; Araneæ nido ex telâ constructo secum gestant.

23 *Porrò qvædam simul multa gigunt animalia*] Alia animantia observantur Unipara alia Multipara. Ex Qvadrupedibus viviparis singulos edunt fœtus Solidipeda, ut Elephas, Eqvus; Singulos sæpius, geminos interdum Bisulca, ut Capra, ovis, & alia; numerosiores multifida. Nam etiam Leæna, ut habet *Aristoteles l.3. de Gener. animal. c.1* parit primò qvinqve, succedenter pauciores, ac postremo unicum. Ursa gignit duos, qvatuor, ut plurimum qvinqve. Canis fere qvinos, senosve, cum plurimos, duodenos, rarò unicum. *Arist. l.6. hist. an. c. 20. Plinius l.10. c.63.* Haut facili plures octonis, sæpius pauciores observes. Mures ad summum septem aut octo proferunt. Inter Ovifera Terrestria, Avium nulla, plura qvam Gallina fundit, ex toto anno duos vix menses intermittens, ac Struthio, qvem perhibent edere supra octoginta. Columbæ utut parientes decies anno, singulis vicibus tamen bina tantùm ova ponunt. Acanthis non plura qvam duodecim, Pica novem, Corvus qvinqve generant. In Chamæleonte ova propemodum centena deprehendit *Gassendus*. Serpentum qvorundam ova numerosa sunt ac cohœrentia, ut solent Uniones in monilibus; in aliqvibus solùm qvinqve reperiuntur. Insecta multa projiciunt. Bombyces ad centena usqve parere vulgò asserunt. *Isnardus*, qvi de Bombycibus jussu Ludovici XIV. Regis Galliarum scripsit, fœmellam qvamqve communiter trecenta ovula ponere retulit. vid. Acta Philosoph. Angli-

Anglican. an.1665. mense Julio p.66.) *Malpighius in Dissertat. de Bombyce p.92.* excreta ova ut plurimum 516, vel 514. interdum 446. aliqvando 393. se numerasse scripsit. In Erucarum nidis vermiculos ultra mille reperit *Matthiolus*. Vid. ipsum in *Dioscorid. l. 2. c. 55.* Piscium numerosa est fœtura, inprimis eorum, qvi ova imperfecta (qvomodo vocari solent molliuscula, qvæqve augmentum capiunt edita) veluti cyprini, mugiles, aliiqve familiares excludunt. A Cyprinis decem intra unum annum ultra mille in piscinis inventi, & in mari præsertim oportet pisces nasci innumeros, ut & sufficiant piscivoris & suum qvoqve genus conservent.

Præclare hoc observavit Herodotus] in Thaliâ, differens â divinâ esse providentiâ, ut qvæ plurimis cederent in cibum, ea inprimis existerent fœcunda, minus verò sæva & maligna. Unde & leporem, qvem qvadrupedes, aves & homo comedunt, tam sæpè & multos simul fundere partus. 24

In qvolibet genere animalium non tantum esse distinctos sexus &c.] fabulam de leporibus alternatim maribus ac fœminis notatam *Franzio* hîc & rursum *cap.19. part.I. p.216.* etiam *Vossius l.3. de Idololatr. c.54.* & alteram simul de annali sexûs mutatione in Hyæna, qvam Ovidius, Plinius, Oppianus tradiderunt, explodit.

Pariunt utilia & necessaria animalia brevi tempore] Non convenit *Franzius* cum aliis, nec cum rei veritate ubiqve in gestationis tempore unicuiqve animalium generi definito. Sues non 60. tantùm dies, sed qvatuor menses, gestant, Canis & felis duos; (observatum enim felem nunqvam de-

ficere â novem præcisè hebdomadibus seu die
63.) Lepori ac cuniculo unus mensis sufficit.
Elephanto, Leonibus, Ursis *Franzius* appella
qvæ retulit, communem opinionem. Eleph
gestationem sibi incompertam fuisse indicat
stoteles l.6. hist. anim. c.27. licet ante *l.5. c.13.*
nos duos ipsum ferre scripsisset. *Ælianus* in d
relinqvit *l.4. hist. animal. c.31.* Strabo l.15.p.705.
fert edi ab ipso partum tardissimè mense â con
ptu decimo octavo, celerrime sub sextum ac
cimum. *Edoard Lopez apud Nieremberg. l.9.*
nat. c.86. duos annos non amplius memorat,
rulamius certum habet per biennium aut saltim
pra annum gestare. Leonem qvotannis parer
pertè *Aristoteles docet l.c. cap 31.* Lupum, uti ca
novem hebdomadibus gestari scribit *cap 35.* & c
firmat suâ qvam habuit experientiâ *Scalige*
Commentar. Ursos parere trigesimo die trac
Philosophus l c.c.36. Plinius l.8. c.36. Insecta p
ma pariunt haut ita multò post coitum, *Arist*
c.c.18. Scaliger Exercit.191. sect.2. & in Theophra
Plantis l.4. c.1. Progressus qvo conceptus in u
formatur atqve tempus perfectionis, non a
potest in viviparis per singulos dies observari, a
in Oviparis, & ex istis in nullo genere feli
qvam in gallinaceo. Nam cum Gallinæ incub
sit dierum viginti, tot possunt ipsi ova ab initio
poni, ut uno qvoqve die unum subducatur &
ploretur. Observationes jam suo tempore fec
ristoteles l.6. histor, an. c.4. & Plinius l.10. c.53. a
ratiores *Harvæus de Generat. Animal. Exerc.55.*
helmus Langly, qvas & retulit & suas adjecit J

Sc

chraderus; Marcellus Malpighius in Epistola de Formatione pulli in ovo, ex qvâ præcipua excerpsit *Du Hamel in Philosoph. Vetere & Novâ Physicæ arte tertia extremâ.* Habentur autem ea, qvæ in fformatione pulli in ovo conspiciuntur, consentaea iis, qvæ in efformatione fœtus viviparorum fiunt. Nimirum respondet Ovi exclusio in Oviparis, enituræ primordiis in Viviparis, & ovi incubatio teri operationi in Viviparis, qvi calore suo & nurimenti præbitione vi formatrici fœtûs inservit.

Vivunt secundum Communem Opinionem] 25

Placet nobis judicium *Verulamii in Historiâ Vitæ & Mortis col. 499.* De diuturnitate & brevitate itæ in animalibus tenuis est informatio, qvæ haeri potest: observatio negligens: traditio fabulo-. In Cicuribus vita degener corrumpit: in Sylestribus injuria cœli interrumpit. Et *col. 502.* Pi-ium vita magis incerta est, qvam terrestrium, cum ib aqvis degentes, minus observentur. De elehantorum ætate nihil certi se potuisse explorare ribit *Tavernier Part. 2. Itinerar. l. 1. c. 18. p. 71.* nisi vod ex relatione hominum, qvi ipsos curant, 120. el 130. annos collegerit. Feles pariunt ultra anum 14. *Gassend in Vita Peireskii lib. 6. non procul ab itio, Tom. V. Oper. p. 332. & Sect. III. Phys p. 604.* ervi annos centum supergrediuntur juxta *Plin. l. c. 32.* cujus narratio incerta est *Verulamio.* Lucim 267. annorum ex *Gesnero* narrat *Franzius Part. II. c. 4. pag. 704.* alias ad annum qvadragesimum vandoqve vivere perhibent. Inter Aves Passeres caveis nutriti plures annos supervivunt. Carduess, etsi minima avis, ad vigesimum annum vivit

teste *Verulamio*. Galli gallinacei ob salacitat[em] non excedere dicuntur annum duodecimum; ex[em]plum ultra qvindecim annos vivi legitur *Ephe[-]mer. Medic. Phys. Germ. Dec. I. An.VI. & VII. Obser[-]vat.169. p.233.* Anser viginti annos vitæ excessit *ibid.* Corvi ætatem ad octoginta, immo centum an[-]nos pertingere volunt. Vid. *Voss. de Idolatr. l.3. cap. 79. Gassend. Sect. III. Phys. p.604.* Insecta vitæ sun[t] brevissimæ, adeò ut inter ipsa Ephemera, i.e. unum solum diem, immo tribus duntaxat horis (velut papiliones qvidam) viventia reperiantur. *vid. D[e] Blegny Zod. Med. An.II. p.188.* Apes solæ septeni[s] annis supersunt juxta *Plinium l.11. cap.20.* Morbo[s] qvibus bestiæ infestantur, recensuit *Aristoteles l.8. histor. c 24. & seqventibus pluribus, atqve Plinius passim.* Qvod autem ii usu peritos asserere ajunt, morbis ferè qvibus homo laborat, eqvum atqve o[-]vem subjacere, de aliis qvoqve dici potest. Nam su[s] non solum animalium grandinosum evadit, qvo[d] Aristoteles vult, sed & homo; nec rabies, qvâ ca[-]nis corripitur in alia tantùm transfunditur, q[væ] momorderit, qvod rursum *Philosophus* scripsit, se[d] etiam in ipsum hominem. Id cum adeò notum ignorare ipse non potuerit, credit Codices ibi cor[-]ruptos *Matthiolus in Dioscorid. l.6. c.36. p.1009.* Plu[-]ra de morbis domesticorum animalium remediis[q]ue adversus ipsos invenimus in Rei Agrariæ scriptori[-]bus, in qvibus recentissimi *Christoph. Fischer Socie[t.] Jesu in Oeconomiâ Suburbanâ, Adalbertus Tylkows[-]ky è Societat. Jesu Philosoph. Curiosæ Parte IV. & re[-]liqvis præferendus Wolf Helmhard Dominus ab Hoh[-]berg Liber Baro in Georgicâ Curiosâ.*

Resti[-]

Restat dicendum de sensitiva brutorum] vitio
ripateticæ communis doctrinæ omissæ hic sunt
cultates, qvas vocant Medici vitales, qvi ante re-
nsitas vegetativas animæ potentias, naturales, &
st commemorandas virtutes animæ sentientis,
imales solent appellare. Numerantur autem Fa-
ltates Vitales duæ, vis pulsifica Cordis & Respira-
x. Ac Pulsus qvidem Cordis, motus, qvi princi-
um est & causa aliorum motuum, â qvo calor gi-
itur ac fovetur, & non modò opus nutritionis,
etiam omnis alia animalis functio peragitur, in
fectis animantibus est manifestissimus, in cæteris
am haut difficulter observabilis. Corda Cyprini,
guillarum aliorumqve piscium vivorum aperto-
n pulsare conspiciuntur, etiam exempta â pulsa-
ne, qvousqve planè refriguerint, nòn cessare,
mò cum refriguisse & â pulsando desiisse viden-
, calore aut digitorum aut salivæ, aut tepentis
gvinis, aliovè fota, veluti reviviscere, ac denuò
qvantisper pulsare. In Testaceis & Insectis non-
llis cordium pulsationes observarunt *Willis, Mal-
hius, Schwammerdam, Peyerus*. De Respiratione
imalium pulmones habentium constat. Pisces &
ecta, qvod pulmonibus careant, respirare nega-
it multi Aristotelem secuti *lib. de Respirat. c. 2. 3. 4.*
Pisces Respirare docebit *Franzius Part. III. cap. 1.*
55. Respirare Limaces *Schwammerdam. Histor.
neral. Insector. p. 75.* Cochleas, *Harderus in E-
stola ad Abbatem Marsilium* confirmant. De In-
torum pulmonibus annotavimus ad *p. 10.* Perti-
nt huc Experimenta â *Robert Boyle libro de Vi Aë-
Elasticâ p. 333. sqq.* proposita, & ab aliis repeti-

ta,

ta, qvæ exhibent muſcas, apes, aliaqve inſecta vaſculis vitreis aſſervata, ac ipſos etiam vermicu cum aceto, in qvo natant, incluſos, *aëre* exhau brevi tempore enectos, Conf. *Hamel. Philoſ. Vet. Nov. T.VI. Phyſ. Part.3. Tract.2. Diſſert.1. c.3. & i rum ultimo, König Regnum animal. p 20.*

Senſus Externi plerumq; acutiores qvam in h mine] Tactu ſenſuum primo & maximè nece rio omne animal præditum; *l.2. de Partib anim c.8.* nam & conchylia ſaxis adfixa, & oſtrea imm bilia tum ad alimentum ex maris ſpumâ aut ex r re excipiendum valvas diducunt & contrahunt, tu compuncta ſe ſe comprimunt, qvaſi aciculam fugientia, *l 1. hiſt. animal. c.2.* Araneam tactu pr ſtare homini Carmen vulgare habet, ſcilicet ob ſe ſum motus, qvem in araneâ culex vel aliud min tum animal telam involans excitat; aliàs homin præ aliis animantibus eo ſenſu excellere, qvapr pter & prudentiſſimum eſſe, doctrina eſt *Philoſo l.2. de animâ c.9.* Qvod tamen ratione vulgariu tangibilium accipiendum eſt, cum qvædam beſt præſentiant tempeſtates, qvas homo non ante pe cipit. *Vid. Plin. l.18. c. ult. Joan. Franciſc. Picum M randulæ Comitem de Rerum* Prænotione *l.3. c.3.* G ſtu, qvem ad vitæ incolumitatem Natura conceſſ Simiam antiſtare homini, ex geſticulationib qvas comedendo illa facit, fallibili indicio, co gitur. Odoratu ſuperantur homines non modò iis qvæ ex majore diſtantiâ odorantur, uti vultur Corvi, apes &c. ſed etiam qvæ percipiunt narib homini prorſus inodora, uti Canes dominoru ferarumqve Veſtigia olfacientes; Tigrides ab

p

›s catulos vestigantes Olfactu, feles reqvirentes
:a valde distantia, à qvibus abducti cistâ inclusi
:re. Observatum est Anatomicis, in animalibus
æ herbis maximè vescuntur, avibus item & Pisci-
s, qvæ pabulum odorando sectantur, nervos ol-
torios esse majores magisqve conspicuos qvam
homine, & effluviis minus inqvinari. Unde sæ-
monstrant hominibus venena vitare. Nam re-
ente *Boyle in Exercitatione de Naturâ determina-
effluvior. p.107. sq.* qvidam Navigatores Anglica-
regulam præscribunt appellentibus ad loca igno-
, ut fructibus arborum non vescantur, nisi qvos
lucres prius prægustaverint admordendo. Ho-
ines autem olfactus etiam organon intemperan-
suo victu corrumpere experientia comprobat.
: alia exempla omittamus, Johannes qvidam Leo-
ensis, qvi cum metu militum in silvis se abscon-
ns diu radicibus & glandibus vixisset, odoratu
›os exploravit, homines inprimis venatores odo-
solo præsensit, eorumqvè insidias elusit, donec
qveis irretitus caperetur. Narrat rem suo tem-
ore factam *Kenelmus Digbæus in Demonstratione
mortalitatis Animæ Rationalis Tract. I. c.27. n. 7.*
ex eo *Du Hamel de Corporum affectionibus l. 1. c.*
Auditum Piscium, de qvo aliqvi dubitarunt ad-
uit *Franzius Part. III. cap.1. p.656.* & inter insecta
ibus vindicat *Part. V. cap.2. p.836.* Testaceis ne-
t *Bonannus Parte 3. Probl.25. p.239.* Avium diur-
rum, Cornicis, Vulturis, inprimis Aqvilæ per-
icacissimi sunt oculi, nocturnarum debiles. Pisces
culos habent hebetes, nullos Ostrea & alia testis
rentia. Insecta omnia oculis prædita juxta Ari-
stot.

ftot. *l.4. hist. an. c. 6.* lumbricos *Scaliger* excipit *Commentario;* Spondylam insectum hortulanis e osum, *Peyer de Ruminantibus l.1. c.2. p.5.* Observ tiones de oculis Insectorum *Abbatis de Catelan* ref runtur *in Actis Eruditor. Lipf. an.1682. p.161.* V acuto pollent inter Qvadrupedes Lynces & Dorc des, noctu etiam vident Hyænæ & feles. Talpæ v sum inficiantur multi cum *Franzio*, asserunt a nominandi *ad Part. I. c.28. p.338.*

26 *Per Cogitationem sive Phantasiam animalia magines objectorum acceptas recolunt, examinant, repetunt, altiusq; considerant.*

N. 1. Circa Sensum internum, qvo bruta perci piunt & cognoscunt motus ab objectis sensibilibus externorum sensuum organis excitatos ac per ne vorum fibras traductos, & in cerebrum continuato discernuntqve salutaria â noxiis, opiniones duas ex tremas, & unam mediam observamus.

N. 2. Una Extrema est eorum, qvi cum sensu bru torum rationem connectunt. Hi verò juxta signifi cationes varias, qvibus ratio accipitur, magis aut mi nus absunt â medio.

N. 3. Longissimè absurdissimeqve recedunt, q brutis & sensum & mentem ex veteribus absolu adscripsisse memorantur, ut ipsa aut in statum no bilitatis humanæ extollerent, veluti *Pythagorici* *Platonici*, aut hominem deprimerent in statum bru torum despicabilem, *qvod Epicurei fecerunt.* Qu re ut illi brutorum animas immortales, ita hi hu manas mortales esse dixerunt. *Repete annotation ad p.15.* Ad hanc Classem referendi, qvi belluis f tim qvibusdam etiam religionem seu veneratione

Num

ıminis inesse volunt, inter qvos inprimis nomi-
ıdus *Hieronymus Rorarius Exlegatus Pontificius*,
us duo libelli extant, *Qvod animalia bruta ratio-*
utantur melius homine.

N. 4. Moderatior est *Lactantius.* Is utut omni-
animantibus rationem, intelligentiam & cogi-
onem tribuat, homini tamen soli sapientiam,
qvam Deum & religionem intelligat, relinqvit.
·ba adscripsit *Franzius Part. II. cap. 25. p. 591.* Hoc
Lactantius concedit bestiis solum intellectum
cticum, qvo contingentia seu posita in nostris
bus, dirigimus, homini intellectum theoreticum
prium facit, qvi necessaria & divina contempla-
. Idem putavit *Plutarch. in libello, Bruta animalia*
ione uti Tom. II. Oper. p. 992. E. Idem censuisse *ve-*
·s JCtos colligitur, tum qvod jus naturæ omnia
malia esse docta dicant, jus enim sine ratione non
tum qvod jus gentium hominibus inter se com-
ne faciant, cujus præcipuam legem esse volunt
religione erga DEUM. Confer *Thomasii Phys.*
.38.

N. 5. Prope consistunt ad communem sententi-
illi, qvi rationale dicunt accipi vel pro facul-
colligendi unum ex alio, vel pro facultate in-
gendi & deliberandi. Posteriori sensu negant
ta ratione instructa, priori asserunt. Nam ani-
ia, maxime illa, qvæ & memoriam & sensum
itûs habent, qvæqve informari possunt, ut ele-
ntos, canes, psittacos, aliaqve, unum saltim
;ulare ex alio colligere posse, cum in finem
c memoriam dederit natura, ut prospiciant sibi
uturis, eaqve proseqvantur, qvæ jucunda, &

qvæ

fugiant, qvæ molesta esse meminerunt. Hinc di-stinguunt rationem, perinde uti memoriam, in sensitivam atqve intellectivam; illamqve brutorum eandem cum phantasiâ potentiam, ac Rationem impropriè analogiceqve, hanc hominum rationem præcipue proprieqve nominant. Ita *Gassendus Phys. Sect. III. l. 8. c. 4. Willis de Animâ Brutor. Part. I. cap. 6. & 7. de la Chambre & alii apud Matthæum Hal. de primâ Origine humani generis p. 178. Bonaventur. Baro Tom. II. Scoti defensi, in libros Physicos Aristot. Apolog. VII. Actione III. n. 8. p. 219. Melchior Zeidler in Analysi Poster. l. 1. c. XI. p. 228.*

N. 6. Nam communis sententiæ Patroni adscri-bunt cum *Franzio* bestiis *μίμημα* i.e. æmulationem, imitationem, umbram seu qvalemcunqve imaginem rationis, simulacra virtutum; qvatenus ea, qvæ a-gunt ipsæ per sensus suos internos, cum ab homini-bus fiunt, opera sunt rationis: verentur tamen col-lectionem unius ex altero in illis admittere, arbi-trati, omnes actiones absqve eâ ex instinctu so-naturali posse perfici, per qvem ad simplicem re-præsentationem objecti, ut belluæ conveniens v-noxium â Creatore æstimati, necessariò aut in-lud tum appetendo, tum se loco movendo ip-ruit, vel idem aversatur & fugit. Vide inter m-tos *Maignani Philosoph. Natur. c 28. n. 21. Du Ha-Philosoph. Vet. & Nov. Tom. II. sive Metaphys. Tr. III. Qvæst VI.* Qvod si igitur putemus per ta-impulsum solum, posse qvidem facere actiones i-animantia intellectu destituta, ad qvas exercen-innato qvodam impetu feruntur, puta cibum ca-re, propagare genus, & alias tales; non item

ǀvæ ex memoriâ provisioneqve sunt, non qvas ex-
rcitio & disciplina attingunt, nonnunqvam fere
ncredibiles, nisi unum ex altero singulari colli-
;ant, supererit omnis de voce Rationis contentio.
n qvâ nostro judicio Rationem melius homini da-
ıus propriam, ac illam imperfectam admodum
ollectionem, Phantasiæ nomine constringimus,
vam ideò *Franzius ἀκύρως* vocavit cogitationem.
iqvidē Cogitare Latinis proprie significat plura in
num cogere & velut ratiocinari, ceu docet ex *Var-
one Lipsius Physiolog. Stoicæ l.3. diss. XVII.*

N.7. Altera Extrema Opinio Bruta animantia si-
i effingit mera Naturæ idola, qvæ aures habent &
on audiunt, qvæ oculos habent & non vident, qvæ
aribus instruuntur, nec odorantur, qvæ linguâ
tuntur, nec sapores discernunt; i.e. qvæ omni sen-
ı vel perceptione & cognitione destituuntur, ac
on aliter moventur aguntqve, qvam horologia
ıechanicâ ratione; aut illi homunculi artificiales,
ᵥos agyrtæ qvidam micando digitis producunt;
ıt uti lignea Dædali venus circumactis oculis spe-
:antes contemplata, pedibus huc illuc mota, ut
ɔ omnibus vivere, ingredi egrediqve putaretur;
ıt sicut Nympharum imagunculæ â *Cornelio Dreb-
lio* in Angliâ fabrefactæ, qvas ferunt allucente
ɔle cavernis suis exivisse, & in aqvis lusisse: statim
latibula sua se recepisse, ubi Solis lumen ipsis e-
ptum aut obnubilatum esset. Qvod paradoxum
periori sæculo primùm scripsit *Gometius Pereira
hilosophus ac Medicus Hispanus* (vid. Voss. l.3. de I-
ɔlol. c.41.) nostro repetiit & aliis persvasit *Rena-
s Des Gartes, Dissertat. de Methodo part.5. p.34.*

D *sqq.*

ſqq. Parte IV. Principior. n.203. in Reſponſionibus ad Qvartas Objectiones p.126. Part.I. Epiſt.55. Part.II. Epiſt.40. & 45. Adde ex ſectatoribus ejus *Anton Le Grand tum in Inſtitutione Philoſophiæ Part.7. c.18 tum in peculiari Diſſertatione de Carentiâ Senſûs & Cognitionis in Brutis.*

N. 8. πρῶτον ψεῦδος Carteſianorum eſt, idem eſſe αἴσθησιν καὶ διάνοιαν, Senſum & Cogitationem, ideoqve ſenſum ſine mente eſſe non poſſe. Ex qvo uti olim tum Strato Phyſicus Theophraſti auditor, tum Æneſidemus Philoſophus Pyrrhonius (teſte Laërtio in ipſorum vitis, & Sexto Empirico adverſus Mathematicos cap de homine) beſtiarum, qvas ſenſu præditas videbant, rationem inferebant; ita hoc vitium vitaturi novi Philoſophi in contrarium currunt, & cum mente ab ipſis qvoqve ſenſum removent. Communis ergò ſententia cum Ariſtotele medium tenens, Senſum ſine mente in animalibus brutis invenit.

N. 9. Nos hic miſſis rationibus philoſophicis, qvas in *Diſſertatione Antonio Le Grand an.1676.* oppoſuimus, loca Scripturæ breviter annotamus, qvæ docent ſuo arbitratu opera DEI aliter comminiſci Carteſianos atqve facta ſunt. Nam in beſtiis eſt נפש חיה anima vivens, Gen. I. 3. Prov. XII. 10. רוח חיים Spiritus vitæ Gen. VI. 17. cap. VII. 22. רוח Spiritus Eccleſiaſt. III. 21. ſunt ſenſus tum Externi; *viſus* Num. XXII. 23. Aſina vidit Angelum; Job. XXXIX. 29. Aqvilæ in longum proſpiciunt; *Auditus* Job. l. d. v.24. ſq. Eqvus audit ſonum buccinæ; *Tactus* Num. XXII. Aſina Bileami ſentit verbera; *Odoratus* Job. l. d. v.28. *guſtus* Dan. IV. 22. Jon. III. 8.

III, 8, tum interni, *Phantasia & Memoria*, Jes. I. 3. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Jer. VIII. 7. Ciconia novit tempora statuta sua, & turtur & grus & hirundo custodiunt tempus adventûs sui; Judæ v. 10. perversi homines aliqva φυσικῶς ὡς τὰ ἄλογα ζῶα ἐπίστανται naturaliter ceu muta animalia sciunt; *Appetitus* Ps. XLII. v. 2. CIV. v. 11. Prov. XXVIII. 15. *dolor* gravissimus, qvalis parturientium, Job. XXXIX, 3. Unde etiam DEUS ipsa cum servis qviete refici vult Exod. XXIII, 12. Deut. V, 14. ob imparitatem oneris asinum cum bove conjugare prohibuit, c. XXII, 10. jumentorum urbem excisurus miseriâ tangitur, Jon. IV, 11.

N. 10. Adversus qvæ objecta sibi, novi Philosophi τὸ δὸν φάρμακον, receptâ suæ philosophiæ audaciâ adhibent, ScripturamS. uti de aliis rebus naturalibus, ita & de bestiis loqvi non secundum rei veritatem, sed apparentiam vulgiqve opinionem. Enimverò Philosophi in hâc de animalium sensu disceptatione ægre ferunt, Cartesianos velle omni sensu eos exuere, Theologi autem gravissimi indignantur eò nunc deductam, unde certitudo Scripturarum S. periclitetur & ludibiro exponatur perversis seculi hominibus.

N. 11. Cum ergo bestiis insit sensus, etiam somnus competit. *Aristot. de Somno & Vigiliâ c. 1. & 2. 4. hist animal. c. 10. Plin. l. 10. c. 75.* Somniare inper omnes animal parientes & qvadrupedes perhibet Aristoteles in historiâ ibid. Certè canes dormientes mutiunt hirriuntqve, latrant viso forte inimici fuste. Theocritus dixit Idyll. 21. v. 44. 45. ἐν

ὕπνοις πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, in somniis omnis canis offam auguratur. De oviparis dubitavit Aristoteles. At Scaliger in Commentario retulit Turdum, qvem habuit ipse, inter dormiendum sub alâ rostro posito succinuisse; sæpe etiam aqvilarum venaticarum & accipitrum genera excitari parata ad prædam repentino motu, nullo excito strepitu circum ea. Exinde *argumentum* sumimus pro bestiarum perceptione *contra Cartesianos*. Cur enim somnians latrat canis, cur maxillas collidendo qvasi offam vorat: si nihil cognoscit, nihil percipit, nihil appetit, nihil metuit?

N. 12. Qvædam animalia, uti hirundines, glires, muscæ, ranæ plurimaqve alia, tota hieme naturæ instituto dormiunt, sive intra glaciem sive intra alia latibula; Sopore adeò profundo, ut neqve secta, neqve puncta, neqve adusta sentiant, nec ullus omninò cordis motus superesse percipiatur. Vere autem ineunte motum & sensum â tepore aëris recipiunt, & interea qvandoqve uti muscæ calore hypocaustorum excitatæ, prodeunt, mox tamen se recondunt; & hirundines iis illatæ reviviscunt. Qvod argumento est, non verè fuisse mortua, sed cogitari debere cor qvasi automa cum adhibitis machinulis moveri, ex qvibus tenerrimis perruptis pulsationem semel abolitam non posse recuperari; ast machinulis illis solùm cohibitis frigore præcordia congelante, ubi soluta verno calore est concretio, Cordis pristinum motum redire. Similitudinem in nymphis Drebbelii elegantem habes supra relatis n. 7.

28 *Ubi ex concursu Spirituum formantur affectus*

ctus, lætitia, dolor, ira, odium] vid. Willis de Animâ Brutor. Part. I. cap. 8. Qvæ cum nobiscum de Brutis doceat *Le Grand in Dissertatione supra allegatâ de Carentiâ sensus & Cognitionis in Brutis*, suam ipse opinionem evertere videtur. Qva enim ratione bruta sine perceptione & cognitione cogitari aut dici possunt, *sensum voluptatis percipere* §. 39. 43. *pruritum & refrigerationem, onere se levata sentire* §. 40. *libidine titillari* §. 38. *spem habere, gaudium* §. 42. *molestè affici* §. 37. *timore deterreri, metu percelli & pungi* §. 40. 41. *dolorem molestiamve sentire* §. 44. *appetere utilia, fugere noxia* §. 39.

Agitatio vel partium Corporis vel Totius Corporis] Principium motus animalis sunt spiritus animales valde mobiles, organum immediatum musculi, mediatum nervi, qvæ instrumenta non solum in perfectioribus, sed & in insectis qvamplurimis observabilia sunt, in reliqvis præ exilitate sola intelligentia attinguntur. *(vid. Schwammerdam Hist. General. Insector Leewenhoeck Anatomiam pag. 11.)* Motus inde proveniens est vel secundum partes vel secundum totum. Illo animalia suo se loco continentia partem aliqvam corporis veluti caput, artusve movent, aut qvemadmodum Ostrea petris affixa, aliaqve Zoophyta motu (*qvem Thomas vocat Part. I. Sum. q. XVIII. a. 3.*) dilatationis & constrictionis. Hoc verò tota animalia se ex loco in alium transferunt vel *progrediendo* alternatione pedum seu binorum, seu qvaternorum seu plurium, ut in Insectis qvibusdam, qvæ ambulando simul & reptando longiore corpusculo se promovent; vel *volando* expansione & caudæ & alarum harumqve agitatione

 gitatione

gitatione in aëre, qvi pressus resistit, & ad meliorem in anteriora directionem ex peculiari avium conformatione retro urgetur; vel *natando* tum elevatione vesicarum aëre plenarum ventri inclusarum, tum caudæ inprimis directione, contorsione, vibratione, ac pinnarum laterorsum deflexione; vel *reptando* corpus nunc intendendo, nunc laxando, adeo ut reptilia altera sui parte terræ innitentia, progrediantur altera, serpentes qvidem per spiras, Lumbrici undulatim. De qvorum motuum varietate merentur legi *Aristoteles libro de Incessu animalium, Hieronymus ab Aqvâpendente de Gressu animal. Gassendus Sect. III. Phys. lib. XI. Honoratus Fabri de Homine lib. 4. Hamel Philosoph. Vet. & Nov. Tom VI Phys. Part. III. Tr. I. Dissert. II.* & præ cæteris *Joh Alphonsus Borellus de Motu animalium*, in qvo Opere ex Legibus mechanicis explicat motiones animalium. Summa ejus habetur *in Actis Eruditor. Lips. an. 1682. mense Novembr. pag. 351. an. 1683. mens. Januar. p. 32. mens. Febr. p. 36.*

MORALIA

Garruli.

I. Clamosiores bestiæ plerumqve nullam lanam ferunt, instar Canis aut ranæ: Ita ex garrulo parum commodi exspectandum. *Moller similitud. Physico Theolog. p. 563.*

NOCTURNI GRASSATORES.

II. Ex vocibus suis animalia cum non videmus, cognoscimus. Qvis homines se audire putet, qvi ebriosi noctu discurrunt boando, rudendo, hinnien-

ıiendo, cucurriendo, niſi meminerit ſtabula ·unc clauſa, e qvibus pecudibus egredi non eſt licen-:ia. *Vide Annot. ad pag. 13.*

FASTUOSI SPLENDIDI.

III. Animantia qvibus longa ſunt crura, iis-lem longum ſit collum oportet: Ita qvi magno ɫrepitu ſtudent vivere, longius rapiant neceſſe eſt, ınde ſuppetant ſumtus. Eraſmus apud Lycoſth. in imil p. 489.

VANA GLORIA.

IV. Tineæ, Teredines, Culices aliaqve inſe-ɫa juxta Peripateticam philoſophiam (pag. 21.) ex ›utri materia naſcuntur: aſt fœtidiſſimus vermis ʻanæ gloriæ ex ſemine recenti & generoſo homi-ıum culpa prodit, ex larga eleemoſynâ, ex proli-:is precibus, ex concione eruditâ & fervidâ, ex ſci-:ntia magna, ex præclaris in Eccleſiam & Rempubl. neritis. Nulli ſtatui, ætati, ordini aut ſexui parcit, ıtqve omne robur virtutis ac medullam enervat, vi-ʒorem omnem ac virorem laudabilium operum de-›aſcitur.

VIRI DOCTI MAGISTRI ALIO-RUM.

V. Volucres, qvos fructus arborum prius ›ræguſtaverint in Inſulis ac regionibus peregrinis, ndicant eſſe hominibus eosdem innocuos (p. 25.) ʻiri, qvi exercitatos ſenſus habent ad diſcernendum ›onum â malo, mōſtrant juvenibus & imperitis cum ıovæ opiniones diſſeminātur, ſuum grave præferen-tes judicium, qvasnam tutò amplecti liceat, qvas averſari oporteat.

CAP. III.
DE DIVISIONIBUS ANIMALIUM IRRATIONALIUM.

29 N.1. Difficile est invenire unam generalem divisionē, cujus membra species omnes vel præcipuas semel continceant, ut non ad varia aliqvæ referri qveant. Patebit hoc facile singulas divisiones *à Franzio* allatas expendenti.

N. 2. Commodissima varietati incredibili discernendæ à multis habetur Prima, qvâ bestia, ut ipse qvoqve *Aristoteles habet l.1 hist.an.c.4.* alia ἔναιμ☉ sangvinea, i.e. liqvore purpureo intra arterias & venas fluctuante, prædita, alia ἄναιμ☉ i.e. sangvine carēs dicitur; tametsi posterius hoc membrum divisionis sit negativum, prius falsum iis, qvi negantes sangvinis essentiam consistere in purpurâ, omnibus animalibus sangvinem suum esse perhibent (vide supra ad p.9.) Franz.in explicatione hujus divisionis scribens qvædam bruta aqvatica longe majora sangvineis, hæc terrestria sine dubio in animo habuit, cum & pisces sint sangvinei.

33 N.3. Franzii in Tabellâ delineata distributio satis videtur commoda, in qvâ juxta primam editionem an.1612. ἀμφίβιον male veluti species integri animalis opposita reliqvis â motu descriptis speciebus collocatur, rectè in proxima ab hac editione an.1671. & in sextâ an.1659. item in tertiâ an.1621 qvartum genus insectorum constituit â loco, in qvo vivunt, ordinatorum. Licet enim in integris animantibus luculentiora adhuc exempla extent amphibiorum, qvam in genere insectorum, illorum tamen in subdivisionibus demum habetur ratio.

N.

N. 4. Insectum Noster describit, cujus caput :liqvo corpori est qvidem contiguum, sed non ›ntinuum. Non placet, cum caput in qvodam li- :t non undiqvaqve cum corporis reliqvi partibus :terioribus, cum interioribus tamen connexum :, in alio insectorum genere vix discernatur. Po- erius in qvamplurimis vermibus conspicitur; Prius ›se asserit infra Part. V. cap. I. docens in integris ma- is continuo ductu caput adhærescere reliqvo cor- ori, & à cæsuris suis insectum esse appellatum.

N. 5. Porrò qvoad amphibiorum classem mul- ı de nominis acceptione contentio intercedit. Hinc :gas ab aliqvibus aves palmipedes anseres, anates, ycgnos, & inter qvadrupedes ranas, aliasqve cum iis connumerari, ab aliis eximi. *Aristoteles l. 8. hist. nim. cap. 2.* ἀμφοτερίζοντα sive, ut Cicero vertit, estias ancipites existimat, qvæ aërem recipiunt ac enerant in terrâ, cibum autem petunt ex aqvati- is locis, & maximam partem in aqvâ degunt. Se- undum qvam descriptionem dicentur *amphibia ex vadrupedibus* Crocodilus, Cordylus, Scincus, Hip- opotamus, Castor, Lutra, Ichneumon, Salaman- ra aqvatica, Testudo matrina; *Ex Avibus*, Anas, ınser *(vid. Franz. Part. II. cap. 9. p. 421.)* Cycnus, *consentiente Franzio, Jonstono, Schotto,)* Mergus; *serpentibus* Natrix.

N. 6. In Scripturis S. animalium qvatuor re- censentur summa genera; בהמה qvadrupes, עוף vis, רמש reptile, דג piscis. Qvæ homini subjici- ntur Gen. I. 26. c. IX, 2. Jacob. III, 7. in iis munda b immundis distinguuntur Levit. XI, 46. 47. qvo- um imagines Judæis prohibentur Deut. IV. 16. 17. 18.

 de

de qvibus Salomon disseruit 1. Reg. IV, 33. in qv
DEUS judicia sua exercuit Ezech. XXXVIII, 20. Ub
reptilium nomine non solum ea, qvæ humi verè re
punt, intelliguntur, sed etiam insecta qvævis & qva
drupedum minima, mures, talpæ, mustelæ similia
qve his animalia, qvæ ob exiguos pedes serpere ma
gis qvam gradiri videntur.

N. 7. Etsi vero hæc distributio naturæ bestiarum est conveniens, & ad usum Sacrum inprimis V. T. accommoda, qvam in explicandis qvoqve animalibus Scripturæ bene secutus est *M. Frey in θηρ-βιβλίοις*, *Bochartus* tamen Græcorum divisioni pluribus, ut ait, receptæ insistens, bestias tribuit in qvadrupedes, aves, serpentes, insecta & aqvatica. Cujus priora tria membra cum â differentiis motûs, qvartum â qvalitate Corporis, qvintum â domiciliis sit petitum, fit, ut aqvatilibus Insecta qvædam sint immiscenda, qvod fecisse illum disces *ex Hieroz. Part. I. p. 51.*

N. 8. Sub generali autem ordinatione animalis regni â Franzio factâ, non solùm ab ipso commemoratæ distributiones cæteræ pro classibus specialibus constituendis inservire possunt, sed & aliæ â qvalitatibus depromendæ partitiones, puta, alia animantia esse inter se amica, alia inimica; qvædam esse innocua, qvædam venenata.

N. 9. Utriusqve ordinis exempla in progressu Historiæ Naturalis occurrent. Hic qvæstio injici potest, an ob origine suâ primâ ita fuerint? Affirmarunt *Augustin. l. 3. de Genesi ad literam cap. 16. lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 20. Thomas Part. I. q. 96. a. 1. ad secundum; Cajetanus, Tostatus.*

Corne.

rnel. à Lapide ad cap. 1. Genes. Stengelius in The-
tro Bibl. l. 6. c. 1 Estius in lib. 2. Sentent. Dist. XV. §.
p. 152. Nieremberg. histor. Natur. l. 4. c. 30 31. con-
rietatem qvâ Ovis Lupum, mus catum, columba
ipitrem aversatur esse naturalem, extitisseqve in
u mundi primævo ante lapsum hominum, qvo
tiæ carnivoræ non nocituræ qvidem homini do-
no suo, æqve ut nunc infirmiores palatui suo
itas, laniaturæ ac voraturæ erant. Negarunt
sephus l. 1. Antiq. Jud. cap. 2. Augustinus ac Tosta-
posterioribus cogitationibus, ille *lib. 1. Retract. c.*
hic *supra 13. caput Genes. qvæst. 272. Basilius ho-*
. 11. in Genes. Beda in libro de Sex dierum Creatio-
, Pererius in Genes. l. 4. p. 236. Hottinger in Exa-
re Historia Creationis p. 229. 230. existimantes na-
ali instituto bestias debuisse herbis vesci juxta
n. I, 30. ex hominis autem peccato factum esse,
aliæ aliis sint in cibum. Problema hoc est, cujus
nen affirmatio verisimilior apparet, cum mortali-
qvoqve illarum non ex hominis peccato, sed ex
uræ instituto primo originem habeat.

N. 10. Venenum itidem suum habuisse, non
citura tamen homini animantia probabiliter as-
uerunt *Damascen. l. 2. de Fide c. 25. Augustin. l. 3.*
Genesi ad literam c. 15. lib 1. de Genesi contra Mani-
os c. 16. Tractatu I. in Johan. lib. 1. contra Julian.
ubi etiam Joh. Chrysostomi verba pro hâc sen-
tiâ citat, *Theodoretus in Genesin q. 18. Thomas P.*
Q. 72. in resp. ad 6. Estius in lib. 2. dist. 15. n. 4. p.
Cornel. à Lapide ad Genes. I. 24. Nieremberg. hist.
. l. 4. c. 33. Zanchius de Operib. DEI Part. II. l. 1.
70. Danæus Phys. Christ. Part. I. c. 42. Libav. de
Univer-

Universitate & Origine Rer. l.4.p.254. Gesner.in Ge nes.p.24. item Calov. p.202.203. Varenius p. 92. e Tostatus, Hunnius, Taurellus *lib.1. de Mundo p.2* Hottinger *Histor. Creat p.232.* malint serpentes si veneno creatos, qvod ceu peccati pœna per eos dei de mundo immissum fuerit.

N. 11. Præter has naturales animantium dif ferentias, memorabilis est ex peculiari institution divinâ in Veteri Fœdere, alia fuisse munda, alia im munda, partim qvoad usum sacrum in sacrificii partim qvoad profanum in cibis. Nam qvod rect scripsit *Justinus Martyr in Qvæst. & Respons. ad or thodox. Respons. ad Qvæst.XXXV. p.321.* munda vo cantur διὰ τὴν φύσιν, immunda διὰ τὸν νόμον, se cundum legem. Munda in sacrificiis dicebant τὰ θύσιμα immolabilia ex qvadrupedibus, Oves capræ, boves; ex volucribus, columba & turtur; cæ tera immunda reputabantur. Qvoad esum mundo rum vel immundorum signa & catalogus haben Levit.XI. & Deuter.XIV.

N. 12. In Rationes hujus præcepti â Sapienti simo Legislatore, qvi inqvisiverunt, in varias sen tentias abierunt. Qvidam id constitutum parave runt solo DEI beneplacito, cujus ratio nos late Ita *Cunæus l.2. Rep. Hebræor. c.24.* Qvidam causa aliqvas ejus meditati sunt, alii qvidem naturales, a morales, alii mysticas, alii plures ex illis conjunx re, qvorum classi adscribendus *Franzius.* vide *h parte, cap.5.p.61. & alibi.*

N.13. Ast *Joannes Spencerus Theologus Angl de Legibus Hebræorum Ritualibus l.1. c.5.* postqv *sect.1.* rationes assignari solitas vanitatis arguiss

s

7.2. veras suâ sententiâ alias septem (etsi octo
arginalis summa promittat) assignat. *Primam ac
ecipuam* ait, ut Deus Judæorum gentem, qvam si-
in peculium sumserat, â cæteris mundi gentibus
ararat; Levit.XX, 24.25.26. *alteram*, singularem
ntis Israelititæ dignitatem & excellentiam, qvæ
stulavit, ut cibo peculiari & dignitatis alicujus
eciem ferente pasceretur; Exod. XXII, 31. Deut.
V, 2.3.21. *Tertiam*, ut legis illius observatio indi-
ret, Judæos DEO sancto dicatos, Levit. XI. 43.
. 45. & XX, 24.25.26. *Qvartam*, ut puerilis he-
æorum natio sub legis illius pædagogiâ ad pri-
a qvædam sanctitatis & veræ puritatis elementa
scenda duceretur, Levit. XI, 44.45. & XX, 25.26.
Petr. I, 15.16. *Qvintam*, qvod Deus ad antiqvio-
m gentium consvetudinem Ægyptiorum mori-
s confirmatam se accommodare vellet; qvam ra-
onem etiam *Marsham* prodidit, *Canon Chron. Se-
l. IX. p. 213. Sextam*, ut Judæos mundos, gentiles
mundos mysticè significaret Act. X, 28. Levit. XX,
. 25. 26. *Septimam*, ut Israelitæ â profanis gentibus
scernerentur, iisqve nec sangvine, nec religione,
c usu familiari jungerentur; *Levit. l.c.*

N. 14. In quâ Rationum partim moralium
rtim mysticarum connexione omissam videmus
ysticam eamqve omnium principem ab Apostolo
nificatam Coloss. II, 16.17. *Neqvis igitur vos judi-
in cibo ac in potu, aut in parte diei festi, aut no-
lunii, aut sabbathorum: Qvæ sunt umbra rerum
turarum, corpus autem Christi* Qvod enim *Spen-
r* dicto l. 1. c. XI. sect. 2. p. 186. excipit, vocem σκιὰν,
i corpus è regione respondet, non relativè, sed
compa-

comparative & per modum oppositionis intellig qvasi dictum sit, cibum, potum, novilunia, Sabbatha & religionem circa Legis ritûs & solennitate externas occupatam, meras esse umbras, res nec solidas nec duraturas; at Christum ejusqve religionem corpus esse, h. e. rem solidam & perpetuam repugnat (1) phrasi, qvâ legalia σκιὰ τῶν μελλόντων relativè, significativè ac repræsentative ad Christum tanqvam ad corpus dicuntur, perinde uti Hebr. X. 1. Lex σκιὰν ἔχειν, umbram obtinere dicitur, μελλόντων ἀγαθῶν futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem. Umbra futurorum est omnino repræsentativa eorum; siqvidem omnis umbra corpus à qvo est, repræsentat. (2.) contextui verborum Apostoli, qvem post alios deduxit *Coccejus in Commentar. Tom. V. Oper.*

N. 15. Qvare cum analogiâ fidei magis convenit *Heideggeri* Reformatæ itidem Ecclesiæ Doctoris sententia, *in Epistolâ Peyeri Commentar. de Ruminantibus adjectâ*, censentis sententias varias de causis discriminis inter cibos constituti conciliari posse, si ejus ratio per se & præcipua mystica ad Christum referatur, secundaria verò & principalis instituti adjuvantes, morales & naturales habeantur. Nimirum Deus in illâ lege præcipuè intendit, ut hominum peccatorum nondum sangvine Christi actu expiatorum ἀκαθαρσία symbolicè repræsentata, Patres omnem in solo Christo munditiem & puritatem verâ fide in sangvine ejus à peccatis omnibus purificante unicè acqviescentes confiterentur: atqve interea promissum Messiam exspectantes ab omni populorum reliqvorum, qvos eâ de ie...

ge immundorum animalium symbolo, immundos
:claravit, contagione immunes se præstarent, &
u populus DEI peculiaris & sanctus ei uni soliq;
voti integrâ fide & ex præscripto ejus adhæresce-
ıt. Ad hoc mysterium significandum pro suâ sa-
:ntiâ & bonitate Legislator ea potissimum ani-
ılia munda declaravit & cibo solito destinavit,
æ & valetudini humanæ præ cæteris conducere,
simulacra qvædam virtutum continere cognovit
›nfer *Peyer. de Ruminant. l.3. c.5. & ipsum Spen-
·. l.c. sect.3. p.113. sqq.* ubi nonnulla Legis institu-
ad res mysticas & Christi beneficia adumbranda
rtinuisse, sed secundariò fatetur, ex naturâ finis
mediorum redarguendus. Certè ultimus Finis
gis, Christus, ad qvem reliqva referuntur, est pri-
ırius.

N. 16. Usum ex bestiis multiplicem capimus
n ad vitæ necessitatem commoditatemve, victum,
ıictum, medicinam, vecturam, custodiam, tum ad
unditatem delectationemqve.

N. 17. Carnium de illis esus an antediluvia-
hominibus etiam â Deo concessus & in usu fue-
, multum disputatur? Negant *Talmudistæ in San-
lrim cap 7.* eosqve secuti *Rabbini, Salomo, Aben
·a, & alii â Menasse Ben Israel citati in Concilia-
e Qvæst IX. in Genesin; ex Patribus pleriq;*; *ex
·ologis Pontificiis Lyranus, Tostatus, Carthusia-*
; Ex Nostris *Lutherus, Brentius, Pelargus, Ger-
·dus, Lyserus Commentariis in Genesin*; Inter Re-
matos *Zwinglius, Martyr, Zanchius, Franci-
s Junius, Martin Schoock*; Ex Arminianis *Cur-
æus*; Inter Philosophos *Libavius, Bodinus, Kip-
ping,*

ping, Senguerd Exercit. Phyſ. p.20. Le Grand. Inſti Philoſoph. Part. VIII. c.5. qvi longævitatis hom num antediluvianorum cauſam abſtinentiæ ab ſu carnium adſcribunt. Rationem habent, qv Gen. I.29. hominis victus, olera, herbæ, arborun qve fructus præſcribuntur omiſſis animalibus, qv rum eſus demum permiſſus legitur poſtdiluvian C. IX, 3.

N. 18. Affirmant Papiſtæ, *Cajetanus, Fran ſcus de S. Victoriâ, Dominicus de Soto, Vatablus, Sa lianus*; Noſtri; *Hunnius, Dannhauerus*; Reforma *Calvinus, Parcus, Jacob Capellus, Rivetus, Cocc jus, Hottinger. Gisbert Voetius', Cartwigthus, Bo chartus, Johan de Mey, Heidegger*; Rationes qva plurimas non exſcribimus, qvas collegerunt pr cæteris *Rivetus in Cap. IX. Geneſ. Exercit. LVIII. Tom I. Oper. p. 232. & Heidegger. tum in Diſſertatio Curcellæo oppoſitâ de Libertate Chriſtianorum â Le cibariâ veteri, tum in Hiſtoriâ Sacrâ Patriarchar Exercitat. V. Heereboord. Exercit. Eth. 50.* Tantu hoc non eſt prætermittendum, inter laudatos Vir doctos *Capellum, Coccejum, Bochartum, Heidegge rum* exiſtimare locum Gen. I, 29. â diſſentientib oppoſitum ſuæ ſententiæ non obſtare, immo p tius eandem rectè intellectum continere. Vertu enim textum Hebræum hac ratione: *Ecce do vob omnem herbam ſemen facientem, qvæ eſt in totâ te râ & omnem arborem, qvæ habet fructum arb reum ſemen facientem, vobis erit ad comedendu immo etiam omnem beſtiam agri, & omnem alitem c li, & omne qvod ſe movet in terrâ, in qvo eſt anima v va, cum omni olere herbaceo in cibum.*

N.

N. 19. Inter utramqve dictam sententiam, me-
lia est opinio *Pererii lib. 14. in Genes. p. 516. Martini*
)el Rio in Genes. cap. I. & IX. Cornel. â Lapide in Gen.
X. Varenii in Genes. p. 152. Ursini in Miscellan. p. 182.
nte diluvium permissum fuisse carnes edere, ab iis
ımen viros sanctos, putà posteros Sethi, abstinuisse.
.llegant pro se *Chrysostomum*, *Theodoretum*, *Tho-*
ıam de Aqvino.

N. 20. Qvicqvid sit de hoc problemate, cujus
ffirmatio aut negatio unicuiqve libera relinqvi po-
:st, certum est postdiluvianos, ex jure donationis di-
inæ sive primùm factæ sive repetitæ, potestatem ha-
ere sine tyrannidis aut injustitiæ metu in animali-
m vitam, sine conscientiæ scrupulo eorum carni-
us vesci, damnareqve recte superstitiosam Pytha-
oreorum veterum & modernorum inter Japonen-
:s, Chinenses, aliasqve impias gentes, abstinenti-
n â cæde & esu bestiarum, qvas ægrotantes etiam in
osocomiis instar hominum ægrotorum bene cu-
ınt. vid. *Philip. â SS. Trinitate Itinerar. Oriental. l.*
c. 5. l. 7. c. 4. Petrus della Valle P. II. p. 38. P. IV. p.
.. b. Tavernier P. II. p. 151. Erasm. Francisci in Ge-
hicht-Kunst und Sitten-Spiegel *p. 979. & 1124.*

N 21. Restringere autem illam potestatem o-
m placuit supremo Numini apud populum suum,
ım sangvinem excipiendo Gen. IX. 4. Levit. XVII.
12. Devt. XII. 16. 23. c. XV. 23. tum mundorum so-
m, qvæ ipse declaraverat, esum concedendo prohi-
tis immundis. Prioris interdicti ratio haut obscu-
addita est, & â *Chrysostomo in Genes. homil. 27. p.*
42. aliisqve melioribus interpretibus bene intelle-
a; nimirum ut mundi renascentis incolæ â seculi

antediluviani feritate (Gen. VI. 11.) coërcerentur & ut ii, qvi modestiam & clementiam in ipsum brutorum sangvinem exercere didicissent, ab humani sangvinis effusione religiosè abstinerent. A qva lege diversa est, qvæ prohibet comedere על הדם super sangvine Levit. XIX. 26. qvod consvevisse idololatras antiqvissimos, ad societatem cum dæmonibus ineundam, & scientiam futurorum captandam, erudite ostendit *Spencerus lib. 2. de Legibus Ebræor. cap. XI.*

N. 22. In discriminis, inter mundas ac immundas bestias constituti à Deo causas, inqvisivimus n. 12. 13. 14. 15. Id jam obtinuisse ante Legem per Mosen datam, saltim ratione sacrificiorum, ex peculiari revelatione Patribus facta, aliqvi colligunt cum *Riveto*, partim ex Gen. VII. 2. 8. partim ex usu sacrificiorum. Ast *Judæi ac Christiani nonnulli* κατὰ πρόληψιν munda ac immunda l. c. dici opinantur, qvæ Noachus afflatu divino tum providerit post octo fere sæculorum decursum à Mose declaranda. *Grotius in l. d. ac Curcellæus Institut. Relig. Christian. l. 4. c. XI. n. X.* conjiciunt, ante datam Legem Mosis immundarum bestiarum nomine intelligi eas, à qvibus comedendis homines ipsâ naturâ docente fugerunt, vel qvas altaribus nunqvam admoverunt.

N. 23. Utraqve Lex, cum ad ceremonias veteris Fœderis pertinuerit, apud Christianos novos Deo fœderatos exspiravit. De mundorum ac immundorum differentia sublata peculiariter constat ex Actor. X. 15. Rom. XIV. Colosf. II. 16. 1. Tim. IV. 3. 4 5. De Sangvinis esu, argumentum haut leve dedit dubitandi decretum, in Concilio Apostolorum promulgatum Actor XV. 20. ecclesiis propositum v. 29. repeti-

etitum cap. XXI. 25. ut abstinerent gentiles ad DE-
m nuper conversi ab iis, qvæ immolata erant simu-
cris, à scortatione, & suffocato & sangvine. Hoc
nim ipso Apostolos, legem illam Mose antiqviorem
e non edendo sangvine, restitutam vigori suo pristi-
o perpetuam esse voluisse, non solùm singulares
cclesiæ Christianæ seculis qvibusdam censuere, sed
tiam Ecclesiæ Orientales Græcæ ac Æthiopicæ sem-
er, Occidentales per multa sæcula crediderunt, ac
oncilia nonnulla sanxerunt. Nostro sæculo irre-
ocabilem illius obligationem propugnavere *Hugo*
rotius in Annotation. ad Gen. IX. Levit. XVII. A-
tor. XV. Claudius Salmasius in Libro de Fœnore
rapezitico, Stephanus Curcellæus in Diatriba de esu
angvinis inter Christianos, qvi Gerhard. Joh. Vossi-
m & David. Blondellum consentientes nominat;
hristian Becman Exercit. Theolog. XXVI. Christopho-
us Christophori Sandius in Nucleo Historiæ Ecclesia-
ticæ, Jeremias Felbinger in Demonstratione Chri-
tian. Thomas Bartholinus in Disqvisitione Medica de
angvine vetito; Christianus Theophilus personatus
n Disqvisitione uberiore pro Bartholino contra
Vandalinum; Tractatus Gallico sermone editus Colo-
iæ an. 1678. de vetito sangvinis esu, cum testimoniis
atrum ac Conciliorum idem statuentium, auctore
usebe Eremite Exocionite. Inter rationes potissi-
nam habent, qvod cum stupro, vitio in perpetuum
bominabili, sangvinis comestio sit prohibita. Vi-
issim temporarium tantùm illud interdictum fuisse,
ommunior hodie Christianorum sensus est, qvem
efenderunt adversus *Grotium Calovius in Bibliis Il-*
lustratis, adversus Curcellæum ex instituto, Salma-

sium & Becmannum dat â occasione Heidegger in Dissertatione de Libertate Christianorum á lege cibaria veteri; contra Bartholinum Johannes Wandalinus Selandiæ Episcopus in Disputatione post mortem ipsius â Witzlebio Theologo Haffniensi emissâ an. 1675. adversus Theophilum & Eusebium Eremitam Joh. Wandalinus Filius in vindiciis Libertatis Christianæ circa sangvinem escarium. Confer Bochart. P. I. Hieroz. col. 11. Spenceri Dissertationem ad Act. XV. 20. annexum lib. 2. de Legibus Hebræor. Ritualibus, Joh. Heinrici Maji Historiam Animal. l. 1. c. 2. p. 40. seqq.

N. 24. Qvæ verò ratio impulerit Sanctos viros pro eo tempore sic decernere, non convenit inter defensores Libertatis Christianæ; indeqve ad præcipuum ante dictum argumentum non una est ipsorum & nonnullorum sat impedita resolutio. *Spencerus* repudiatis aliorum opinionibꝰ qvatuor illa gentilibus ad Christianismum migrantibus interdicta fuisse arbitratur ob rationem duplicem, unam primariam, alteram secundariam. *Præcipua* erat: Quod hæc omnia locum præcipuum in gentium ritibus & institutis obtinerent, & gentilismi vel Idololatriæ causæ, comites & signa sæculis Apostolicis essent & haberentur, unde necesse fuisse, ut gentes ad Christum conversæ ab istis in primis abstinerent, ut constaret, se Idololatriæ, communi gentium errori nuncium remisisse, nec qvid obstare, qvo minus Judæi amicitiæ dextram illis porrigerent, & in eandem cum iis Ecclesiam & societatem coalescerent. *Secundariam* ait, partim, ne qvid Judæis offendiculo esset in gentilium conversorum moribus; partim ne gentiles nuper conversi moribus cum Ethnicismo conjun-

junctis indulgentes, eorum illecebris ad ipſum rurſum inducerentur; partim ne gentiles non plenè converſi ſcandalum caperent. Qvare cum Apoſtoli decretum hoc ad idololatriam ejusqve ſpeciem omnem eliminandam fecerint, non tam ad rerum hic vetitarum naturas, qvam gentilium cultus, animos advertiſſe, & conjunctim ea omnia prohibuiſſe, qvod idololatræ in ſuis ſacris his præcipuè, ſæpe conjunctim uterentur: illud verò primævam obligandi virtutem amiſiſſe, ceſſante causâ inſtituendi, & ritibus vetitis oblivioni traditis: ſcortationem nihilominus ut annexam ſuperſtitioſo cultui prohibitam, ex alio legis moralis interdicto manere abominandam.

MORALIA

I. HOMO HOMINEM PERSEQVENS.

Usqve qvò invicem inſidiamur ut beſtiæ, ſicut piſces maris? magis autem beſtiæ non inſidiantur invicem, ſed in ſuo genere probè degunt, congregantur & ſtant contra diſſimiles. Leonum feritas inter ſe non dimicat: Urſa urſam non interimit; Serpentum morſus non petit ſerpentes: ne maris qvidem belluæ ac piſces, niſi in diverſa genera, ſæviunt. Tu homo etiam decem millia habens jura, naturæ cognationem, rationem, cognitionem Dei & alia, interimis hominem, fratrem, & involvis decem millibus malis: licet gladium non mergas, neqve tingas in jugulo, alia ſæviora committis. Hoc ſi faceres, ſimul cum curis omnibus liberares: nunc autem fame, dejectione, ſervitute, & aliis multis peccatis affligis. Contineamus ergò manus noſtras à

tali homicidio, immò magis extendamus ad Eleemosynam. *Chryſoſtomus homil. 29. in Epiſt. ad Hebræos.* Obſerva, hæc, qvæ de amicitia belluarum ejusdem generis referuntur, multas habere exceptiones. vide *Redum de Generat. Inſectorum p. 161. ſqq.*

II. INVIDIA.

Ut feris bellum eſt cum iis, qvæ iisdem aluntur, cum cæteris pacem agunt: Sic invidia & æmulatio inter ejusdem artis profeſſores. Nam pugili cum curſore convenit. *Plutarchus apud Lycoſth. p. 363.*

III. PRÆMIA VIRTUTUM.

Xenophon in Oeconomicis prodidit, animantia duabus rebus potiſſimum adduci ad obtemperandum, cibo, ſi qvod fuerit abjectius: aut delinimento ſi generoſius, velut eqvus: & plagis, ſi contumacius, velut aſinus. At homo cum ſit animal generoſiſſimum, non tam minis ac ſuppliciis cogi, qvam præmiis oportebit ad officium invitari legibus. *Eraſmus de Inſtitutione Principis.*

IV. AFFECTUS PRAVI VINCENDI.

Qvid cauſæ exiſtimatis tot heroum inſignia, Leones, Urſos, Apros, Tigres, aliaqve ferocia animalia referre; non alia eſt, qvam viros magnanimos in venatione primùm ſe fortes, ſtrenuos, audaces, ſubinde Duce ac Principe inſpectante oſtentaſſe, ac cruenta iſtiusmodi ferarum capita, dum ut opima ſpolia Dominis ſuis deferrent, eo honore decoratos, ut inter inſignia referrent. Virtus qvæ in vena-

renatione prælusit, in Martis palæstra, in atrocissimis prælris incrementum sumsit, & maximè eluxit: itqve hæc est arena; hic campus, qvi viros fuso sangvine, & mille adverso pectore acceptis plagis, vere Nobiles fecit. Ab hac bellica fortitudine omnes tituli, omnia insignia, gentilitiæ tesseræ, illustres casſides profluxere. Qvid Davidem, pauperculum opilionem, Regis generum effecit? nisi excelsus ille animus, invictum animi corporisqve robur, qvo Leonem & Ursum, qvo Gigantem prostravit? qvæ regia ejus insignia, nisi exuviæ Leonis, nisi caput Goliathi? sic eum sacræ paginæ depingunt, caput Philistæi habentem in manu I. Sam. XVIII. 6. Si vos Mercatores, Medici, Causidici, præclara nobilitatis insignia ambitis, animos Davidis induite, Leonem & Ursum, iracundiam, inqvam, & vindictam, atqve omnium belluarum animi ferocissimam, Goliathi instar, jugulare satagite. Saul regnum Davidi vaticinatus est 1. Sam. XXIV. 21. *Scio, qvod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu regnum Israël.* At unde obsecro hoc scivit? ex heroico Davidis facinore, ex illustri victoria, qva non Leonem aut gigantem, sed iram omni belluâ immaniorem superavit; dum hosti pepercit, nec ultus est; sed oram chlamydis rescidit, cum cervicem posset. Et hæc ipso Saule judice visa est virtus regia, unde meritò insignia petenda. *Henricus Engelgrave Cælestis Panthei Part. 2. pag. 31.*

V. PII FIDELES RUMINANTIBUS ANIMANTIBUS SIMILES.

Pecudes communiter putantur animalium vilissi-

ſiſſima, etiamſi reapſe nulla ſint utiliora: ſimiliter etiam hominibus piis nihil vulgo abjectius aut exoſum magis cenſetur, qvibus tamen impii, qvod ſubſiſtant, debent. Pecora paſtum avidè decerpunt ac ingerunt, ut habeant qvod ruminent; ita fideles è Sacra Scriptura & catechetis maturè addiſcunt, qvæ ipſorum meditationibus & ædificationi deinceps inſerviant. Illa porro greges freqventant, paſtorem ſecuta; hi cætus ſacros, duce Chriſto & auſpice. Ruminantia bruta ferme ſunt mitia & tractabilia naturâ, nec aggreſſoribus admodum reſiſtunt: ſic probi æqvanimes facile tolerant omnia; & vim pati propter Chriſtum vel cum diſpendio vitæ ſatius ducunt, qvam alios injuriâ afficere aut â fide deſciſcere. Ruminationi otium armenta deligunt, qvod ſæpius captant in umbra: pariter & ingenuos Numinis cultores mundo ſæpius nuncium mittere expedit, ac identidem qværere ſeceſſum, ut familiarius cum Deo tranſigant. Qvò rudius pabulum brutis ſubminiſtratur, hoc vehementius ruminant, hieme potiſſimùm. Eadem DEO credentium natura: qvanto enim durius tractantur, tanto fortiori contentione precum, qvæ ſpiritualis ruminatio validiſſima eſt, adverſa qvæqve ſubigunt. Idqve iis plurimum uſu venit, cum ſævientibus tentationum & perſecutionum dirarum tempeſtatibus prope rediguntur ad incitas. Animalia cum ruminant, valent; ſiqve ruminationem ſtrenuè continuaverint, pingveſcunt: Pii qvoqve, qvi Chriſtum rectè ruminant, ſalvabuntur æternùm. Neqve tædium his ullum aut ſatietas obrepit, ſed qvò plus ruminati fuerint, eò majori cum delectatione ſe profeciſſe ſentient. Oraculo

ılo pecudes olim mundæ pronunciabantur, offebanturqve Deo in ſacrificiis. Chriſtianorum ve‑ı is labor princeps ſtudiumqve ſit, ut incontamiıtum & purum vitio cor conſervent, ſeqve totos eo ſacrificent, ſcientes ſibi paratam eſſe manſiom in cœlis, qvam pollutum nihil unqvam ingreetur. *Ex Peyeri Commentario de Ruminat. l. 1. c. p. 197.*

VI. ECCLESIA VISIBILIS MULTOS MALOS ET HYPOCRITAS, PAUCOS ELECTOS HABENS.

Plura mundorum qvam immundorum animaım in arcam Noachi convenire voluit DEus Gen. I. 21. in Eccleſiæ cœtu, omnes mundos & ſanctos eſ‑ vult 1. Theſſ. IV. 3. 7. Epheſ. I. 4. ſed proh, plures nt homines immundi & mali, qvam homines mun‑ & ſancti, plures Leones, Urſi, Tigrides, Lupi, ılpes, vultures, qvam oves & agni, columbæ & ırtures.

Proloqvium
ıE QVADRUPEDIBUS IN GENERE.

N. 1. Non inutiliter Franzius Avium, Piſcium, :rpentum, Inſectorum contemplationi prolegoena qvædam fecit. Nos hîc omiſſa de qvadrupebus ſupplemus.

N. 2. Qvadrupedia, Græcis τετράποδα dicunr, qvod qvadrupedent, ſeu qvatuor pedibus graantur. Hebræis בהמה, qvo qvadrupes ipſi vount, qvadrupliciter ſumitur: (1) generaliſſimè pro

omni bruto, ut notavimus additâ nominis ratio
ad pag. 2. (2) generaliter; qvoties volucribus, rep
libus & aqvatilibus opponitur, pro terrestri qvadr
pede viviparo aliqvantæ molis. Ideò eo nomi
ipsis non veniunt aqvatica & amphibia, uti croc
dili, hippopotami &c. Non oviparæ bestiæ, qval
præter Crocodilum Testudines, Lacertæ, Stellione
Salamandræ, Chamæleontes, & tales; Non qvadru
pedes viviparæ parvæ valde, uti mures, talpæ, alia
qve accensitæ reptilibus Levit. XI. 29. 30. ob exigu
tatem pedum, qvibus repere potius videntur, qva
incedere; cum tamen ea omnia *Franzius* cum Ph
losophis inter qvadrupeda recenseat. (3) Speci
liter pro jumentis, gregibus, & omni domestico p
core, oppositè ad חיה *Chaja* i. e. feram agreste
Gen. I. 25. c. VII. 14. 21. c. VIII. 1. 17. alias זיז *ziz* ap
pellatam Ps. L. 11. & LXXX. 14. â זוז *zuz* movere
qvod fera, non uti mansvetum animal, dominum
ac domum habens, victûs causâ vagetur. Vid. *Bo
chart. Part. I. col. 979.* (4) specialissimè & κα
ἐξοχὴν nomen Behemoth terminatione plurale, se
singulare sensu, notat speciem animalis Job. XL. 1
qvam vulgò elephantem putant, *Bochartus* hippo
potamum existimat; pro qvo ex instituto pugna
Part. II. lib. 5. c. 14. sub Behema etiam aqvatilia a
saltim amphibia comprehendere cogitur *col. 755.*

N. 3. Primas in numero bestiarum tenent qva
drupeda, qvia homini sunt propinqviora, tum or
gine, qvippe eodem die sexto Mundi creata, tu
structuræ similitudine.

N. 4. A Charactere pedibus impresso sunt su
tribus summis generibus, juxta *Aristot. l. 2. hi
anim*

im. c. 7. primum eſt ἀσχιδὲς ſeu pede non ſciſſo, l ſolido, Plinio. Solidipes, contractè Solipes, ali- μονόχηλον, μονώνυχον, per ſyncopen μώνυχον ungulum, qvod unicam, individuam & conti- am ungulam habet in qvolibet pede, ut Eqvus, aſi- s, mulus, hinnus, elephas, monoceros (ſi datur), piruſſon Braſilianorum, naturæ aſinum inter & ccam mediæ, Zebra Indica, mulo ſimilis; niſi od variegata eſt & fæcunda.

N. 5. Alterum genus eſt διχιδὲς bifidum, bi- rtitum, voce communi biſulcum, δίχηλον, qva- duumgulum, habens ungulam in duas partes fiſ- m, veluti ex non Cornigeris, Camelus, Camelo- rdalis, Sus, Aper, Hippopotamus juxta *Ariſtote- n* (recentioribus enim qvadriſulcus eſt); ex Cor- geris, qvæ etiam ruminant, Bos, Ovis, Capra, :rvus, Rangifer, Alce, Rhinoceros.

N. 6. Tertium genus dicitur πολυσχιδὲς mul- idum, πολυδάκτυλον digitatum, ſ. digitis multis æditum; i. e. pedes habens multifariam fiſſos, & ımanæ manûs inſtar digitatos. Unde Levit. XI. .dicitur ambulare על כפין ſuper plantas aut manus as. Qvò pertinent ſecundum Philoſophos, tum vipara eaqve pilis fere tecta, Leo, Leopardus, Ur- s, Simius, Felis, Lynx, Tigris, Lupus, Canis, ulpes, Vulpiſimia ſ. Zurca Americanorum, Zibe- um, Taxus, Echinus, Lepus, Cuniculus, Muſte- , Mus, Talpa, Sciurus, & amphibia, Caſtor, Lu- a, Ichneumon; tum ovipara eaqve cortice intecta, rocodilus, Scincus, Cordylus, Lacerta, Sala- andra, Chamæleon, Rana, Bufo, Teſtudo, qvæ leraqve amphibia eſſe conſtat ex *cap. 3. p. 33.*

N. 7.

N. 7. Ex qvo Philosophorum Catalogo e[x] puncta ovipara omnia, amphibia, & ea qvæ parv[æ] magnitudinis, cum Reptilibus â Mose numerari, n[o]tavimus modò n. 2. & supra cap. 3. n. 5. Idem Levi[t.] XI. & Devt. XIV. distinguit inter שסע schasà, fi[n]dere ungulam vel fissam habere ungulam; & ש[ר]פ paràs, dividere vel divisam habere ungulam, scr[i]bens, qvædam animantia ungulam simul dividere & findere i. e. planè scissam, & qvasi dissectam ab inf[e]riori & superiori parte habere, uti in porco consp[i]cimus; alia ungulam dividere qvidem, sed non fin[]dere i. e. cohærentem adhuc vel superius vel inferi[us] obtinere, exemplo Cameli, cujus Ungula supern[e] divisa est & inferne cohæret. Qvod luculentu[m] discrimen â *R. Salomone Kimchi in libro* שרשים, & *ex eo â R. Semuele Ben Melech. in Michlal Jophi* an[i]madversum, versiones qvæ neglexerunt, tenebra[s] Verbis Legis intulerunt. Lege *Varen. in Levit p. 5[.]* *Bochart. P. I. Hieroz. col. 6.*

N. 8. Post hanc nobilissimam â pedum diff[e]rentiis partitionem, aliæ vel ab aliis corporis parti[]bus, vel â modo pariendi, vel â loco vitæ, vel [â] qvantitate, vel â dotibus corporis, vel â moribus vel â victu, vel â modo cibum parandi petitæ enume[]rationes bestiarum leguntur apud *Aristotel. in hist[o]ria animal. & Bochartum l. c.*

N. 9. Usus Qvadrupedum unus est ad vesce[n]dum. Etenim alimoniam dant Carnes *tam dom[e]sticorum*, boum, ovium, caprarum, porcorum *qvam ferorum*, Cervorum, Caprearum, Aprorum Leporum, Cuniculorum. Lac salubrè dant vacc[æ] capræ, oves; Butyrum, vaccæ, oves; Caseum, vacc[æ]

ove[s]

es, capræ. De salubritate & noxa horum cibo-
m præscribunt Medici. Multa, qvæ nos aversa-
ır, aliis sapiunt, qvæ nos appetimus, alii fastidi-
t. Lappæ & Samojedi opiparè convivaturi, ur-
â, lupinâ aut vulpinâ carne mensas instruere di-
ntur. Tartari Nomades eqvinam carnem, eam-
e semicrudam, bovinæ & alii cuicunqve præfe-
ıt, sangvinem cum lacte eqvino bibunt. Ara-
ous multisqve Afris Gamelina sapit. Asininâ olim
juli Alexandrini vescebantur, forte patientiam &
bur inde sperantes; hodie Chinenses delectantur,
ud qvos etiam canes saginati in macello prostant
nales. A Taxis & Lutris venatores non abstinent.
orum caudæ & pedes posteriores ob saporem
mmendantur. Hystricis & Ericii carnes prædi-
ntur salubres. Feles non injucundè qvibusdam
iunt. Mustelas Mexicani vorant, Simias Afri
idam. Mures Alpini in cibum parantur. Ra-
s præsertim virides ex aqvis puris captas non so-
m Itali, sed & Germani nonnulli in deliciis ha-
nt. Ex Crocodilorum carnibus Floridani & alii
nericani voluptatem capiunt. Virides etiam La-
rtos & illi & Afri qvidam comedunt. vid. *Henrici
undii Medici Oxoniensis Commentarium de Aere
ali, Esculentis ac Potulentis*, *Nieremberg. hist.
at. l. 7. c. 61. Ludolf. Histor. Æthiop. l. 3. c. 1. n.
599*

N. 10. Alter usus est ad vestiendum. Pellificio
serviunt pelles ovium, cuniculorum, sciuri, tal-
:, rupicapræ, cati silvestris, muris Norici, muris
ntici, ericeti, Leopardi, Gulonis, hyænæ, vul-
, lutræ, Castoris, lupi, lyncis, martis, & omni-

um

um mustelarum. Vestes camelotæ ex pilis camelorum vel caprarum texuntur; laneæ ex lanâ ovium vid. Ezech. XXXIV.3. Job. XXXI.20. Prov.XXVI 26. DEus ipse pelliceas vestes induit primis hominibus Gen.III.21. & ovinas qvidem ex opinione communi. Prophetæ villosis ovium caprarumqve pellibus amicti incedebant Ebr.XI.37. ut Elias 2. Reg. 8. ejusqve discipulus Elisæus C.II.13. Jesaias C.XX. qvem vestitum singularem imitabantur ad fallendum Pseudo prophetæ Zachar. XIII.4. Prisci Græcorum ac Germanorum heroës, ferarum exuviis induti, erant terribiles. Hodie adhuc Poloni in exercitu suo ducunt integras cohortes eqvitum, pellibus ursorum, luporum, Tigrium, pardorum &c. vestitorum, & in tergo alas ex laminis cupreis gestantium. Similiter Spahi vel eqvites Turcarum vestiri testis est *Petrus della Valle Itiner. P.I.p.62.b.*

N.11. Tertius Usus conspicitur in Operibus variis. Portant onera Dorsuaria & Clitellaria, asini, cameli, muli. Plaustraria sunt & vectoria, eqvi, boves, & apud septentrionales Tarandus domitus. Aratoria existunt boves, eqvi, Tarandi, & minores elephanti, apud Indos; Asini etiam arant, ubi levis est Terra. Prohibuit DEus arare cum asino & bove simul Devt. XXII.10. non tam ad humanitatem in jumenta exercendam, qvod asinus viribus inferior cum bove junctus nimis aggravaretur, qvam ad omnem mundi animalis, qvale bos, cum immundo, qvalis asinus, copulationem eâ lege vetaret; qvæ sententia post Judæos *Bochart*o placuit *P.I.c.11.* monenti Apostolum huc respicere 2. Cor.VI.14. Venatica ex domesticis habemus canes; Ex feris ...

Ta-

rtaria ad venationem instituuntur Bonasi, Pardi, ones, Leopardi, teste *M. Paulo Veneto de Regio- i. Oriental. l. 2. c. 17.* Lutra cicurata pisces circui- suo in retia compellit. Vigiles sunt Canes villa- i & pastorales; Militiæ serviunt eqvus, elephanti, neli. Muribus insidiantur Feles, Erinacei, Mu- læ, & qvis omnes alias operas enumeret?

N. 12. Qvarta deniqve utilitas medica est in rbis, qvam ab artis ejus peritis passim traditam, in nmam collegerunt *Guilielm. vanden Bossche in storia Medica de animalium natura & eorum Me- a utilitate lib. 2. de Qvadrupedibus, Emanuel Kö- in Regno Animal. p. 134. sqq.* Singulorum qva- ipedum Historiæ adjecerunt *Gesnerus, Aldrovan- , Schwengfeld, Jonstonus.*

MORALIA.

GENTES FERÆ, HOMINES PE- CUINI, TYRANNI.

In Scripturis Sacris sunt I. Bestiæ agri Jes. XLIII. i. e. *juxta Hieronymum, Grotium, Forerium,* tes feræ, qvæ cum potarentur aqvis doctrinæ pri- m Judaico populo datis (Matth. XV. 24. Actor. I. 46. Rom. IX. 4. 5.) bibendo, sicut feræ ex aqvis, s DEus Israëlitis produxit in deserto, DEum glo- abant. II. *κακὰ θηρία* Tit. I. 12. malæ bestiæ, homines pecuini, sive, qvi ferinis voluptatibus vincti, in pecudum ferarumqve animalium nu- o habentur. *Gellius l. 19. c. 2.* vide de hac meta- rphosi *Stengelium de Monstris p. 521. sqq. Schoock Animâ Belluar. p. 164. Drexelium in Daniele*

cap.

cap. 12. Tom. II. Oper. p. 804. sqq. III. Malæ besti- bestiæ agri Jes. XXXV. 9. Ezech. XXXIV. 5. 8. 25. Hoseæ II. 18. i. e. Tyranni & hostes Ecclesiæ, cum qvibus bestiis Paulus depugnavit 1. Cor. XV. 32. & *Ignatius Martyr* scribens *Epistolâ VII. ad Roman. p. 247.* se â Syria Romam usqve terrâ mariqve θηριομαχεῖν, noctu diuqve alligatum decem Leopardis i. e. militari custodiæ, qvi & beneficio affecti pejores fiant. Plura invenies *in Glassii Rhetor. Sacr. p. 317.*

II. OFFICIUM SUUM CUIQVE FACIENDUM.

Oves ad hoc sunt, ut lac & lanam ferant: boves, ut terram exerceant: canes, ut tam oves qvam boves â lupis defendant. Si igitur horum animalium qvodcunqve suum facit officium, illud ad vitam Dominus servat, qvin etiam utilis est ipsi vita. Si verò officium, qvod est suum, non egerit, morte judicatur dignum, qvod ejus vita nullum fert fructum. Si enim ovis lac vel lanam non attulerit, bos autem terram non exercuerit, qvem alium fructum ferre poterunt? Rursus si canis custodiæ pecudum deputatus, eas lupos permiserit laniare, aut easdem ipse vel alios canes cœperit strangulare: Dominus eum ê medio tollet. Sic & DEus de illis ordinibus agit, qvos ad officia diversa in hoc mundo disposuit. Qvosdam, uti Clericos, disposuit, ut instar ovium lac prædicationis aliis præbeant, eosdemqve lana sui boni exempli fervere in Dei amore faciant. Alios, uti agricultores, disposuit, ut de suo veluti boum labore ipsi vivant & alii. Qvosdam etiam, ut milites, disposuit, ut asperitatem, prout necesse fu-

t, ostendant, tam arantes qvam agricultores ab
lversis gentibus, velut a lupis, defendant. Si ergò
i qvisqve ordinis officium impleat, longam pro-
reretur vitam, qvia vivit ad cæterorum utilitatem.
istud agere noluerit, vitâ ipsâ indignus existit, qvia
uctum non affert, propter qvem vivit. Si enim
lerici prædicationem aliis impendere, vel bono
templo prælucere, aut terram agricolæ noluerint
ccolere: qvod aliud officium poterunt explere?
ursus si milites alios defendere noluerint, aut etiam
iore rabidorum canum eosdem aut seipsos occide-
nt, vel oppresserint, qvid de illis nisi qvod de rabi-
s canibus debet fieri? Unusqvisqve sui ordinis ge-
t officium, ne & totum qvod vivit deputetur men-
acium. *Ex Anshelmi Similitudinibus cap. 127.*

III. HOMINES SPIRITUALES ET TERRENI.

Qvadrupedes animantes cubando oculos ver-
unt versus terram, & dorsum versus cælum. Ho-
ines ita dorso incumbere dormireqve possunt, ut
culis cælum intueantur. Ita Pii, qvæ sursum sunt
piciunt & qværunt Coloss. III. 2. Terreni pone ha-
nt cælestia, nec curant, ad caduca oculos cogita-
onesqve advertunt. *Molleri Similitud. p. 400.*

IV. PECCATORES.

Peccatum omne belluinâ pelle tegitur & in-
olvitur. In mundi cunis, in prima sua metamor-
osi Parens primus noster, veste candidissimâ ori-
nalis justitiæ exutus, induit tunicas pelliceas &
uvias mortuorum animantium Gen. III. 21. ut fo-

 ris

ris pelle belluina conteſtaretur, qvam intus animum cupiditate belluina deformaſſet. Ita etiamnum peccator belluinam pellem induit, aut ab immanitate ferociaqve leoninam, aut à dolis fraudeqve vulpinam, aut ab ingluvie atqve inſatiabili ſangvinis ſiti, lupinam, qvodqve omnium deterrimum, hanc ſub ovina pelle circumfert. Leonina pelle helluones illos indutos dixeris, qvi ubi temulenti domum redierint, in liberos, in uxorem, in domeſticos horrendum in modum ferociendo, rugiendo, rabiem ſuam omnem effundunt, qvorum oculi, jubæ, ungves, rictus, rugitus, omnibus terrori ſunt. Hos ſalubriter Sapiens dehortatur Eccleſiaſticus IV. 35. *Noli eſſe ſicut Leo in domo tua, evertens domeſticos tuos.* Alios ſub leonina pelle videre eſt, qvi cum ſtupidi, ſtolidi, omnium ignari, pigri ac inertes ſint, tamen criſtati, ocreati, gladiati, Martem plenis buccis crepantes procedunt; qvos Lucianus hoc proverbio ſcite notavit, dum dixit; *Aſinus apud Cumanos*, cui ſua pellis detrahenda. Sunt & alii *potentes à ſæculo*, qvi robore valent, & nervis, id eſt, pecuniis, qvæ non ſolùm nervus belli, ſed & politiæ ſunt; hoc judices corrumpere, leges invertere, pupillos opprimere, officia ſæcularia, eccleſiaſtica mercari, obnitentes ſupprimere, æmulos peſſundare, conterere, Leonum inſtar conantur; qvod ſi ſolæ vires obicem forte integritatis ac juſtitiæ repererint, aſtu vulpino callide eniti moliuntur; qvos Lyſander digito notavit, dum ait: *qvia totum Herculem Pellis Leonis tegere neqvibat, partem vulpinæ aſſuiſſe;* qvod Politici ſub Machiavelli diſciplina educti atqve edocti æmulari ſolent, qvi dum viribu[s]

irrum-

rumpere neqveunt, astu vulpino irrepere consveꝛrunt. De ejusmodi olim Regius Vates prædixit f. LXIII. 11. *Partes vulpium erunt*. Alii hoc neqvissimo sæculo homines versipelles, ê dolis, & technis onsuti, toti vulpes sunt, qvalem aliqvando sub lle vulpina, omnibus manifestum dedisse legitur Patritius Hibernorum (*quo nomine honorari so-t*) Apostolus. Hic enim, *uti perbibet Jocelinus onachus circa an. 1140. in vita ejus cap. 150. & ex eo ieremberg. bistor. naturæ de miraculis in Europa b. 2. c. 43.* DEUM oravit, ut Cereticum Regem Walliæ blasphemum, crudelem, subdolum, Chriꝛanæ gentis impostorem, hominem vulpinum, odo monstroso â facie terræ ejiceret. Ad qvas eces DEus tyrannum qvodam die, in medio fori ter multos suorum circumstantes, subitò in vulm transformavit, illeqve â conspectu omnium fuens, nunqvam in terra amplius apparuit. O si nnes, qvi satis oculis patent, pellem vulpinam cirmferentes, sese è medio curiæ, è medio aulæ, è edio Reipubl. proriperent, qvam felices forent bes & regna, ubi ejusmodi vulpes exularent! Imo non exilio, sed atrociori supplicio tales mulndi, & vivi excoriandi sunt. Indutos pelle Leoaa superbiæ & vanitatis, oportet excoriari, humiri; Indutos pelle vulpina avaros, oportet excoriarestituendo subdole rapta, Job. II. 4. Pellem pro lle; *scilicet mala vita, usura, luxuria &c.* pro lle animæ. Alii deniqve Judices sunt, Legis pei sunt, Prætores sunt, Pastores sunt, qvi verè sub le lupina degentes, ingluviem suam, carne & sanine viduarum, pupillorum, & subditorum exsaꝛtiant.

tiant. Tales descripsit Micha C. III. 2. 3. non tondentes, sed deglubentes & excoriantes oves suas. Qvi pœna talionis vivi excoriandi sunt, qvemadmodum Solymannus Turcarum Imperator proditori, qvi sibi Insulam Rhodum tradiderat, vivo pellem toto corpori detrahi jussit, atqve ita excoriatum, in lectum sale conspersum, collocari, donec per atrocissimos cruciatus, animam violenter extorsit. Longe atrocius peccatoris animus pelle exutus apud inferos igne salietur Marc. IX. 49. qvi, ut semper urant, incorruptibiles servabit peccatores Redemptor noster hos, qvi sub ovina lupinam contegunt, studiosè cavendos monet Matth. VII. 15. *Ex Engelgr. Panth. Cælest. Part. 2. p. 114. sqq.*

V. GULOSI.

Homines Gulosi, jumentis similes, nihil aliud qvam fœnum spectant & vorant, juxta Ps. CIV. 14 *producens fœnum jumentis, & herbam servituti hominum*

CAP. IV.

DE ELEPHANTO.

34 *IDeò primùm dicimus, qvia Job. XL. cap. nominatur principium viarum DEI.*]

N, 1. Qvæ belluarum l. c. intelligatur, non conveniunt Interpretes. Judæorum fabulosum bovem Silvestrem, qvem illi sub Messia suo inter dapes scilicet cum pisce *Leviathan*, & ave *Sis* sibi apponendum somniant (*vid. Gerson Thalmud. l. 1. c. 16. Buxtorf. Synag. Jud. cap. 50.*) omnes Christiani meritò

ridentur

ridént, & inter Judæos ipsos *R. Menassen Ben Israel*, le futuro sæculo multa scribentem, ineptiarum ista-um meminisse puduit; *R. Lipman* autem aliiqve illegoricum sensum veterum Magistrorum suorum dictis affinxerunt. Diabolum sub specie animalis grandis feriqve, aut speciatim Elephanti, delinea-um putarunt *Patres Ecclesiæ plurimi*, *aliiqve citati à Pineda Commentar. ad l. c. Tom. II. col. 1083.* & *Fr. Georgio Veneto Tom. 5. Problem. sect. 2. p. 108.* Tau-rum Silvestrem *Sanctius in commentar.* cogitavit. Serpentes vel Dracones opinatus est *Joan. Bustamantius de Reptilib. animal. S. Scripturæ l. 4. c. 12. 13. 14. 15. 16.* Qvidam, animal sibi ignotum esse fassi, hebræum nomen Behemoth in versionibus retinue-runt. Communior recentiorum Interpretum sen-tentia de Elephanto fuit. Ast qvem *Daniel Crame-rus in notis ad Jobum*, intelligi posse, Hippopota-mum, i. e. eqvum fluvialem Nili, indicaverat, *Bochartus Hieroz. P. II. l. 5. c. 14.* multis persvasit, in-terqve eos *Jobo Ludolfo Histor. Æthiop. l. 1. c. XI.* & *Majo Histor. Animal. Part. I. lib. 2. c. 1. p. 132.* Ni-hilominus receptæ interpretationi inhærentes *Coccejus*, *Sebast. Schmidius* in Commentariis, *Kirchmayerus Disputat. Zoologicarum qvarta cap. 1. D. August. Pfeifferus Noster in Dubiis vexatis Scripturæ Cent. III. p. 523.* verba optimè in elephantum qva-drare ostenderunt. Confer *Anton. Hulsii Nucleum Propheticum. p. 306. sqq.* ubi difficultatem *Bocharto* ex patria Jacobi in Idumæa aut in Arabia movet, in vas valde dissitas regiones â Nilo hippopotamum eptitasse non sit credibile. Dicitur autem *Elephas principium* viarum Dei i. e. inter opera Dei præcipua

ac præstantissima; vel, ut D. Schmid interpretatur, præcipua DEI actio; sicut Num. XXIV. 20. Amalec vocatur ראשית גוים principium gentium, i. e. gens una ê nobilissimis; Siracid. XI. 3. mel est ἀρχὴ γλυκασμάτων principium dulcorum, i. e. præcipuè dulce. Primò etiam loco inter qvadrupedes creatum *Olearius* statuit *Conc. 49. in Job. p. 388.* Qvicqvid hujus sit, nihilominus censet *Kirchmayerus*, Elephanto regnum in animalia jure deberi, qvod tam diu Leo tenuit â multis Philosophis ac Poëtis adjudicatum. Vide *Voss. l. 3. de Idolol. c. 52. Bochart. Part. I. Hieroz. l. 3. c. 1. Jacob. Pontanus Progymnasm. 43. lib. 3. Konig Regnum Animal. p. 2. & 3.*

Magnitudo æstimari potest, 1. ex nomine Behemoth in numero plurali, qvasi dicas bestiæ.]

N. 2. Bochartus vult esse nomen singulare terminatione Ægyptium, ut Hippopotamo suo, animali ejusdem regionis appellationem etiam accommodaret. Ast pluralem hebraicam vocem, uti omninò apparet, esse, agnoverunt vertentes, *Chaldæus* בעיריא, *Græci* θηρία. Ad molem Elephanti qvoqve alluserunt Orientales, nomine פיל Pil vel Phil, qvo Chaldæi, Syri, Arabes Scripturæ Paraphrastæ ipsum vocant, ab Arabum forte פלא phala, obesum esse ac multa carne (ob qvam Basilio Homil. IX. in Hexaëmeron, elephantes visi sunt βουνοί τινες σάρκινοι, carnei qvidam colles); Similiter *Phœnices* hanc bellùam appellantes בושרי Bosari; i. e. carnosam; unde Indi suum *Bosare* accipere potuerunt, ac *Pœni* suum, qvo elephantum vocarunt *teste Servio in lib. 1. Æneid. Cæsar*, dum imperiti literam Beth cum Caph facile confundentes, pro *Besar* legerent *Cæsar.*

Ex

Ex cauda, qvæ ut Scriptura dicit, est instar Cedri.]

N. 3. In hebræo est: volet, (*si volet, concupiscet;*) cauda ejus sicut Cedrus (*erit*): non ratione longitudinis, cum sit instar bubali brevis trium, ut vulgò ajunt, fere spithamarum, sed ratione directæ protensionis, aut ratione firmitatis, qvod protensa non facile incurvari qveat. *Sebast. Schmidius* cum aliis mavult intelligere membrum genitale, honestiori caudæ vocabulo indicatum, de cujus stupenda longitudine *Cardanus* testatur *lib. 10. de Subtilit. f. 550.* â qvo tamen, ab Aristotelis parte stans, dissentit *Caspar Horn in Descript. Elephanti p. 31.* Placet adscribere descriptionem caudæ Elephantinæ, ad juvandum communem Jobi interpretationem. *Petrus Gillius Albiensis* in Descriptione Elephanti Constantinopoli â se visi refert, caudam altam qvinqve pedes, cujus ambitus supremus perimeter cubitalis, medius pedalis, imus semipedalis fuit. *Philippus Pigafetta* apud Nieremberg. lib. 9. Histor. Natur c. 86. hæc habet: *Auribus Turcica pelta latioribus, forma ovali, sex spithamas longis, ut & proboscide & caudâ, se defendunt contra muscarum importunitatem, qvas etiam in locis, qvas nec auribus, nec proboscide, nec cauda contingere possunt, contracta pelle, inter rugas retentas occidunt. In cauda seta ipsis sunt crassæ & rotundæ, nigræ & lucentes, qvæ seniorum præcipuè, utpote pretiosiores & fortiores, expetuntur ab Angolanis & aliis circumjacentibus populis, tam ad virorum, qvam ad fœminarum ornatum. Tantæ sunt etiam crassitudinis, ut vir, qvamvis fortis, manus citius*

 la

lædat, qvam in diversas tractas partes rumpere possit. Singulari etiam eas venantur industria. Belluam enim videntes in loco aliqvo angusto, ita ut se vertere non possit, à tergo assiliunt: & cum neqve proboscide se propter angustiam defendere possit, caudâ eam, ut pretioso spolio, ad id præparatis cultris privant, non tamen sine periculo; dolore enim aliqvando percita regreditur, & adhærentes caudæ venatores ad arborem vel lapidem vicinum comminuit; unde etiam carò emptæ setæ illæ, magno rursus venduntur pretio, una nimirum tribus servis ad minimum commutatis. Alii qvoqve majore audacia celeritati suæ confidentes, eas in pascuis à tergis assiliunt, unoqve ictu cauda amputata, aufugiunt, non tamen recta (qvamvis enim gravis sit bellua, & motu non ita celeri, cum tamen magnos faciat passus, in cursu recto eqvum celeritate superat) sed per gyros, ita ut mole impedita bellua, & incessum non tam facile flectente, absqve ullo fere periculo evadat.

3. A potu, quia scriptura dicit, ipsum ebibere flumina.]

N. 4. Sic hyperbolicè interpretantur verba versus 18. Hebræos secuti, *Vulgatus Latinus*, *Pagninus*, *Arias*, *Mercerus*, *Junius*, *Lutherus*, *Piscator*, *Diodatus & alii recentiores pleriqve*. Sed D. Schmid vertit: *Ecce, urgebit flumen, nec festinabit: confidet, cum tendet Jarden, ad os ejus:* i. e. Si urget fluvius, qvem intrare fuit coactus vastus & grandis elephas, non festinabit, timens veluti suffocari; securus est, qvando in fluvium usqve ad os se immittit. Transit enim elatâ super aqvam proboscide, qva aerem, ne suffocetur, trahit. Alias certum est, ele-

phan-

phantum multum bibere. Mensuram potûs, ex Aristotele adductam, facile æqvaturus videbatur ex Hispania Maximiliano Imperatori missus, & an. 1563. mense Septembri in Belgio circumductus, qvi una vice ultra sedecim aqvæ libras bibebat, idqve sæpius iterabat, *Meteran. lib. 2. p. 54.* Huc respexit Poëta apud *Athenæum lib. XI. Deipnosoph. p. 468.* hospiti suo dicens:

Hoc si poculo contentus non es, Elephantum
qvi ferat
Advenit puer;

i. e. poculum capax, ut subjicitur, congiorum trium. Sitis tamen elephanti, magis qvam homines bibones, patientissimi, sine potione octo dies nonnunqvam vivunt. Bibunt autem, uti etiam Cameli & Sues, pedibus prius turbatam aqvam, aut qvod limpidioris potum intestinorum dolorem excitare senserunt, aut qvod minus alimenti præbere sciant, aut ne simul animacula nociva hauriant, lædanturve ab iis in aqva.

4. *Ex dente. Duos enim habet dentes.*] 35

N. 5. Dentes elephanto qvaternos utrinqve, qvibus qvasi mola cibum conficit, & præter hoc duos alios exertos & prominentes, mari qvidem magnos & sursum aversos, fœminæ parvos & deorsum reflexos, tribuunt *Gesner. de Qvadruped. p. 420. Jonston. de Qvadruped. p. 31. ex Aristot. l. 2. Histor. animal. c. 11. Plinio l. XI. c. 37.* qvi tamen Aristotelis verba non bene vertit. Ast *Petrus Gillius*, qvi Anatomiæ elephanti qvadriennis Berrhoæ in Syria interfuit, dentes in utraqve maxilla utrinqve duos, universè octo observavit, exteriores verò *Idem* perhibet,

hibet, *in Descriptione*, qvam edidit, *elephanti*, non sursum neqve deorsum, sed rectos in anteriorem partem, sensim in fine incurvatos sursum ferri. Confirmat numerum dentium experientia *Nicolai Claudii Fabricii Peireskii Senatoris Aqvisextiensis*, relata â Gassendo in vita ejus lib.4. ad an.1631. Tom.II. Oper. fol. 308. & recentissima *A. Moulins Medici in Collegio Trinitatis prope Dublinum, in Anatome Elephantis Dublini casu incendio peremti, qvam ipse Anglico sermone descripsit, pag. 40.*

N. 6. Atqve illi ipsi vulgò appellati duo dentes exerti & prominentes vocantur ebur, de cujus vocis originatione *lege Bochart. & Majum.* Hebræi per excellentiam שֵׁן *Schen* dentem nominant. vide Cant. V. 14. c. VII. 4. & alibi. Similiter שֶׁנְהַבִּים *Schenhabbim* 1. Reg. X. 22. & 2. Paralip. IX. 21. LXX. *Interpretes, Chaldæus, Hieronymus, Hebræi recentiores*, dentes elephantum, *Lutherus* Helffenbein explicant. *Bochartus* Syrum & Arabem secutus, elephantos indicari putat, olim ab hebræis nomine communi bubalis appellatos קְהַבִּים *Kababim* â fusco colore, & ad distinguendum â bubalo, solum Elephantum ab iisdem dictum fuisse שנקהב *Schenkahab*, vel contractè שֶׁנְהַב, *Schenhab* i. e. illo dente insignem, ex qvo est ebur. *Majus* conjicit commodius הַבִּים deduci ab הַב. Arabibus enim *habab* vel *habbabh* est spirare, stridere, qvasi â voce sua dicerent stridentem & barrientem bestiam. Insuper proprietati vocum innixus communi sententiæ inhæret, non elephantos ipsos, vasta corpora, è tam longinqvis oris, tanta cum molestia ac difficultate navigantium, spectaculi tantùm causa advectos fuisse

fuisse Salomoni, sed ebur solum in usus, qvos historia sacra commemorat. Græci, ebur ἐλέφας, eodem, qvo totum animal, nomine vocant, uti Apocalyps. XVIII. 12. vâs ἐλεφάντινον eburneum; Synedochicè scilicet, uti *Plautus* dixit, *mortui boves* i. e. lora bubula, *incursant vivos homines*; & *Virgilius l. 3. Georg. v. 26.* ex auro solidoqve elephanto; *lib. 3. Æneid. v. 464.* dona auro gravia, sectoqve elephanto, i. e. ebore, dixit, interprete *Servio*. Germanorum appellatio Helffenbein vel Elffenbein admodum lata, os dicit, non dentes, qvi ebur sunt, forte qvod belluæ istius ossa etiam in laminas sæpe secentur, ac pro dentibus venditentur, ex qvalibus postes, sepes, palos in stabulis porcorum à Franzio recensitos alicubi sæpius fieri, verisimilius est qvam ex ebore.

N. 7. Dum Ebur, dentes appellari vulgò dixi, ad disceptationem veterum, nondum compositam, respexi, *Cornuane an dentes elephantis dici ebur conveniat?* Pro *Cornibus* agnoverunt, Varro, Pausanias, Ælianus, Oppianus, Juba Rex apud Plinium & Philostratum, Aretæus, Gillius, Cælius Rhodiginus, Caspar Horn *in Dissertat. de Elephanto p. 26.* Schinder. *in Lexico Pentaglot. col 1905.* Voss. *lib 3. de Idololatr. c. 51.* Jobus Ludolf. *Histor. Æthiop. l. 1. c. 10. 29.* Hanneman *in Miscell. Medico-Physicis Naturæ Curiosor. Dec. II. An. III. p. 144.* Æthiopica qvoqve aliorum versio, ubi שן Schen est in hebræo, cornu reddit.

N. 8. Pro Dentibus, prout in sacro Codice, & Chaldæo, LXX. Arabe, aliisqve Interpretibus ebur nominatur, habuerunt *Herodotus*, *Aristoteles*, *Plinius*,

nius, *Philostratus*, *Dionysius Periegetes*, *Ovidius*, *Ju-venalis*, *Claudianus*, *Cardanus l. 10. de Subtilitat. p. 553. Lucas Schroeck in Scholio Observationi Hanne-manni ante citatæ subjecto*, *Harduin in notis ad Pli-nii. l. 8. c. 3.*

N. 9. Rationes utrorumqve Auctorum invi-cem conferentes *qvidam*, apud *Scaliger. in Aristot l. 2. hist. animal. c. XI. sect. 79. fol. 195.* ebur, median naturam inter cornua & dentes habere, autuma-runt. In qvam opinionem inclinasse videntur *Æli-anus & Plinius* qvi, qvos dentes dixerant, alibi cor-nua vocarunt, *ille* lib. 6. de Animal. c. 56. *hic* l. 18. Na-tural. Histor. c. 3. Amplexus est eandem *Geier. in Ps XLV. 9. Thomas Brown. Pseudodox. Epidem. l. 3. c. p. 559.* & ante ipsos *Bochartus Part. I. col. 254.* con-firmans ex eo, qvod ob mediam inter dentes & cor-nua naturam suam, ebur misto nomine Ezech XXVII. 15. vocetur קרנות שן Cornua dentis. Con-fer ejusdem *Part. 2. Hieroz. col. 139.*

N. 10. Cornua elephantum, aut si mavis Den-tes, aut Cornei Dentes, qvorum alterum acutum servant ad pugnam, altero tanqvam ligone radice effodiunt & arbores extirpant, si credimus *Ælian l. 6. c. 56. Plinio l. 8. c. 3. Solino c. 28. Plutarcho de Solertia Animal.* p. 966. pro ætate, aut ipsorum in diversis regionibus mole majori, varii sunt magnitu-dine. vide *Munsteri Cosmograph. an. 1546. Nierem-berg. Natural. Histor. l. 9. c. 87. Harduin ad Plin. l. 8. c. 10.*

N. 11. Ebur à candore commendatur, qvi in juvenibus elephantis nitidior est, ac in eo, qvod e Insulis Zeilan & Achen advehitur, constantior

Ta

Tavernier. Itinerar. Part. II. lib. 1. c. 18. p. 71. Nitorem perficiunt artifices piscis Sqvatinæ aspera cute probe delimando ac poliendo.

N. 12. Amabilis iste politi eboris candor nitorqve intelligitur ex comparationibus inde sumtis. *Cant. V. 14.* Corpus sponsi mystici cultissimum & pulcherrimum per nitorem eburneum ventris seu viscerum: & *c. VII. 4.* collum erectum nitidissimum & albissimum sponsæ mysticæ, per turrim eburneam indicatur. *Anacreon* præscribens ideam amicæ pictori, vult pingi illi *ἐλεφάντινον μέτωπον*, eburneam frontem. Apud *Homerum Ulyss. 2. vel lib. XVIII. (p. 528.)*, Minerva dicitur fecisse Penelopē, ut procis esset gratior, *λευκοτέρην πρίςῦ ἐλέφαντος*, albiorem secto ebore. Ovidius in Epistol. Acontii ad Cydippam, puellæ eburneam cervicem, & alibi eburnea colla laudat.

N. 13. Eboris candorem annorum progressu croceam qvandam rubedinem contrahere, in vulgata versione Latina *Thren. IV. 7.* habetut, qvæ Nazaræos dilaudat, *Rubicundiores ebore antiqvo.* Unde Lemma ebori inditum refert *Picinellus Tom. 1. Mundi Symbolici p. 377. Cum Candore rubescit.* Qvam iconem faciunr hominis, qvi puritatis candorem, aureo vel purpureo charitatis affectu tinctum habet, peculiariter ad B. Mariā virginem applicavit *Guerricus Abbas Igniacensis Sermon. I. Annunciat. Virg.* Verum in hebræo exstat פנינים *Peninim*, qvo non ebur, non corallium, ut voluit *Bootius*, nec aliud, sed margaritas splendentes intelligi, docet *Bocharus Part. II. Hieroz. col. 679.*

N. 14. Qvemadmodum qvotannis Cervis, sic deci-

decimo qvoqve anno Cornua elephantis excidere; qvæ ipsi in terram defodiant, invidia odioqve nostri, ne, qvod cum tanta eorum invidia, qværimus, asseqvamur, narrarunt *Pausanias lib. 5. Ælian. l. 14. c. 5. Plinius l. 8. c. 3.* ac Ælianus qvoqve modum refert; qvo abstrusum thesaurum explorent ac inveniant Mauritani. Falsum hoc omne pronunciant *Garcias ab Horto Pro Regis Indiæ Medicus, Historiæ. Aromat. l. 1. c. 14. Scaliger Exerc. 102.*

N. 15. Cum venatu premuntur, impactos dentes arbori frangunt, prædaqve se redimunt; hanc enim sibi causam inesse periculi sentiunt. *Plinius l. 8. c. 3. Solinus c. 28. Robert Coverte Capitaneus Anglus Navigat. c. 13.* Conjectura est *Erasmi Francisci*, elephantum urgentibus venatoribus dentes effringere, dum ex furore arborem is cædit, non qvod se excutiendo liberare tentet; **im Geschicht-Spiegel** *p. 1453.*

5. *Ex vestigio, cujus diameter visa fuit trium palmorum, & unius pollicis.*]

N. 16. Ita *Scaliger Exerc. 204.* Pigafeta apud *Nieremberg l. 9. c. 86.* testatur, vestigia qvandoqve reperiri in arenis, qvorum diameter se ad qvatuor spithamas extendat. Unde cognoscitur & magnitudo belluæ fidem fere superans, & in Europam traductos fuisse ex minoribus. Neqve enim nisi juvenes educi possunt, & cum vivant ad centum qvinqvaginta annos, media ætatis parte semper crescunt.

6. *Ex manu seu potius nare, qvia habet proboscidem.*]

N. 17. Proboscis instar nasi longissimi, angusta, cava, flexilis, volubilis, emissilis, in extremo

appen-

appendice, qvasi pollice munita, propendet, qva uti nos manu, sic ille ad qvidvis agendum, arripiendum, in os intrudendum, utitur: qva bibit, odoratur, spirat. Unde *Cicero* & *Plinius* manum, *Cassiodorus l.10. var.form. 30. p.350.* scite nasutam manum, appellant. Eadem non solùm nummos, aliasqve res leviores tollit, & Rectori suo insidenti tradit, sed & homines aliaqve satis ponderosa elevat, sternit, verberat, torqvet. Per hanc narem suam emittit vocem similem jubarum raucitati, *Aristot. l. 4. hist. c. 9. Plin. l. 11. c. 5.* qvam propriam ipsi barritum vocant, â qva ipsa Bestia Barrus audit, *Horatio Epod. 12. & Sidonio Apollinari Carm. 23. v. 56.* Inde *Auctor Philomelæ* canit: Et Barrus barrit; Græcè τρίζει, stridet; de qvarum vocum originatione erudite disserunt *Bochartus Part. I. col. 250. & Maius p. 134.* Per Os autem emittit Elephas aliam vocem ê spiritu conflatam, sicuti cum homo simul & spiritum reddit & loqvitur. Hunc, ex ore prodeuntem spiritum vocalem, resonare *Ho* vel *Hoy*, auctus testis est *Hornp. 20.* qvo sono ad interrogata respondere ab eodem descriptus solebat. Qvare frustra est *Lipsius Cent. 1. Epist. 50. (p. 57.)* cum probaturus elephantos loqvi humanam vocem, adducit elephantum in Malabaria respondentem *Hoo Hoo*, qvod ejus regionis lingua significet volo, volo. Nam nec ille *Hornio* auditus ex Malabaria venit, nec Malabaricè interrogatus, sed ad germanicas qvæstiones indiscriminatim, sive affirmando sive negando respondendum erat, suum *Ho* reddidit.

Propter vastitatem cito ex aqvis effugere neqvit.]

N. 18. Argumentis hactenus pro mole & vastitate

tate Elephanti adductis, addi poteſt pondus ſexdecennis, uti ferebatur, in Gallia, qvi deprehenſus eſt pendere libras provinciales qvater mille & qvingentas, h. e. Pariſienſes ter mille qvingentas, & Romanas duodenûm unciarum qvinqvies mille proximè. *Gaſſendus in vita Peireskii lib. 4. an. 1631. p. 308*

N. 19. Inſuper Cor duplex pro ratione foret ſi exploratæ id eſſet veritatis. Scripſit qvidem *Ælian. l. 14. hiſt. an. c. 6.* Mauros perhibere geminum Cor illius, qvo altero ira accendatur, altero mitigetur & leniatur; & *Lipſius Cent. 1. Ep. 50.* ait; Cui Æliano non credam? jure optimo duplex cor tribuit, tam cordatis? Inde *Dietericus Analyſi Evangelior. Dominical. Dom. XXII. Poſt Trinitat. Part. II p. 54.* allegoriam ad DEum fecit, qvi qvaſi geminum cor habeat, i. e. duo in ſimpliciſſima eſſentia attributa, unum, qvod ad iram illum exſtimulat ſive juſtitiam, alterum, qvod ad clementiam tendit, ſcilicet miſericordiam. Mollerus autem in Allegor Profano-Sacris p. 227. hypocritis applicavit, qvi uno ſuo corde alteri iraſcuntur, alteri blandiuntur; immo uni eidemqve homini modo iraſcuntur, modo favent; & qvod magis eſt, erga unum eundem iram fovent, & ſimul amicitiam præ ſe ferunt. Enim verò non duplex Cor, ſed duos cordis ventriculos jam olim *Galenus obſervavit lib. 7. Anatomicarum adminiſtrationum c. X. fol. 157. c. XI. f. 158. Adde A Moulins Anatomen Elephanti pag. 28.* Ex qvibus duobus ventriculis, procul dubio apud vulgus Maurorum, de duplici corde perſvaſio eſt nata, & ab iisdem uſum ejus aliqvem declarare volentibus, duplex contrarius ſibi affectus illi affictus.

Aristoteles lib. 9. de historia animal.] 36

N. 20. Referuntur ibi cap. 2. sect. 55. elephanti admotis dentibus majoribus muros prosternere. *Ælianus l. 17.* (qvi ultimus est) *cap. 29.* habet, ab illis pectorum vi & impetu muros hostiles everti.

Etenim versus Orientem bella geruntur & absolvuntur Elephantis.]

N. 21. De usu in bello olim, sufficienter tractarunt *Bochart. Hieroz. P. I. l. 2. c. 25. 27. Majus P. I. lib. 2. c. 1.* Indi hodieqve in bella educunt elephantes, qvi enses proboscidibus alligatos gubernant in omne latus, magnâ hostium strage: è propugnaculis ligneis, vel spondis potius, qvæ tergo gestant, armati septem vel octo milites arcubus sclopetisqve detonant, aut ignivomis ex pice & sulphure malleolis obversos hostes infestant. Qvod vero antiqvitus contigit, id etiamnum sæpius evenit, ut bestiæ perturbatæ & in fugam conversæ, suos gravius lædant, qvam hostes. Vid. *Franzium mox p. 46.* Camerar. Horar. subcisiv. Cent. 2. c. 96. p. 372. Zuingeri Theatrum Humanæ vitæ vol. VIII. p. 2134. *Garciam ab Horto l. 1. Aromat. Histor. c. 14. Johann. Hugonem & Jarricum* apud Nieremberg. l. 9. c. 88. 89. *Tavernier. Part. III. Itinerar. l. 4. c. 11. p. 76. Della Valle Part. II. p. 218.* A Magno Mogore solo 14000 & in singulos qvotidiè duos vel tres ducatos impendi ex Rerū Indicarū scriptoribus memorat *Franciscus im Lustgarten p. 952.* Sed eorum numerum qvintos non excedere refert *Tavernier Part. II. lib. 1. 8. p. 71.*

Qvod 1. Maccab. 6. 37. refertur, singulos Ele-

 phan-

phantos gestare turrim ligneam repletam viris armatis 32. præter Rectorem.]

N. 22. Cum pro tot armatis nimis vasta turri reqviratur, nec ullus præter Albertum M. & alio sæculi barbari scriptores numerum tantum asserat suspicio orta est, aut iis hæc accensenda, qvæ Auctor eorum librorum magnificentius qvam veriu subinde enarrat; aut mendosum esse textum, in qvo potuit esse scriptum, ἄνδρες δυνάμεως ιβ (i. e. duodecim) οἱ πολεμοῦντες; & pro his figuris numerorum errore scribarum reponi λβ triginta duo. Cogitar etiam potest sine numero adjecto Auctor scripsisse ἄνδρες δυνάμεως οἱ πολεμοῦντες, ita ut numerus δύο καὶ τριάκοντα pravè repetitus fuerit ex v. 30. qvo Antiochus Eupator in exercitu suo habuisse dicitur elephantos triginta ac duos ad prælium eductos. Vid *Bochart. P. I. col. 269. Majus P. I. p. 153* qvi insuper cœtera, qvæ in libris Maccabæorum de Elephanti leguntur, explicant.

Qvod nunqvam potest dormire cubando. Cum enim semel prolabitur, nunqvam potest resurgere.]

N. 23. Credidit Franzius *Straboni* l. 16. Geograph. p. 772. *Diodoro Siculo* Biblioth. Histor. l. 3. 161. *Basilio* in Hexaëmeron homil. 9. *Ambrosio* h. Hexaëm. c. 5 *Cassiodoro* l. 10. Form. 30. *Cælio Rhodigi* Antiqvar. Lect. l. 4. c. 12. aliisqve qvamplurimis, tribuentibus Elephanto crura instar columnarum flexibilia. Qvam fabulam, jam suâ ætate circulatam, refutavit, *Aristoteles* l. 2. hist. animal. c. 4. Incessu animal. cap. 9. *Plinius* l. 11. cap. 43. Qvi omnino suffragatur Experientia, ex qvâ constat, t anteriora, qvam posteriora crurum ej9 inflecti pr

su

ſum, more noſtrorum genuum, atqve ipſum in terram demitti paulo ſegnius qvidem, ſed nihilo ſegnius qvam eqvum aſſurgere. Vid. *Nieremberg*. l. 9. hiſtor. Nat. c. 86. & 88. *Gaſſend.* Phyſ. Sect. 3. l. 1. c. 2. p. 197. de vita Peireskii lib. 4. p. 308. *Horn* p. 33. *Bochart*. P. I. col. 263. *Brown*. Pſeudodox. Epidem. l. 3. c. 1. p. 552. *Rollenhagen* wahrhaffte Lügen cap. 7. p. 67. *A. Moulins Anatomen Elephanti p. 41. Tavernier* P. II. Itiner. l. 1. c. 19. p. 78. *Della Valle* P. II. p. 22. a. Idem qvoqve Scriptura S. indicat, Job. XL. 16. qvem locum *Franzius* paulo ante adduxit: ישכב *cubat, dormit ſub umbroſis*. Lutherus; Er liegt gern im Schatten &c.

Prout vel vivos expetunt vel mortuos in cibum, ſicut inprimis faciunt Æthiopes.] 37

N. 24. Qvi non ſolum olim ederunt elephantorum carnes, ſed & hodie avide vorant, etiam crudas. *Diodor*. l. 3. p. 160. *Garcias* lib. 1. Hiſtor. Arom. c. 14. *Cadamuſtus* apud Nieremb. l. 9. c. 87. *Tavernier*. P. II. lib. 1. cap. 18. p. 71. Inſvaves illas guſtu, & aſperrimas durasqve nimium, expertus eſt *Cadamuſtus*. In regionibus nonnullis pro ferculo delicatiſſimo renes apponi Regibus, prodidit *Vartomannus* apud Voſſium de Idolol. l. 3. c. 50.

Fraude & aſtutiâ qvâdam foveam parant.]

N. 25. Primum hunc modum capiendi confirmat *Eduard. Lopez* apud Nieremb. l. 9. c. 86. addens memorabilem hiſtoriam, cujus ſe oculatum teſtem profitetur. Nimirum cecidit parvulus adhuc & à matre ductus elephas in talem foveam; qvem cum vidiſſet mater, omnibus viribus, fruſtra magno ſtrepitu eam conantibus deterrere circumſtantibus, ten-

tavit extrahere: & cum ſe nihil efficere ſentiret, foſſam terra, lapidibus & arboribus congeſtis, uſqve ad ſummum implevit. *Maluit mori ſobolem ſuam, qvam ſervire.* Cæterum modus, qvo captum in fovea elephantum tractant venatores, *Sangeminiano* occaſionem dedit meditandi lib.5. cap. XI. *Si brutum animal ſic diligit ſe deceptoriè defendentem, vel demulcentem, & de fovea extrahentem; qvantò magis anima debet Chriſtum diligere, qvi eam veraciter à Diabolo defendit, cæleſti pabulo reficit, & de barathro peccati educit? unde qvilibet Chriſtianus debet dicere: Qvid retribuam Domino pro omnibus qvæ retribuit mihi?* Pſal. 116.

38 *Cæterum in Æthiopia diligenter obſervant, qvibus arboribus ſe dormituri inclinent.*]

N. 26. Hæc venandi ratio ex ſæmicæſo averſa parte trunco ejus arboris, cui annixus elephas dormiturus, una cum ipſa ſternatur; nec ſe ſe poſſit ſurrigere, nititur crurum inflexibilitate ſupra refutata n. 23.

40 *Contentus eſt herbis.*]

N. 27. Ferus veſcitur gramine, herbis, arborum trunco, foliis, fructibus: palmas habet gratiſſimas, qvas excelſiores fronte proſternit, ac ita jacentium abſumit fructus & folia. *Ælian. l. 9. c. 56. Plin. l. 8 c. 10. Solin. c. 28.* Cicur paſcitur panibus, hordeo, caricis, uvis, cæpis, alliis, & melle copioſè: item junco, palmæ, hederarum faſcibus, & aliis, qvibus aſſvetus fuit gaudetqve eſculentis. *Ælian. l. 10. hiſt. an. c. 10.* Edit item libenter fœnum: Idem l. 13. c. 25. referens, Indos Regi ſuo manipulos fœni donare pro cibandis elephantis. Ex priori Æliani loco, *Hardu-*
in

num Plinium l. 8. c. 6. & Solinum c. 28. ſcribentes, elephantos captos celerrimè mitigari hordei ſucco; i. e, cocta ex hordeo ptiſana, aut certe hordeo aqva calida macerato, defendit adverſus *Bochartum ac Salmaſium*, qvi utrumqve illum manifeſti erroris arguerunt. Flores ſimul eis dantur, atqve in prata ad legendos flores aguntur, qvoniam ſvavitate odorum delectantur, & manſvetiores fiunt. Odoratu flores diſcernendo colligunt, lectos in calathum, qvem eorum Rector ſuſtinet, inferunt. Reverſi in ſtabulum, flores ſuos expetunt. Si Rector tardet afferre, barritum edunt, neqve prius cibum ſumunt qvam iis allatis. Tollentes ergò de qvaſillo ſui præſepis labra iis ornant, hanc nimirum cibo ſvavitatem ex bene olentibus comparantes. Stabulum etiam floribus permultis ſternunt, ut ſvavius dormiant. *Ælianus l. 13. c. 8.*

N. 28. Potus gregariis eſt aqva, bello deſtinatis vinum non ex vitibus, ſed ex oryza vel calamis factum. *Ælian. l. c.* vino tamen ex vitibus valdè delectantur. Qvod enim *Idem l. 2. variæ Hiſtor. c. 40.* ſcribit, cum omne brutum à vino naturaliter abhorreat, Simius & elephas tamen tam avidè bibunt, ut hic ſui roboris oblivifcatur, ille verſutiæ, & omnino ſint imbelles & faciles captu. Elephas Belgicus an. 1563. ſex vel ſeptem menſuras vini ſemel bibebat, teſte *Meterano*. Eundem retulit *Guicciardinus in Deſcript. Belgii* adeo inebriatum aliqvando fuiſſe, ut viginti horas qvaſi mortuus jaceret; ſed poſtqvam crapulam edormiviſſet, plura qvam aliàs voraſſe. Habemus hic *imaginem vinoſorum & ebrioſorum.*

Docilitas, & memoria atqve calliditas tanta eſt.]

N. 29. Ingenium ac mores belluæ partim â natura, partim ab institutione admirabiles sunt, ut fidem ferè excedant. Plurimos *Franzius* sparsim enumeravit, *Lipsius* in ordinem digessit & firmavit *Cent. I. Ep. 50* bene in fine judicans, qvædam de elephantis relata, majora vero. In primis Græculorum vanitati tribuunt *Scaliger.* in l. 2. hist. animal. sect. 133. *Vossius* l. 3. de Idolol. c. 51. Elephantes Solem novamqve Lunam venerari, patrium intelligere sermonem, immò & loqvi & scribere; homini erranti monstrare viam, victori elephanto, more humano, terram ac verbenas porrigere, humana & adulteria & homicidia observare ac detegere, non prius conscendere navem nisi reditum rector juratò promiserit, aliaqve talia, â qvib9 & argumenta pro Ratione Bestiarum præcipua â *Rorario*, & similitudines, emblemata, hieroglyphica, in Pierio, Caussino, Picinello & aliis passim petita legimus.

N. 30. Discunt autem Elephanti adorare Regem. *Aristot. l. 9. hist. animal.* c. 72. *Ælian.* l. 13. de animal. c. 22. *Plinius* l. 8. c. 1. *Martialis* in Spectac. Epigr. 17. Uti Elephas Indicus, qvem Emanuel Portugalliæ Rex miserat, an. 1514. Romæ Leonem X. Pontificem de fenestra prospicientem præteriens ter genibus flexis, & demisso corporis habitu venerabundus salutavit, retulit *Hieronymus Osorius* lib. 9. de Gestis Emanuelis Regis. vid. Zuinger. Theatr. vol. X. p. 2444. In Belgio Elephas an. 1563. spectatores inclinatione Corporis salutabat. *Gassendo* visus, cætera inter salutantes resalutabat, tum deducto è capite galero, tum abductis retrorsum pedibus antico dextro, postico sinistro. Cum magnus Mogol nominalem

su-

suum celebraret, elephantorum pulchre & pretiosè vestirorum duodecim fere cohortes prætereundo Regem adorabant. *Francisci* Ost-und West-Indischer Staatsgarten *p. 1447.* In Regno Pegu bis singulis diebus è stabulis emissi, Regem in aurea sella sedentem præter ambulando venerantur; præcedunt magni qvatuor albi; reliqvi ordine seqvuntur; proboscides in altum tollunt, ora diducunt, & conclamant, in genua procumbunt, & rursum erecti in stabula redeunt. *Caspar Balbus Venetus in Itinerario* apud Francisci p. 1520.

N. 31. Discunt saltare. *Ælian. l. 2. hist. an. c. 11. Busbeqvius Epist. I. Legationis Turcicæ*, (p. 102.) *Francisci* Geschicht-Kunst und Sitten-Spiegel p. 1386.

N. 32. Discunt in altum arma jacere, ut eadem decidentia excipiant, uti nos pilas solemus, nec vento qvidem auferente ea. *Plinius l. 8. c. 2.* qvem *Busbeqvius* vidit, pila lusitabat, qvam palmæ vice feriret proboscide. Adde *Harduin.* in notis ad Plinii l. c.

N. 33. Discunt per funes incedere. *Plinius l. 8. c. 2. Seneca Epist. 86. Sueton. in Nerone cap. 11. in Galbâ cap. 6. Dio in Nerone p. 166.* Grandia hæc, grandia! exclamat *Lipsius* Epistola citata. *Scaliger* in hist. an. l. 2. sect. 133. in dubium vocat scribens: *Mihi incredibile fit, per funes incessisse. Qvæ enim contentio aut qvi demum funis, tam bello funambulo satis esse videatur?* Sed non est, nostræ modestiæ, inqvit *Vossius l. 3. de Idol. c. 50.* ea inficias ire, qvæ gesta sunt tota spectante Roma. *Nieremberg.* testem aulam Philippicam Hispaniæ allegat, adjiciens se capram funambulam vidisse *l. 1. Histor. Nat. c. 13.*

42 *In Insula qvadam Indiæ Zoilana maximi reperiuntur.*]

N. 34. Fert elephantos Africa, Asia, maximos India, & inprimis, ut pleriqve scribunt, Zeilam Insula, veterum Taprobana credita, & Ophir Salomonis. (vid. *Bochart. Geogr. S. Part. I. l. 2. c. 27.*) qvanqvam *Tavernier Part. II. Itiner. p. 71.* referat, non tam maximos, qvam intrepidos in Zeilam reperiri. America nullos habet. Qvod argumento est, classem Salomonis inter cætera ebur advehentem in Americam non venisse. Magnitudinem unius majoris Elephanti Constantinopoli, secundum omnes dimensiones descripsit *Gillius*. Ex Hispania Maximiliano Imperatori missus, & an. 1563. mense Septembri in Belgio circumductus novem tantùm annorum, altus fuit octo pedes. *Meteranus lib. 2. p. 54.* Spectatus Norimbergæ & Francofurti an. 1629. decem annorum, itidem decem pedum deprehensus ab *Horn.* Majores natu elephantes ut plurimum sedecim pedes excelsi, qvinqve crassi perhibentur. vid. *Horn. p. 51. Bochart. Part. I. col. 270.* Color plerisqve fuscus aut niger, albus in Malabar, Goâ, inferioriqve Æthiopia. Zeylamenses, Peguani, Coromandelenses, Malabares, aliiqve Indiæ Orientalis populi, Elephantos albos sibi rarissimos adorant & colunt, tanqvam Reges nigrorum, & divinitatis cujusdam, de qva in fabulis suis habent, participes. Hinc causa funesti belli tales elephanti aliqvando extiterunt, præcipuè an. 1568. qvo Rex Peguanus, cum â Rege Siamensi album elephantem, nec donis maximis, nec precibus sæpe repetitis, impetrare potuisset, adducto exercitu millionis militum, 200000. eqvitum, 500. elephantum, & 300. Camelorum, regnum devastavit, urbem Siam cepit, & multis magnisqve cum spoliis ad-

duxit secum, magnum, scilicet belli pretium, elephantem album. *Jodocus Schouten Descript. Regni Siam p. 304.* Gothardus Artus Dantiscanus, qvi cum classe Belgicâ in Indias navigavit, *apud Francisci* im Lustgarten p.1510. *Joh. Hugo* ab Nieremberg. l.9. c.88. *Joh. Petr. Maffejus lib. 1. histor Indicar.* p.57. *Philippus Baldæus* cap. 5. *Athanasius Kircher. Chinæ illustratæ Part. III. cap. 4.* p.152 *Hoornbeck de Conversione Indorum & Gentium* l.5. c.5. p.42. Nimius item honor est, qvem Rex Siam Elephantis mortuis exhibet, eorum funus tali pompa cremando, qva Principum in regno virorum defunctorum corpora solent. *Tavernier Part. II. lib. 3. c.18. p.182.*

Clementes sunt etiam erga facinorosos.] 42

N.35. Carnificum loco in regno Magni Magoris qvidam supplicia reorum exeqvuntur. Prout enim Magister imperat, ita vel citò pedibus objectos sibi proterunt, vel lentè membra corporis calcando & perfringendo perimunt. *Anderssohn lib. 1. Itiner. Oriental. c. 26. Francisci* Geschicht-Spiegel *p. 899.*

Coëunt modeste prolis causâ.] 43

N.36. Coeunt ineunte vere, modo, non qvem *Plinius l. 10. c. 63. & Solinus c. 30.* indicaverunt, sed aliorum qvadrupedum plerorumqve descripto ab *Aristot. l. 5. hist. c. 2. Strabone l. 15. p. 705. Diodoro Siculo l. 2. p. 126. Alberto M. l. 5. de animal. Tract. 1. c. 2. fol. 52. b. confirmatoqve â Garcia l. 1. Histor. Arom. c. 1.* ætatis anno, fœmina citissimè decimo, tardissime qvinto decimo; mas qvinto sextove: alibi tamen *Philosophus* annum vicesimum tam viri qvam fœminæ ponit; *l. 6. hist. c. 26.* Qvam implevit mas coitu, rursus non tangit, nisi post trienniumjuxta *Aristot.*

l. 5. c. 13. post biennium secundum *Plinium l. 8. c. 5. Solinum c. 28.* qvinis, nec amplius in anno diebus: sexto aqvis abluunt se anteqvam ad agmen revertantur. Captus elephas fœminam non appetit, aliqvando tamen amoris æstu in furorem agitur. *Tavernier Part. II. Itiner. p. 70.* qvi pag. *seqvente 71.* peculiarem de coitu observationem habet.

Biennio dicitur gerere uterum, & parere in aqvis.]

N. 37. Gravidam elephantem decem annis gestare in utero olim vulgus existimavit. Inde nata est parœmia, cujus *Plinius* meminit *in præfat. Histor. Natural.* ad Titum: Celerius elephanti pariunt; dicta in immodicam cunctationem, & qvorundam tarda nimis molimina. Vide *Erasmum in Adag. p. 681.* Festivus in hanc opinionem vulgarem lusus legitur in famem diuturnam apud *Plautum Sticho 1. 3.* & apud *Dannhauer. in Oratione Doctorali I. annexâ Homiliar. Academicar. Part. II.* p. 652. in promotionem Doctoralem Theologicam post elapsum fere decennium institutam, ex qvo Academia nullam habuerat. Philosophi longe brevius gestationis tempus definiveruut, qvos recte *Franzius* est secutus. *Repete supra ad cap. II. p. 21.*

N. 38. Fœminam parientem ingredi aqvas usqve ad ubera, & illic parere metu Draconis, qvi extra aqvas parienti fœtum devoraret, Marem etiam â pariente non recedere propter Serpentem, qvi inimicus pariter sit, ex Auctore Incerto de Natura Rerum citarunt *Vincentius Ballovacensis* Plinius Monachorum, *lib. 20. Speculi Naturalis cap. 44. Sangeminianus* lib. 5. c. 86. qvi hoc exemplo docet, occul-

tare

tare bonum opus, ne illud, non exigente necessitate, publice productum, diabolus insidians, propter inanem gloriam rapiat; Matth. VI. 1. Aliam partûs in aqvis causam, sed apertê fabulosam, afferunt *Physiologus Epiphanii* cap. 4. *Damir* apud Bochart. Part. I. Hieroz. lib. 2. c. 26. col. 262. scilicet crurum inflexibilitatem tam in matre qvam in pullo. Nobis videtur hæc de partu elephantis in aqvis narratio, fide digniorum Auctorum testimoniis indigere. Coire in aqvis habet *Albertus M. l. 5.* de animal. Tract. I. c. 2. fol. 52. b.

N. 39. Parit uno partu unum pullum magnitudine bimestri aut trimestri vitulo parem. *Aristot. l. 5. hist. c. 13. Plin. l. 8. c. 10. Solin. c. 28.* Qvibus post *Ælianum* l. 8. c. 17. & 27. *Diodorum* l. c. se opponit Scaliger, asserens, *ternos aut qvaternos parere. Tot enim comitari matrem visos.* Persvaderent hi matris comites, si uno, & non diverso partu editos constaret. Semel enim tantùm elephantum in vita gignere, *Aristoteles* l. c. non dixit, ut ut *Plinius* juxta vulgatam lectionem ita referat, & ex eo *Solinus* exscripserit, nec minus *Ælianus* tradat. Contradicunt etiam rectè ipse *Scaliger* & *Lipsius*. In Plinii autem verbis meritò illa, *qvam semel gignere, pluresve qvam singulos* expungit *Harduinus*, Codices optimos secutus. Vulgata illa persvasio, ansam dedit Emblemati apud *Picinell. T. 1. p. 375.* pingendi Elephantem parturientem, adscribendiqve: SEMEL ET UNUM; ad B. Mariæ virginis partum únicum adumbrandum.

Non possunt natare.] 45

N. 40. Intellige, promè & expeditè ob vastam corporis molem. Cæterum non sunt plane â natura in-

inepti ad natandum, qvam usu perficiunt. *Scaliger in histor. animal. f. 264. Horn p. 73. Voss. de Idolatr. l. 3. c. 50.*

47 *Longævitas hujus animalis magna, perhibetur esse annorum 200. interdum 300 & amplius.*]

N. 41. Auctores allegavit *Vossius* l. c. qvibus fidem non habet *Balthasar Bonifacius Historiæ Ludicræ l. 18. c. 6. 706.* Adde *Tavernier* relationem supra *ad cap. 2. p. 25.* Morbos, qvibus affliguntur elephanti, memorat Aristot. *l. 8. hist. c. 21. & Scaliger l. c. f. 263.* Annuum furorem & rabiem, cum hibernis mensibus pluviæ increbescunt, describit *Nieremberg. l. 9. c. 86. p. 197. sq.* Qvando amoris æstu in furorem aliqvando aguntur, in summo vitæ discrimine insidentes versantur. Cum Rex in India Chan Gehan belluas venaretur, elephas, cui ipse cum Filio insidebat, æstu tanto corripiebatur, ut servus amplius regere non posset, indicaretqve fore ut omnes tres inter arbores perirent, nisi unus se bestiæ necandum exponeret. Offerebat ergò se pro Rege ac Principe filio in mortem, commendatisqve suis tribus filiis regiæ Clementiæ, præcipitem se dabat de illa in terram, â qva proboscide apprehensus, pedibus subjectus, & attritus fuit. Qvo facto ipsa, mox deposito furore, regi se patiebatur. Rex vitam suam mortis faucibus ereptam gaudens, pauperibus 200000. Rupios, vel 100000. Imperiales distribuit, serviqve liberatoris filiis munera lauta in aula sua contulit. *Tavernier Part. II. Itinerar. p. 71.* Tantus amor Servi barbari erga Dominum ac Regem, Tanta gratitudo Regis barbari erga DEUM & Benefactorem suum extitit! Christiani autem, qvid rependunt iis, â qvibu

bus multa & magna beneficia acceperunt? Qvas gratias habent, pro beneficio, qvo majus nec esse, nec cogitari potest, pro passione ac morte Liberatoris sui Christi, qvâ ab æterno exitio corporis & animæ sunt redemti?

Elephanti non possunt ferre grunnitum porcorum.] 48

N. 42. Ita *Ælian.* l. 1. c. 38 l. 16. c. 36. *Zoroaster in Geoponicis* l. 15. c. 1. p. 402. *Plin.* l. 8. c. 9. *Seneca* l. 2. de Ira c. 12. & alii multi. Manifestum hunc errorem pronunciat *Garcias lib. 1. Histor. Aromat. c. 14.* cum, non solùm Sves Elephantorum stabula ingrediantur impavidis ipsis, sed & in silvis Malabaricis multi sues cum elephantis versentur. Fortasse consvetudo vicit formidinem. Nam & Camelus eqvum horret primò visum; usu & consvetudine domat metum; uti non malè judicat *Nieremberg. l. 9. c. 84.* Confer. *Voss. de Idolat. l. 3. c. 60.*

Est etiam inter Elephantes & Dracones perpetua & naturalis discordia.]

N. 43. De qva scripsere *Diodor.* l. 3. p. 149. 169. *Ælian.* l. 6. c. 21. *Plin.* l. 8. c. 11. 12. *Solin.* c. 28. At, qvod dicunt, devictorum elephantum sangvinem bibi à Draconibus ad refrigerium ex æstu; non accipit *Albertus M. l. 22. de animal. Tract. II. cap. I. f. 216. b.*

Conspecto ariete vehementer Elephantus pertimescit, & qvando solutus est in ferociam, eo viso mitescit. 51

N. 44. Elephantum, cum feritate effertur, statim ad arietis conspectum mansvescere tradidere *Horus Apollo*, *Plutarchus*, *Ælianus*, ex neotericis *Gillius*, apud *Aldrovand. lib. 1. de Qvadruped. Solidiped.*

diped. p. 218. Non absimile est, qvod Ælianus habe l. 1. *de animal.* c. 38. ad formosæ mulieris occursun concitatos furoris motus frangere. Ad infantis la crymantis conspectum idem fieri legitur apud *Geier* Zeit und Ewigkeit *P. I.* am Christage *p. 131.*

Elephantus dicitur extremè odisse murem.]

N. 45. Apud *Plin. l. 8. c. 10. Solin c. 28. Plutarch. de Invidiâ & odio p. 537. Albertum M. l. c. Basil. hexaem. homil. 9. Ambros. l. 6. Hexaem. c. 6.* qvorum Patrum uterqve scitè ait, se non elephantem admirari magis, propter magnitudinis suæ tumorem, qvam murem, qvi formidolosus est elephanto. Confirmarunt *Garcias l. c. & Johannes Hugo apud Nieremberg. l. d. c. 68.* attestati, elephantos, si mures in suis stabulis senserint, contorta in se & convoluta promuscide dormire, ne eam mures ingrediantur & mordeant: Eadem plane ratione formicas abhorrere. Qvare *Dalechampius* male judicat, Plinium deceptum vocum affinitate ὗς & μῦς pro sue, murem scripsisse; *in notis ad l. c.*

52 *Valde movetur hoc animal viso igne, & sangvine uvarum & mororum.*]

N. 46. Ignem timeri ab Elephantis indubitatum est. *vide Ælian. l. 7. c. 6. l. 16. c. 36. Livium l. 26. c. 6. Ammian. Marcellin. l. 19. p. 155.* Qvi in spectaculis ad exhilarandum Regem Pegu & Magnum Mogorem qvotidianis pugnantes committuntur, immissis ignibus pacificantur. *Nieremberg. l. 9. c. 84. Francisci* Lustgarten *p. 1454.* Longiore tamen temporis consvetudine aliqvos elephantos metum ignis exuere, nec ignes missiles sub ventribus tumultuante

tes pavescere, scribunt Hugo apud *Nieremberg. l. c. c. 88. Tavernier Part. III. Itiner. p. 76.*

N. 47. Efferari eosdem posito ob oculos vino rubro & succo mororum ex *lib. 1. Maccab. c. 6. v. 34.* tradi solet. Causam, qvam *Franzius* dixit, jam attulit *Vallesius Sacra Philosoph. c. 82.* repetiit *Aldrovandus.* Contra *Bochartus* ex Plutarcho, Seneca, Ovidio, Juris Institutis probat Tauros rubicundo, elephantos albo colore irritari. Calculum adjicit *Nieremberg. l. 7. histor. nat. c. 58.* Unde haut vana est opinio, non tam colore rubri vini moriqve, qvam odore ac spe potiundi elephantos incitari. Nam vino valde delectari, & ad bellum destinatos potari, diximus n. 28. Maximè autem vinum ad furorem excitat, cui tus admixtum, testibus *Dioscoride, Serapione & Damire* apud Bochartum. Ob qvam causam, jussu Ptolemæi, multum vinum largo ture conditum elephantis datum, ut efferati copiosa potûs illius subministratione, in Judæos neci devotos majori impetu ruerent; *lib. 3. Maccabeorum*, qvem rei gestæ ordo rectius primum facit, *Cap. VI. v. 1. 5. 30.* Judæi capite damnatis tus in vino bibendum exhibebant, ut mente perturbata rei mortem non metuerent. *Sanhedrin cap. 6.* Huc referunt Docti, qvod Christo in crucem figendo obtulerunt myrrhatum vinum *Marc. XV. 23.* i. e. myrrhâ conditum vel ture etiam; qvia מור Mor Hebræis & Syris primò myrrham significat, deinde aroma qvodvis. Confer *Matthæi Poli Synopsin ad h. l. Ramiresii Pentecont. cap. 5. & ex eo Pontanum in Atticis Bellariis. p. 410.*

AP.

APPENDIX.

DE USU ET ABUSU ELEPHANTI.

N. 48. Usus elephantum multiplex est. In India servitiis ac rebus promiscue omnibus conficiendis destinantur, non secus ac apud nos eqvi. *Nieremberg. l. 9. c. 88.* Schefferus de Re vehiculari l. 1. c. 9. p. 99. In spondis, tergo ipsorum impositis ac velamento tectis, cubantes commodissimè vehuntur. *Della Valle Part. 2. p. 217.* De opera bellica vide n. 21. 22. in carnificum munere obeundo n. 34. 46. voluptatem, qvam hominibus ludendo, gesticulando, saltando, per funes incedendo, pugnando invicem, aliisqve, qvas didicere artibus, creant, ex Franzio & â nobis ei additis facile capimus.

N. 49. Mortuorum carnes avide eduntur; n. 37. caudæ æstimantur n. 3. Dentium sive eboris in simulacris deorum, sellis, sceptris, virorum Principum, patinis, tabellis, pectinibus, & aliis etiam ad luxum privatorum fabricandis, tantus est usus, ut ex Æthiopiæ parte, qvæ est Sofala, usqve ad Melinde, singulis annis in Indiam devehantur millies sexcenta pondo, præter eos dentes, qvi ex plerisqve Indiæ regionibus convehuntur. Hujus eboris pars in Chinarum regionem defertur, maxima & potissima in Cambajam: dæmonis enim persvasione, apud mulieres ejus regionis, superstitio viget, ut è vita sublato aliqvo consangvineorum, illico omnia monilia, qvorum viginti ex ebore confecta singulæ mulieres in brachiis gerunt, (fiunt tamen & ea interdum ex testis testudinum) confringant, & posito luctu nova inducant. *Garcias lib. 1. Histor. Aromat.*

mat.c.14. Æthiopes, qvi ob tam multa elephantos venantur, adhuc hodie Regi suo, tributi loco, de captis singulis, unum dentem dare, tenentur. *Tavernier P. II. l. 1. c. 18. p. 71.* In sacris literis legimus, grande solium fecisse Salomonem sibi ex ebore *1. Reg. X. 18. 2. Paralip. IX. 17.* Achab eburneum palatium, i. e. ebore plurimo splendidum extruxit, 1. Reg. XXII. 39. qvalia habuere, Menelaus teste *Homero Ulyss. δ. v. 72. 73.* & Proceres Insulæi Cei *apud Athenæum l. 2. p. 39.* auro & ebore fulgentia. Si credimus Chaldæis Paraphrastis, Jonathani & Hierosolymitano, Gen. L. 1. Joseph Patrem suum reposuit, in lecto רשנדפין desindaphin i. e. eburneo. Privatorum qvoqve domus & lecti ex ebore notantur Amos III. 15. & VI. 4. Transtra navium Tyri erant ex ebore in buxo ex insulis Cittim Ezech. XXVII. 6, i. e. ex ebore, qvod buxo Corsico inclusum fuit, prout explicavit *Bochartus Geograph. S. Part. Prior. l. 3. c. 5. Part. Posterior. l. 1. c. 31. 32.* In Hierozoico Part. I. col. 252. adduxit ad illustrandum Prophetæ locum, Virgil. Æneid. lib. 10. v. 135.

----- qvale per artem
Inclusum buxo, aut Oriciâ terebintho
Lucet ebur.

N. 50. Abusus abominabilior est, elephantos religiosè venerantium, & pompâ funebri cremantium, de qvibus n. 34.

MORALIA.

I. VERBUM EVANGELII ET SACRAMENTA.

Vestimenta Sponsi Spiritualis *(i. e. Regis Messia)*

sia) sunt præ palatiis eburneis. Psalm. XLV. 9. i. e. Verbum Evangelii & Sacramenta, qvæ Christum involvunt, sunt pulchra & svaveolenta præ palatiis ebore ornatis & obductis, qvæ & ipsa qvandoqve odoratis consperguntur oleis, Proverb. VII. 17. *Vide Geier. in Psalm.*

II. CHRISTUS MORIENDO VICTOR.

Sicut Elephas ab insidiante Dracone laqveatis cruribus mordetur, ad lapsum cogitur, & occiditur, qvi tamen ipse supra Draconem ruens, eum veluti talionis lege, exanimi suo pondere opprimit, enecat, & ita VICTOREM VINCIT, aut CÆDIT DUM CADIT, aut OCCISUS OCCIDIT. (n. 43): Ita Christus moriens mortem ac dæmonem oppressit & vicit, juxta Hoseæ XIII 14. 1. Cor. XV. 54. sq. Mortem nostram moriendo destruxit, ut canit Ecclesia: mortem ab inimicis sustinuit, eamqve in suo corpore OCCISUS OCCIDIT; verba sunt *Augustini Serm. 30. de Tempore* Sicut Elephas serpentem, illius interimendi causâ desuper ex arbore proreptantem, corporis sui mole validè adversus arborem atterendo interficit, & medium malitiæ â Serpente adhibitum, in perniciem ejus vertit: ita Christus Cruci affixus Serpentem tartareum, qvi in ligno arboris hominem vicerat, in ligno Crucis vicit.

III. DEUS PATER PROPITIUS PROPTER CHRISTUM.

Elephas furens viso ariete furorem deponit & mitescit. (n. 44.) DEUS Pater filium suum, agnum illum Joh. I. 29. intuitus, iram erga homines dimittit, & clementem se exhibet. *Moller. Similitud. p. 5.*

IV. Ir

IV. IRA ALIISQVE AFFECTIBUS ÆSTUANS, INTUENS PUERULUM JESUM IN PRÆSEPI.

Si elephas, qvantumvis valde furens, ad conspectum infantis lacrymantis & inermis, statim ad se redit, & furere cessat, qvòd in India observatum esse ferunt: quantô magis homo mente præditus, etiamsi æstuet iræ rabie, vindictâ, lascivia, turpi ac impura libidine, animum mutare tenetur, qvamprimùm in præsepi infantem JEsum tam amabilem, tam blandulum, tam æstimabilem, miserrimum tamen aspicit, qvi ut insanum hominem converteret, in extremam hanc miseriam, lubens volensqve se dedit. *Geier* Zeit und Ewigkeit *P. I.* am Christtage *p.* 131.

V. PII IN ANGUSTIIS.

Cum flumina transeunt Elephanti, proboscide emersa respirant, non aliter ac urinatores flatorio suo instrumento spiritum superius detrahentes. *Aristot. l. 2. de Partib. animal. c. 16. Ælian. l. 7. hist. animal. c. 15.* Repete etiam n. 4. & 40. Pii, angustiis ac periculis undiqvaqve velut undis immersi, elevatis in cœlum manibus precando, â DEO auxilium petunt & accipiunt. Sit ergò elephantus in aqvis Emblema cum lemmate; DE COELO VITA.

VI. JACTURA UTILIS.

Cum venatu premuntur Elephanti, impactos dentes arbori frangunt, prædaqve se redimunt; ob eos enim se peti norunt; (n. 15.) Christiani, ea qvæ chara sibi sunt, peccandi autem occasionem præbent, abscindunt, ne per illa periclitentur in ani-

ma, juxta monitum Christi, Matth. V. *Si oculus Tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Geminiano l. 5. c. 85. Christiani ea, de qvibus lis est, potentiori adversario, cujus vim se effugere non posse vident, potius relinqvunt, qvam ut reluctando sua omnia, seqve perdant. Id jussu Christi fieri Matth. V. 40. *Salvianus* docet *lib. 3. de Gubernatione DEI. pag. 79.* Cato præcepit: *Qva nocitum tenes, qvamvis sint chara, relinqve.*

VII. CONATUS AD SUBLIMIA, OBOEDIENTIA DEO.

Elephas supra extentum funem incedit (n. 33.) *adscensu nitens alto*; Ita nemo, nisi probe coërcito & subjugato corpore aggravante animam, Sap. IX. 15. per arduam ac laboriosam semitam ad virtutem pervenire potest. *Ovidius l. 2. de Arte amandi:*

Ardua molimur, sed nulla nisi ardua vincunt;
Difficilis nostra poscitur arte labor.

Lib. 2. de Ponto. Tendit in ardua Virtus.

Aut, ut elephas ad jussum Rectoris sui obtemperans, super funem, qvocunqve ducit, incedit: ita homo in Scholâ DEI institutus, promtissimè oboedit, qvâcunqve via, sive lata sive angusta, divina eum providentia ducat. Thomas â Kempis de Imitatione Christi l. 3. c. 5. *Pone me, ubi vis, & liberè age mecum, in omnibus in manu tua sum; gyra & reversa me per circuitum; en servus tuus sum ego, paratus ad omnia, qvoniam non desidero mihi vivere, sed tibi.*

VIII. ANIMUS GRANDIS, FORTIS INNOCENS, INSUPERABILIS.

(1.) Tela ac sagittas excutit Elephas, qvæ cu[m] ha[...]

hærent, nec ſangvinem exprimunt ex vulneribus, nec ad interiora viſcera penetrant. *Lucanus lib.6.*

Sic Lybicus denſis Elephas oppreſſus ab armis,
Omne repercuſſum ſqvalenti miſſile tergo
Frangit, & hærentes *motâ cute diſcutit* haſtas;
Viſcera tuta latent penitus, citraqve *cruorem*
Confixa ſtant tela ferâ: tot facta ſagittis,
Tot jaculis, unam non explent vulnera mortem.

Ita animus grandis, ac fortis calamitates ac inſidias hoſtium *citra negotium excutit:* Ita vir probus & innocens malevolorum aculeis veluti ſagittis confixus, *ſine cruore, ſine culpâ, ſine noxa perſiſtit.* Proverb. XII. 21. Non objicietur in juſtum, ulla moleſtia. Seneca Epiſt. 13. *Incredibilis vis Philoſophiæ eſt, ad omnem fortuitam vim retundendam. Nullum telum in corpore ejus ſedet, munita eſt ſolidaq; : qvædam defatigat & velut levia tela laxo ſinu eludit: qvædam diſcutit, & in eum usqve, qvi miſerat, reſpuit.* Ita Chriſtiani perſecutiones, cruciatus, tormenta in ſuo corpore excipiunt, *interiora*, Cor animumqve intemerata DEO ſervant. Exemplo eſt Hiobus, cujus â Diabolo miſere vexati animus per corporea vulnera non lædebatur, nec vermes ventrem perforantes, intus repoſitum theſaurum adoriri poterant. Exemplo eſt S. Sebaſtianus, qvi telis plurimis transfixus animum illæſum retinuit. *(vide Hoſpinian. de origine Feſtor. Chriſtian. p. 36. b.)* Omnibus perſecutionem patientibus animum addit Salvator Matth. X. 28. *Nolite timere eos, qvi occidunt corpus, animam autem occidere non poſſunt.*

 (2) Ele-

(2) Elephas in aperto campo nunqvam pavescit, & nisi â gravissimo impetu non superatur. Unde lemma *apud Picinellum T. 1. p. 372.* VI PARVA NON INFLECTITUR. Hoc elogio Sveno Daniæ Rex, teste Torqvato Tasso in Hierosolyma Liberata, juxta alios Svenonis Regis filius insignis fuit, ut qvi innumero Arabum exercitu â Solimanno horrendum infestatus, animo inpavido invictas vires hosti opposuit. *Qvicunqve Pius est homo, ad Dæmonem, mundum, cæteraqve adversa omnia, nihil trepidat.*

3. Sagittæ impactæ Elephanti vires non diminuunt, sed iram ac furorem incendunt. Nimirum, DANT VULNERA ROBUR. Ita militare hominis pectus, tametsi plurimis vulneribus saucium, ardore tamen semper majori in hostem fertur.

4. Elephas viso sangvine effuso capit vires, magisqve qvam alias in hostem concitatur. Unde epigraphe è Virgil. l. 12. Æneid. facta est: ARDET IN ARMA MAG*IS*. Ita Mauritius Legionis Thebeæ Dux, milites suos, qvod idolis tura adolere nollent, minutim concisos intuitus, ex eorum sangvine magis in Christi amorem excanduit: unde sanctam fidem suamet constantia propugnans, fatalem gladium cum reliqvis sociis, hilari animo excepit. Nos, viso sumtoqve Sangvine Christi in S. Eucharistia, ingentes haurimus spiritus ad frænandum passiones, ad vincendum tentationes. Chrysostomus homil. 61. ad populum, & 45. in Joh. *Tanqvam Leones ignem spirantes ab hac mensa recedimus, facti Diabolo terribiles.* Qvem effectum Christus ipse innuit, dum Apostolis post supremam illam epulationem, primam-

mamqve sui Corporis & sangvinis communionem dixit; *Surgite, eamus hinc.* Joh. XIV. 31. qvasi diceret, sat jam corporibus, sat animis vestris accessit virium, ad dimicandum & vincendum procedamus. Patres Ecclesiæ testantur, primis temporibus, cum divina hæc mensa admodum freqventaretur, Christianos non solùm Legis divinæ observatores rigidissimos, sed etiam Tyrannorum, cruciatuum, periculorum qvorumvis contemtores fuisse generosissimos.

IX. VINDICTA REPRIMENDA.

Elephanti, etsi vindictæ cupidi, eam tamen aliqvando, æqvitatis studiosi moderantur. Referente *Acosta* apud Lipsium, Miles qvisqviam in urbe Cochin, elephantum per lasciviam in fronte, putamine nucis grandis illius Indicæ, qvam Coccum appellant, percusserat; Elephantus putamen studiose tollit: illud, atqve iram, recondit. Post dies plusculos, in via qvapiam publica obambulantem militem conspicit: accedit, & elatum ex ore putamen, promuscide sua acriter in illum conjicit, tum exultabundus abiit, qvasi talione illa injuriam probè ultus. Ex ejusdem *Acostæ* relatione; Miles elephantem in eadem urbe cum rectore obvium habuit, noluit decedere. Elephas suam & rectoris contumeliam id interpretatur: ulcisci tamen à rectore prohibetur. Post dies aliqvot, in ripa Mangatæ, fluminis urbem alluentis, militem fabulantem otiosè reperit. Cum rector non adesset, corripit illico hominem, in altum tollit, nec precibus nec clamore adstantium motus, aliqvotiens flumine mersit, alle-

vans ſubinde & demittens. Cnmqve luſum eum ſatis diu luſiſſet, contentus hac vindicta, hominem vitæ ſuæ jam diffidentem, rectum & illæſum deſtituit eo ipſo loco, unde ſuſtulerat. *Chriſtiani, qvibus omne vindicandi ſeipſos ſtudium, interdictum eſt, belluis impotentiores, pro verbis moleſtis aut injuriis verbera, vulnera, mortem rependunt.*

X. DAMNI, ABLATI, RESTITUTIO.

Laſſus ab itinere elephantus, ac famelicus, in ſtabulum deductus, ubi aſinum reperit hordeum comedentem, præſepi eum depulit, & ipſe, qvod reperit, comedit. Mox, elephanti ſui memor Dominus advenit, ac hordei affatim præbuit elephanto. Ille memor injuriæ, præ fame nimia, aſino illatæ, omne illud promuſcide diviſit, parte ſibi reſervata; alteram dedit aſino, qvi avide devoravit. *Petrus Bellonius Cenomanus, Petri Gillii Helvetii, in peregrinatione Aſiatica comes, teſtis oculatus, narravit Carolo Cluſio, is Juſto Lipſio.* Homines pejores beſtia, & rapiunt aliis ſua, cum neceſſitas nulla eſt, & nunqvam reddunt.

XI. EX PERICULO CAUTUS.

Semel captus elephas, ſed elapſus, inpoſterum timet & cavet inſidias, ut non facile iterum capiatur. Ideò promuſcide ſua ramum grandem de arbore evellit, exploratqve eo, an locus ad capiendum tectus lateat. *Tavernier Itiner. P. II. lib. I. c. 18 p. 70 ex relatione Venatorum Indorum.* Multi homines, tam incauti ac imprudentes ſunt, ut in periculum, è qvo evaſerunt, in lutum peccati, è qvo emerſerunt, identidem incidant ac tandem pereant.

XII. PRU-

XII. PRUDENTIA LENTE FESTINANS.

Elephas grandior adeò molliter incedit, ut veluti navigantibus per mare, his, qvi non aſſveti inſederint, nauſea commoveatur propter corporis magnitudinem. *Cardanus l. X. de ſubtilit p.552.* ſed gradario ſuo inceſſu tantum conficit, qvantum feſtinans eqvus. *Gillius.* Similiter vir magnus, prudentia & auctoritate pollens in Republ. lentè in aliqvibus difficilibus negotiis procedit, ut faſtidium & indignationem plebis fere incurrat, judicantis negligenter res magnas tractari; cum tamen is, maturis conſiliis, & actionibus bono tempore ſuſceptis, feliciter efficiat ea, qvæ alii feſtinando ac præcipitando, impediviſſent ac evertiſſent.

XIII. EPISCOPUS, PASTOR ECCLESIÆ.

Elephas non vivit ex præda, non carnibus veſcitur, herbis contentus: nunqvam nimia ſaturitate obruitur, aut, ſi exceſſerit, jejuniis ſe macerat, ut ad pugnam aut fugam ſit paratus. *Imago eſt Epiſcopi*, qvem eſſe oportet, neqve voracem, neqve rapacem, hoceſt, eſſe decet, Sobrium, & non cupidum lucri, 1. Tim. III. 2.

XIV. PRINCEPS, MAGISTRATUS.

Elephas Bonum Principem, & Magiſtratum repræſentat; (1.) ratione Originis. Elephas eſt â Deo, & ab eo creatorum, præcipuum opus. n. 1. Magiſtratus ſunt â DEO Rom. XIII. 1. ſunt dii Pſ. 82. 6. Exod. 22. 28. principes populi Actor. XXIII. 5. humana creatura κατ' ἐξοχήν. 1. Petr. II. 23. (2) ratione virtu-

virtutum: Elephas qvam proximè ad hominem accedit virtutibus; Magistratus ad DEUM. Elephanti clementia contra minus validos tanta narratur, ut in grege pecudum occurrentes manu dimoveat, ne qvam obterat, nec nisi lacessitus noceat. Plin. l. 8. c. 7. Solin. c. 28. Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ, generosam suam benignitatem, emblemate elephanti repræsentavit, qvi tranqvillo gressu inter oviculas oberrans, epigraphen tulit: INFESTUS INFESTIS. Nimirum Princeps, nisi lacessitus, nemini damnum aut molestiam creat. *Camerar Cent. 2. Embl. II. pag. 4.* Isidorus Pelusiota lib. 3 Ep. 188. *Eqvidem ipse, humilitatem ab animo magno & excelso, superbiam autem à vili & abjecto proficisci existimo.* Confer Ecclesiastic. III. 20. Elephas non vivit ex præda, non carnibus vescitur, herbis contentus; Magistratus non rapit bona subditis, non exugit exactionibus medullam ossium, contentus mediocribus tributis. Dentes DEUS elephantes dedit, qvibus pugnet ac se tueatur adversus inimica animalia: Magistratui accinxit gladium, ad defendendum probos, & puniendum improbos. Rom. XIII. 3. 4. Muscis & culicibus obsessus elephas, eorum morsum, ob cutem suam, *voce Plinii l. 8 c. 10.* cancellatam, *aut verbis Cassiodori l. 10. var. form. 30.* ulcerosis vallibus exaratam, crassam qvatuor digitos, firmam, duram, nec facile sentit, nec curat. Ita animus generosus Superioris, ira admodum est rara, nec obviis qvibusvis offensis moveri se patitur. Seneca l. 2. de Ira c. 34. *Pusilli & miseri hominis est, repetere mordentem: mures & formicæ, qva manum admoveris, ora convertunt: imbecillia se lædi putant, si tanguntur:* Lucanus l. 6. in hominem cecinit:

Di-

. - - - - - Dignum te Cæsaris ira,
Nullus honor faciet.

Qvod si verò muscas & Tabanos, importunius se lacessere sentit elephas, pellem suam in rugas contrahit, & in illis ceu tumulo conclusos hostes impudentes, suffocat, interimit, excutit. *Francisci* Geschicht-Kunst und Sitten-Spiegel *p. 1443.* Ita Princeps adversus sibi molestos subditos armis semper non habet opus, sed sola regiæ benevolentiæ bonitate contracta, hostes hos perimere potest. In aperto campo elephas non pavescit, armis in se expeditis ad pugnam accenditur, & sangvinem effusum conspicatus, ardentius in hostem fertur. *(Vide Morale VIII. n 2. 3. 4.)* Non aliter Princeps, cum bellum hostes faciunt. Ad qvæ aliaqve virtutum in Elephantis simulacra, Reges Daniæ respexisse, volunt, *Franciscus Mennenius*, circa currentis hujus sæculi primordia, *Decanus Antuerpiensis*, in Deliciis Eqvestrium sive militarium ordinum p. 149. *Pontanus* in Chronographia Daniæ, *Vossius* l. 3 de Idolatr. c. 50. cum in memoriam profligatorum feliciter, sub auspiciis Gothofredi Bullionæi, & Balduino I. Rege Hierosolymitano, Saracenorum, Maurorum, & Africanorum. elephanti imaginem suis subderent insignibus, & ordini Eqvitum pro symbolo darent torqvem aureum ex elephantis castella gerentibus, & calcaribus, signo dignitatis eqvestris. In qvibus verò insignibus, subinde aliqva immutata ab ipsis fuisse, observamus. Dignitate ejus ordinis FRIDERICO III. gloriosissimæ memoriæ Rege, Potentissimus nunc Elector Saxoniæ, Dominus noster clementissimus JOHANNES GEORGIUS III, tunc

tunc Sponsus Regiæ Principis, natu primæ, die XI Octobr. an. 1663. solenniter Haffniæ fuit exornatu Virtutem autem Herois, summo orbis Imperator LEOPOLDO, una cum Rege Poloniæ JOHANN III. suppetias ferentis, Viennam obsidentes Saraci ni an. 1683. à die $\frac{4}{14}$ Julii, usqve ad $\frac{2}{12}$ Septembris, ii timuerunt, ut, non aliter ac olim cum Svenone, Re gis Daniæ filio, congressi, multis suorum cæsis aufu gerent. *Repete Morale VIII. n. 2.*

XV. POTENTES, TYRANNI, ET EFFERI HOMINES.

In Bamba, Congiani in Africa regni, provir cia, innocui, nisi prius provocati sint, elephan pagos pervagantur, obvios qvosqve proboscide su in aera parumper elevant, & placidè reponunt TOLLUNT, UT LUDANT. Irritati, corrip unt circumamplexu, & adeò in sublime jaciunt, u sæpe prius efflent animam, qvam terram contigi rint, humi dejectos pedibus proterunt; TOLLUNT UT ENECENT. *Nieremberg. l. 9. histor. natur. c. 8*

87. Potentes, tyranni, & efferi homines, haut rarò in firmiores & simplices verbis factisqve molestis lace sunt & vexant: patienter sufferentes dimittunt, r pugnare ausos, efferatiores ipsi redditi, male mu ctant & perimunt.

XVI. FOEMINÆ SEDUCTRICES VIRORUM.

Per emissas elephantes cicuratas, feri masc li in carceres alliciuntur, & in servitutem trahu tur. *Garcias ab Horto lib. 1. Aromat. Histor. c. 14. J doc*

docu Schouten in descriptione Siam p. 301. Tavernier Itiner. Part. II. lib. 1. c. 18. p. 71. Imaginem hic habemus virorum aliàs fortium, qvi magnetico veluti lenocinio cæci fœdiqve amoris attracti, à recta virtutum via in vitia, in pericula vitæ, in mortem abducise passi sunt. Gnoma est Sapientis Ecclesiastici c. XIX. 2. *vinum & mulieres seducunt intelligentes.*

XVII. TYRANNI POPULOS AD BELLA INVICEM EXCITANTES.

In regno Patan, insidentes aliqvi mansvefacto elephanto in silvam vehuntur; ubi, cum silvestrem conspiciunt, in certamen provocant. Congressi elephanti dentibus se invicem apprehendunt, & in terram prosternere conantur. Dum verò ita exacerbati sibi mutuo resistunt, adsunt à tergo, qvi posteriores silvestris pedes fune constringunt. Hoc modo ligatum, aut occidunt, aut fame domitum vivum è silva educunt. Similiter Tyranni duos inter se populos committunt, ac, dum armis ita pugnant, & se atterunt, ipsi suis copiis supervenientes, alterum captivant, ac sub jugum suum mittunt. Exemplo esto Philippus Macedo apud *Justin.* 8. 1. 3.

XVIII. NUGACES ET OBSCOENOS SERMONES ABHORRE.

Elephas insulsum porcorum grunnitum horret. (n. 42.) Nos nugaces aut obscœnas aliorum voces aversemur.

XIX. LEVEM NOXAM AUT INJURIAM INDIGNISSIME FERENS.

Ele-

Elephas, qvi totas arces armatis inſtructas, i hoſtium cuneos defert, inter tubas & tympana, ir ter tela intrepidus; ad grunnitum ſuis, ad conſp ctum Muris, cohorreſcit & fugit. (n.42. & 45.) Sur Homines, qvi nec agmina dæmonum, nec tubai noviſſimam, nec inferorum lamenta, ſed umbram ir famiæ, levem injuriam, ab exiguo maſculo, velu muſculo, illatam perhorreſcunt. *Engelgrav. Lu. Evangel. Part. I. p. 67.*

XX. INCENDIA CREBRA.

Sicuti Elephanti inter ſe pugnantes, ignibu immiſſis, à pugna alias interneciva *avocantur*: Sicu iidem, cum in prælium educti, magnam ſtragen edituri ſunt, facibus accenſis terrentur, & in fu gam aguntur: (n. 46.) Ita DEUS homines diſcor diis, litibus, rixis aliisqve peccatis incorrigibilitei immerſos perituroſqve, incendiis ædium, pago rum, urbium, qvæ hic annus 1686. crebra rurſum hi regionibus numeravit & ploravit, exterret, & ac vitam meliorem revocat.

CAP. V.

DE CAMELO.

53 N. 1. CAmelus ſuo nomine Syriaco in Latium venit. *Varro lib. 4. de Ling. Lat. p. 24.* Nam Syri, Chaldæi, Arabes, Ægyptii & Æthiopes animal id Aſiaticum & Africanum appellantes, imitati ſunt Hebræos; apud qvos vocatur גמל *Gamal* â verbo גמל; qvod ſignificat (1) â lacte depellere, voce Hieronymi, ablactare; (2) retribuere; & (3) generalius bene vel male facere.

N. 2. A prima ſignificatione Camelum dictu p

putant *Schindlerus*, *Forsterus*, *alii*; & sic propriè denotare Camelum nuper ablactatum; non attendentes (1) apud Hebræos *Gamal* generale esse nomen camelorum, cujusvis ætatis & sexûs: (2) expresse dici camelos lactantes cum suis pullis Genes. XXXII. 16: (3) Arabes, qvi curiosè nomina Cameli, juxta ætatum discrimina, usqve ad plenam maturitatem distinxerunt, id non observare, sed adultum plenò robore *Gemel* nominare.

N. 3. Ab altera acceptione, retribuendi vel rependendi, & qvidem non bonum, sed malum, deducit *Bochartus Par:. I. col. 75.* qvod nullum animal, accepti mali memoriam conservet tenacius, & ultionem persеqvatur acrius. Id probat, *tum testimoniis* Basilii, Chrysostomi, Nazianzeni, Isidori Pelusiotæ, Eustathii, Damiris, Leonis Africani, Marmolii, Olearii, qvi omnes scribunt, camelum injuriæ diutissimè meminisse, & commodo tempore vindicare; ita ut Persæ iram Cameli proverbio dicant de implacabili odio; *tum exemplis* ex Aristotele, Æliano, Damire, Oleario narratis. Hinc Sapientiam Adami prædicat, qvi ea appellatione naturam hujus animalis aptissimè expresserit.

N. 4. Ad tertiam significationem generaliorem respexit *Majus*, docens Camelo nomen ab Adamo convenienter impositum, â *bene facere*, qvod plurima hominibus bona tribuat, & longè majores ex eo percipiantur utilitates, qvam ex omnibus aliis jumentis. Rationes, qvibus hanc etymologiam verisimilem reddit, lege *Part. I. lib. 2. c. 3. p. 310.*

N. 5. Juniorum Camelorum, ad iter tamen expeditorum, nomen peculiare est, singulare בכרה

bicra,

bicra, & plurale בכרים *bicrim*. Jerem. II. 23. DEUS Israeliticum populum vocat בכרה קלה camelam levem vel citam, משרכת explicantem vias suas, ut *Hieronymus* reddit, implicantem vias suas ut *Buxtorfius & Bochartus* vertunt contrario fere sensu. *Majus* planiorem & faciliorem judicat versionem: *camela levis celeriter incedens viis suis*. Cujus interptetationis etiam rationes adduxit *p. 319*. Jesaias LX. 6. vaticinatur de muneribus Regi Messiæ offerendis, ut *Kimchi* exponit, & impleri cœpisse jam tum, cum Magi Christo infanti tus & aurum obtulerunt, Christiani interpretes piè observant, aut de concursu gentium in Ecclesiâ: *Turma* (hebraicè שפעת, Chaldaicè שירת i. e. (caravana) *camelorum operiet te;* בכרי *bicre Midian & Epha* i. e. juniores Cameli ex urbibus ad litus maris rubri sitis. Nam nullibi freqventiores cameli, qvam in regione, cujus eæ urbes erant, Madianitide, Jud. VI. 5. c. VII. 12. vid. *Bochart. col. 82. Majum p. 314.*

Matth. XXIII. 24. colantes culicem & Camelum glutientes.]

N. 6. Cajetanus suspicatur, tam græcum qvam latinum textum, in nomine animalis oppositi culici, esse corruptum, & pro camelo Christum nominasse muscæ majoris aliqvod genus, qvale est œstrorum vel asilorum, qvod in potu sorberi possit; aliam rationem oppositionis non constare. Sed nihil esse corruptum, docet consensus exemplarium, confirmant versiones, Syra, Arabica, Æthiopica, Vulgata Latina, & vernaculæ qvotqvot extant, cum Græco textu conspirantes. Ad *Cajetani* argumentum rectè respondit *Ambrosius Catharinus in Annota-*

ai

ad Cajetani dogmata p.76. omninò oppositionem sibi constare, si dicentis scopum attendamus. Neq; enim Christi mens erat, camelum posse deglutiri, sed minutias illas Legis, gravioribus tantò minutiores esse, qvantò camelo minor est culex. Declarat idem eam Christi locutionem conferendo cum alia Matth. VII.3. *Qvid festucam cernis in oculo fratris tui, & trabem in tuo oculo non animadvertis ?* qvâ Christus non significat, trabem in oculo posse latere, sed vitia illa, qvorum alios arguunt hypocritæ, iis criminibus, qvæ in seipsis securè prætereunt, tantò esse minora, qvantò festuca minor est trabe. vide *Drusium de Proverb. Classe I. lib.3. prov. 31. Gerhard. Harmon. Evangel. f.588. Bochart. P.I. col.93. sq. Poli Synopsin Criticorum.*

Matth. XIX.24. Camelus etiam hanc bestiam, non funem nauticum significat.]

N.7. Rationes sunt (1) in omnibus exemplaribus κάμηλος, Camelus legitur, non κάμιλος funis nauticus. vid. *Franzium Nostrum de Interpretat. Scrip. S. Orac. 138. p.1310. Dannhauer. Ideam Boni Interpret. p.129. Zehner. Adag. Sacr. Cent.4. adag.86. Ursini Miscellanea Sacra p.193.* (2) verbum εἰσελθεῖν apud Lucam XVIII.25. magis camelo qvam funi convenit. (3) Talmudici proverbium habent: *elephantem introducere per foramen acûs* i.e. impossibilia dicere aut fingere. vide *Lightfooti Horas Hebraicas ad Matth. l.c.* videtur ergò Christus pro elephante usurpasse Camelum, animal Judæis notius. (4) suffragantur communi acceptioni *Origenes, Clemens Alexandrinus, Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, alii.*

N. 8. Pro fune nautico, qvem *Græci nonnulli* apud Theophylactum & *Harmonia Evangelica Chemnitio Lyseriana c. 131. fol. 1368.* intelligere maluerunt, urget *Bochart. P. I. col. 91.* (1) major est analogia inter rudentem & filum, qvod solet per foramen acus induci. (2) גמל & *κάμηλος*, tam à Syris & Hellenistis, qvam ab Arabibus potuit pro rudente usurpari; & Syri atq; Arabes in Alcorano, non animal sed rudentem hic intellexerunt. (3) Talmudici habent aliud adagium: *Gravis est exitus animæ è corpore, ut rudentum per foramen angustum.*

N. 9. Respond. ad (1) analogia in adagiis, rem non posse fieri significantibus, non est qværenda ultra scopum comparationis, cum soleant talia ornari ὑπερβολαῖς. Id qvod paulò ante nobiscum Cajetano Bochartus regerebat. (2) Cum Syrorum, *Gamol* tam rudentem, qvam camelum significet, incertum est qvid illi, & Hellenistæ, si unqvam aliqvi fuerunt, qvales sibi virorum doctorum qvidam imaginati sunt, prætulerint. Alcorani Surata de Limbis qvæ comminatur mandata Muhammetis negantibus & oppugnantibus, portas cœlorum & Paradisum tamdiu occludi, *donec ingrediatur rudens in foramen acus*, tantæ auctoritatis non est, ut usitatam vocis Græcæ *καμήλου* acceptionem migrare velimus. (3) proverbium citatum ex Talmudicis, non tam belle conspirat cum locutione Salvatoris, qvam illud â nobis adductum, & crebrius apud eosdem repetitum.

N. 10. Fuerunt, qvi dicerent, *κάμηλον* proprie indicare elephantum, metaphoricè funem nauticum tortuosum, posterioriqve notione in adagiis sunt

fumi. Qvos rectè refellit Majus *p.337*. Plura de Camelis Proverbia, ex Talmudicis & Arabicis scriptoribus collegit *Bochartus col.94 & 95.* Jac. Golius etiam Arabica Thomæ Erpenii Grammaticæ Arabicæ cum aliis addidit.

In Arabia & Asia nati cameli duos habent gibbos, dicuntur illi ***Dromedarii,*** *sed alii unum tantùm habent gibbum.*]

N. 11. Duo camelorum genera legas apud *Aristot. l. 2. hist. an. c. 6. Plinium l 8. c. 18. Solin. c. 52.* alterum Arabicum, alterum Bactrium, aliàs Asiaticum.

N. 12. Tria genera ex Leone Africano, Marmolio aliisqve numerant *Bochart. P. I. col. 85. Dapper in descript. Africæ p. 14* arabicis appellationibus discreta. Primum vocatur *hugiun vel hegin,* comprehenditqve camelos præstantes ætate, proceritate, viribus, colore albo. Scribuntur mille libras Italicas gestare. Qvare vocem Chaldaicam Jonathanis *Jes. LX. 6.* הוגני *bogne,* R. Elias parvos camelos male exponit, R. Salomo בחורים *bachurim,* juvenes vertens, vim omnem non exhaurit. Videntur autem significationem vocis ex Talmudicorum proverbio didicisse: *Multi sunt Cameli senes, qvi portant pelles* דהוגני *debogene* camelorum juvenum, subintellige, venales in forum. Germani dicunt: Man trägt sobald eine Kalbeshaut zu Marck / als eine Kühhaut.

N. 13. Alterum camelorum genus, juxta Leonem *Becbetos,* Arabicè *Becht* vel *Bechet,* duos habet gibbos, oneribus gestandis & eqvitationi pariter accommodos, cujusmodi Asia solùm producit. Hi,

I 2 teste,

teste *Golio*, Turcomannici & Bactriani sunt, de qvibus olim Aristoteles l.c. *Differunt Bactriani camel ab Arabicis: Illi enim duos habent gibbos, hi unun solum.* Similiter Plinius: *Bactriæ & Arabi Cameli* (fœmineo enim genere observante Harduino semper loqvitur) *differunt, qvod illæ bina habent tubera in dorso, hæ singula.* Qvod discrimer *Solinus* perperam invertens Arabicis bina tubera Bactrianis unum tribuit; & *Diodorus lib. 2. p. 137* camelos Arabicos ditylos, i. e. duplici gibbo narrat Qvem errorem, licet notasset *Gesnerus de Qvadruped. p. 164.* *tamen ex illis haustum propagavit Aldrovand. de Qvadruped. Bisulcis c. 34. p. 373.* ex Aldrovando *Franzius*, *Gassendus Phys. Sect. 3. lib. 1 c. 2. Jonston de Qvadrup. p. 101.*

N. 14. Tertium genus *raguahil* vel *ravvahi* est Camelorum, â clitellis, qvæ imponuntur, vocatorum; qvi graciles exiguæqve staturæ, sarcinis gerendis inferiores, reliqvos tamen pernicitate long superant. Hos Græci â cursu δρομάδες appellarunt. Ob eandem causam *in Talmudis tractat. Maccoth. fol. 5.* dromas dicitur גמלא פרחא *Camelus volans*, qvia, exponente glossâ est cursu velox, instar avium. Alia Arabica nomina, pleraqve celeritatem indicantia, attulit *Bochart. col.* Per כרכרות *Circaroth. Jes. LXVI. 20.* Cameli Dromadas notari, ut *Aben Esra*, *Kimchi*, *Marchæus*, *Pomarius*, *Aqvinas*, *Abarbenel* accipiunt verisimile est. Nam cum prædicatur fore, ut Hierosolymam Gentes undeqvaqve confluant, in eqvis & in qvadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in *cirroth*, valde convenienter cameli vel dromades

ve

voce intelliguntur. Neqve enim tam nobile, tamqve receptum jumenti in Oriente genus, prætermittere voluit Propheta. Qvod rationem nominis attinet, videtur id Abarbeneli factum ex verbo כרכר *Circer*, salire, qvâ significatione occurrit de Davide, ante arcam saltante 2. Sam. IV. 14. *vide Bochart. l. c. Majum p. 320.* Similiter hujus generis camelum vel Dromadem esse Jerem, II. 23. בכרה קלה, vix dubitari potest. *Repete n. 5. â nobis allata.* Franzius igitur, ex omnibus Camelis Arabicis, qvibus, ut ipse retulit, duo gibbi, dromedarios faciens, sentiendo excessit & defecit. Excessit, ut patet tum ex dictis, tum ex proverbio Arabum illo: *Homines sunt ut Cameli, qvorum ne qvidem centesimus qvisq; est dromas*; qvo docent, rarum esse virum gratum & acceptum DEO; aut, paucos esse, qvi mundum hunc seriò contemnant, & futurum avide exspectent. Defecit, dum Dromadas in solis Ditylis inveniri innuit, qvod Sipontini erratū jam castigavit *Gesnerus l. c.*

N. 15. Præter unum aut duos in tergo gibbos, inferne in pectore similem alium omnes habent, cui innituntur, cum procumbunt ad onus suscipiendum, juxta *Aristotelem* ex versione Gazæ, qvam cum reipsâ probat *Harduinus.* Plinius solis Arabicis tribuere videtur: alii aliter tradunt, qvos allegavit *Schottus Physica Curios l. 8. c. 15. §. 2. p. 946.* Gesnerus vidit in Dromade gibbum inferiorem *p. 172.* & in icone exprimi curavit; cur non viderit in ea Schottus, miror. Idem laudatus Schottus refert se conspexisse camelum sine gibbo in pectore, indeq; colligit, non omnes habere, aut non adeo sensibilem. Parisienses Anatomici, *attestantibus Actis*

Anglicanis an. 1669. menſe Julio p. 833. calloſitatem ſub pectore fortiter ſterno ligatam, ſatis magnam ex utraqve parte obſervarunt. Hanc ſine dubio omnes habent, ſed alii aliis protuberantiorem.

54. *Qvando onerantur, ſe ſe inclinant &c.*)

N. 16. Ut doceantur, qvamprimum nati ſunt, id facere, deſcripſit *Tavernier. P. I. l. 1, cap. XI p. 49.* Qvando juſtum ſarcinarum pondus ſibi impoſitum ſentiunt, humo ſeſe erigunt, alacriterqve progrediuntur; ultra vires ſuas onerati, murmurant, ſurgere recuſant, onus abjiciunt, aut pondere, inprimis viâ profunda & lubrica pergentes, rumpuntur. *Busbeqvius Epiſtol. III.*

Velociſſimi ſunt Cameli propter amplitudinem paſſuum.]

N. 17. Non omnes. Nam de Perſicis tarde procedentibus extat apud *Della Valle Part. II. p. 71. b. 140. a.* Dromedarios autem oportet non ſolùm paſſibus amplis, ſed & celeriter repetitis progredi, ut tantum viæ uno die conficiant, & eqvum curſu ſuperent, vide *Olear. Itiner. Perſ. p. 570.*

Frigoris ſunt admodum impatientes]

N. 18. Perſici frigus in Armenia perferunt, Arabicis, Ægyptiis & Turcicis robuſtiores, majores, collo piloſiores, eqvis Friſiis pene ſimiles cruribus. *Della valle Part. II. p. 47. Adde Tavernier Part. I. lib. I. c. XI. p. 50.*

Cibo ſe non onerant, ſed valde exiguo ſunt contenti)

N. 19. Veſcuntur gramine, ſpinarum germinibus, carduis, juncis, hordeo. Ex farina horde globi formantur magni, qvi ſinguli unà cum ſtrami

nibu

nibus fectis, & interdum cum avena exhibentur inprimis Afiaticis. Nam Arabicis gramen folum facile fufficit. *Della Valle Part. III. p. 147. b.* Tempore coitus fine omni cibo & potu qvadraginta diebus vivunt. *Tavernier. l. c. p. 49.*

Habent multos ventriculos]

N°20. Numero qvatuor, ut alia qvadrupeda ruminantia, defcriptos *pag. 12.* fed camelorum reticulum, ventriculorum fecundus, pollicares cellulas aut lacunas plus qvam tricenas proprias habet, qvas largius bibendo in futuros etiam ufus implet: cumq; non aliter bibat, qvam turbatis prius pedibus aqvis, ea perturbatione craffefcentes ipfæ fiunt ponderofiores, ut diutius in cellulis hæreant, atqve ariditatem ventriculi, ex qva fitis, præcaveant. *Peyer de Ruminant. l. 2. c. 3. p. 125. Anatomici Parifienfes in Actis Anglicanis an. 1669. menfe Julio p. 833. & apud Blafium in Anatom. Animal. p. 352.*

Lingvam habent carnofam.]

N. 21. Eam depingunt nominati Parifienfes afperam, levioribus eminentiis ad os, notabiliter majoribus ad fauces apud Blafium in Anatome Animal. p. 21. De ufu *vide Peyer. de Ruminant. l. 2. c. 8.*

Coire folent non in confpectu aliorum, fed in folitudine.]

N. 22. Confentientes hoc narrant *Ariftot. l. 5. hift. c. 2. Plin. l. 10. c. 63.* in modo coitus defcribendo diverfi, qvem ille more qvadrupedum vulgari, hic averfum, qvalis retro mingentibus aliis, v. g. Leonibus, lyncibus, leporibus, fieri tradiderunt. Plinio *Solinus c. 30.* adftipulatur; Ariftoteli *Albertus M. l. 5. de animal. Tract. 1. cap. 2. & Gefner. p. 166.* accedunt.

dunt. Aldrovandus *p.367.* & Jonston. *p.100.* in medio relinqvunt. Gassendus *Sect.III.Phys.lib.4 c.3.* *p.273.* visos coire humanitus refert. Olearius *Itiner. Pers, p.572.* Aristotelis sententiam confirmat. Præ rabie Veneris autem, non solùm Cameli, sed & alia cum domestica tum fera animantia sæviunt *Aristot. l.6. histor. c.17.*

56. *Alienissimi sunt sua natura ab incesto coitu.*]

N.23. Experimentum ex *Aristotele* legitur *l.9. hist. c.73. & in Admirandis cap.2.* Adde *Ælian. l.3 de animal. c.47.* Eandem naturæ reverentiam eqvo alii tribuunt, alii negant. vide *Franzium nostrum cap.12.p.132.* Apud Judæos Camelum ob promiscuam libidinem non bene audire necesse est. Nam juxta Cabalistas μετεμψύχωσιν Pythagoream asserentes, uti anima ejus, qvi rem habuit cum masculo migrat in leporem, qvia is scilicet in coitu modò marem agit, modò fœmellam: ita qvi rem habuerit cum alterius uxore, ejus anima migrat in Camelum, qvoniam David ait: *Cantabo Domino*, כי גמל עלי Psalm XIII. vers. ult. i.e. *quod liberavit animam meam de Camelo.* Vid. *Elia Levita Thisbi in voc* גלגול, *& Hoornbeck de Convincendis Judæis pag 542.*

Nec habent dentes, ut dictum, in utraq; mandibula.]

N.24. Obscurus erit Auctor ei, qvi in historia animalium parum est versatus. Hîc videtur in alterutra maxilla omnibus dentibus camelos exarmare; paulò ante secundi ordinis dentes dedit, incertum qvos, qvot, & cui maxillarum. Juxta *Aristot. l.2.c.XI. Plin. l.8.c.18. l.XI.c.37.* inter non cornigeri

nigera, una camelus in superiori maxilla primores sive incisores instar ruminantium cornigerorum bisulcorum, non habet; sed non destituitur lateralibus caninis, qvos bis vidit *Peyerus*: semel in dromadis Arabicæ sceleto Parisiis, cujus mandibula superior sex caninos dentes longo à maxillaribus intervallo spectandos exhibuit, iterum in vivente camelo nupere Viennam frustra obsidentibus Turcis ablata, & per Scaphusiam ducta, *in Commentar. de Ruminant. pag. 169.* Qvos dentes si cognitos habuisset Scaliger, mirari desiisset, potuisse camelum, morsu perimere curatorem suum, qvi ad incestum dolo induxerat *juxta numerum præcedentem.* Iis enim funesta vulnera facere, fidem facit *Tavernier Part. I. p. 49.* scribens, Veneris rabie concitatas camelos, morsu semper partem carnis avellere.

Pedes habent carnosos sicut anseres, inde faciunt eis sotulares.]

N. 25. Declarat hæc pedis camelini descriptio apud *Philosoph. l. 2. hist. c. 6. sect. 26.* Bisulcus est camelus ita, ut a posteriori parte ad secundam usqve digitorum flexionem bipartiatur pes: At anterior leviter qvadripartita est, ad primos usqve nodos eorundem. Explet autem fissurarum intervalla tale qvid, qvale & anseribus: pedis planta carnosa velut ursis. Itaqve in bellorum expeditionibus carbatinis calciant, cum dolore afficiuntur: Adde *Plin. l. XI. c. 45. Solin. c. 52.* Consentit *Gesner. de Qvadruped. p. 172.* qvi in pedibus Dromadis vidit duos ungves latos, divisionem superne tantum, non usqve ad ima vestigia, hæcqve carnosa, plana & lata, orbis cibarii instar. Carbatinæ autem sunt calcei ex rudi

vel recente corio bubulo, qvibus solæ obteguntur plantæ; barbari ævi scriptores sotulares vel subtalares appellant, qvia sub talis. Vid. *Gesner. l. c. p. 65. & 165. Aldrovand. p. 378. Harduin. ad Plin. l. c. Voss. de Vitiis Sermon. p. 37. 606. 613. Reines. Var. Lect. l. 3. c. 15. pag. 584.*

Hinc fit ut sint patientes.]

N. 26. Ob admirabilem patientiam Arabibus cognominatur camelus *Abu Job.* i. e. Jobi pater, qvasi suam ab eo Job didicisset. Scitè iidem ajunt: Si capistrum ejus mus caperet, duceret illum, qvocunqve vellet. *Bochart. P. I. col. 77. & 80.*

57. *Julius Cæsar Scaliger recitat modum, qvo possunt adsvefieri*]

N. 27. Exercitat. 209. ad Cardan. ex *Leonis l. 9. descript. Africæ c. 30.* qvem sæpe ab illo exscribi, nomine auctoris præterito, qveritur *Vossius Idololatr. l. 3. c. 59.*

Eqvis admodum infensi sunt Cameli]

N. 28. Sed & hanc hostilitatem, etsi perpetuam scribat *Aristoteles l. 6. hist. c. 17.* consvetudo excutere valet. Nam Persæ post Cyri pugnam in Lydia, ex Herodoto à Franzio repetitam, Camelos simul cum eqvis alebant; ut eqvorum metum ex camelis convictu expellerent. *Ælian. l. XI. hist. animal. c. 36.* Experientia testatur, utut camelus eqvum abhorreat primò visum, usu & consvetudine ferre. vide *supra Cap. IV. n. 42.* & de aliis Camelo inimicis. *Aldrovand. de Qvadruped. Bisulcis p. 377.*

Apud Orientales pascuntur inter armenta, ubi jumentorum loco serviunt.]

N. 29. Usus est Camelorum in Orientalibus regionibus

gionibus multus & magnus. Portant onera, ad qvæ ferenda gibbosos fecit DEUS; trahunt juncti currus. Sic Jes. XXI. 7. legimus רכב גמל *rechebh gamal*, currum camelorum i.e. qvem cameli vehunt, sive qvadrigas camelorum, uti Symmachus & Abarbenel exponunt, ubi LXX. *Jonathan Ben Usiel, Hieronymus, R. Salomo*, intelligunt ascensorem cameli, qvasi legeretur רוכב *Rocheb*. Nero in Circensibus commisit camelorum qvadrigas. *Sveton. cap. XI.* Heliogabalus junxit camelos qvaternos ad currus in Circo privato spectaculo. *Lampridius in vitâ p. 852.* Vid. *Scheffer. de Re vehiculari l. 1. c 9. p. 98.* In bello non solùm sarcinas gestant *Judith. II. 8.* sed & in prælio vehunt singulos *1. Sam. XXX. 17. Jud. VII. 12. c. VIII. 21. 26.* (ubi monilia camelorum השהרונים *hassaharonim*, lunulæ vocantur, qvod lunularum instar figurata essent). Immo binos apud Arabas tulerunt sagittarios obversis inter se tergis, qvorum alter occursantes à fronte, alter insectantes a tergo propulsabat, vid. *Bochart. Part. I. col. 78.* Qvibus officiis suis, per deserta & siticulosa locorum, parco victu contenti, sine potu tot diebus funguntur, qvot eqvi non possunt. Qvare eleganter Arabes Camelos naves terræ vocant, partim qvod onera graviora, qvam qvis credat, tergo suo ferunt in oras remotissimas; partim, qvia, ut mare invium esset absqve navibus, sic Asiæ atqve Africæ vastæ solitudines prorsus essent inaccessæ, nisi Camelos creasset DEUS, qvorum ope eas homines superant, *Bochart. col. 81.* Ex pilis camelorum vestes conficiuntur, de qvibus mox: lac & carnes Arabibus, Turcis, aliisqve gentibus Orientis, lautum cibum

cibum suppeditant. *Bochart. col.79.* Saporem carnis, qvi gustavit, laudat *Della Valle Part.IV.p.190.b.* De integris camelis assatis habet *Bochartus l.c.* ex *Herodoti lib.1. & Athenæi l.4.p.130.* qvem locum in Indice Athenæi respicere potuit *Dalechampius*, non alium, qvem ab ipso male intellectum putat *Aldrovandus de Qvadruped. Bisulc. p.370.* in qvo Rex Antiochus legitur convivis suis apophoreta distribuisse, vivos anseres, lepores, damas, cum aureis coronis, multisqve argenteis vasis, famulis, eqvis, camelis, qvibus insidentes sigillatim convivæ bibere cogebantur, suum sibi camelum abducentes cum adsistente puero. Confer. *Lamprid. Heliogabal. p.847.*

N.30. Hinc causam facile perspicimus, ob qvam Patriarcharum opes partim in camelis numerentur. Gen. XII. 16. c. XXX. 44. c. XXXII. 7. &c. Job primò tria millia, deinde sex millia camelorum possedit. C. I. 3. c. XLII. 12. Teste *Leone Africano lib. 9.* hodieqve Arabes, divitias Principum suorum ac Nobilium, â numero camelorum æstimant, & qvi inter illos possident camelos, heriliter ac libere vivunt, utpote cum qvibus in desertis agere possunt, ad qvæ propter ariditatem, nec Reges nec Principes pervenire valent. *Busbeqvius Epist. 3* judicat, duas res Turcis maximam utilitatem afferre, ex terra nascentibus orizam, ex jumentis camelos, svadetqve Principibus, ut de iis in Europa pro generandis curam suscipiant.

N.31. Qvæ omnia juvare possunt ad veterum JCtorum disputationem intelligendam, an camelus & elephas feris bestiis, an jumentis sint accenser

d

di. *Ulpianus Tit. 19. de dominiis & acqvisitionibus rerum §. 1.* bestiis annumeravit, *Cajus l. 2. in fin. ff. ad L. Aqvil.* jumentis, qvod qvasi mixtæ sint animantes, jumentorum operam præstantes, & natura tamen feræ. Vossius *l. 3. de Idololatr. c. 71.* non Cajo, qvem allegat, sed Ulpiano accedit scribens: *cum nonnisi cicurati ad vecturam inserviant, debere ex natura æstimari.* Controversiam tollere conatur *Aldrovand. p. 368.* dicens, *Cajum loqvi de camelis in suis locis naturalibus, in qvibus sunt inter jumenta numerandi; Ulpianum de Romanis, aut certe Italis, qvi Camelos non habebant, nisi aliunde advectos, & ad spectacula, non etiam onera dorso ferenda; qvo sensu, ut elephantes inter feras videri reponendos.* Eqvidem camelos non magis feros, qvam eqvos puto, & juxta Scripturam S. qvoqve jumentis jungendos. De elephantis ratio est difficilior, cum omnes feros primùm capi & cicurari oporteat. At cicuratos pari cum jumentis jure æstimari, æqvum est.

Sicut cameli sunt ineptissimi ad saltationes, ita ministri verbi voluptates & ineptias suspenso naso debent ridere.] 61

N. 32. Pertinent huc, *(inqvit Baumannus in Sacris Analect. p. 1164.)* verba D. Dieterici in Conc. V. de Tempore p. 204. Das Tantzen ist ein Welt-Wesen / darumb es von weltlichen Personen zu verrichten. Geistliche Personen / Prediger und Kirchendiener / sollen des Tantzes müßig gehen; Dann wie keiner / der GOtt dienet / sich in weltliche Händel nicht einmischen soll. 2. Timoth. II. 4. also gebühret ihnen auch nicht / sich ins Tantzen einzumischen / welches

ches ein weltlich Stück; Wie sie dann auch ein Vo
bild ihrer Heerd seyn/ deren mit guten Exempeln vo
gehen / und kein Aergernüß geben sollen / 1. Tim. II
2. Timoth. IV. 5. Tit. I. 7. 1. Cor. X 32. Matth. XVIII.
Wie dann diß auch in alten Concilien verbohte
Concil. Tolet: III. can. 23. Concil. Agathens. can. 3
Concil. Laodicen. can. 54.

62 *Cum camelus ruminet qvidem, sed non div dat ungulam.*]

N. 33. Qvod superne divisam habeat ungular camelus ab Aristotele, Plinio, Gassendo *Sect. 3. Phy p. 197.* aliis, *(vide n. 25.)* in genere bisulcorum habe tur: qvod ungula ejus aliqvo usqve non omninò di visa, sed imum vestigium planum & solidum, *Plinii l. 10. c. 63.* solidipedem facit: *Gesnerus* p. 167. *Aldro vandus* p. 367. *Peyer de Ruminant.* p. 59. & apud eun dem *Wagnerus* p. 277. medium fere inter bisulca & solidipedia tenere judicant. Qvod omnino Ari stoteles & Plinius qvoqve judicaverunt. Accuratam S. Scripturæ distinctionem, hic repetendam obser vavimus *in Proloqvio de Qvadrupedibus n. 7.*

64 *Illud fuerit fortasse specialiter spectatum in ca melis, ne externis, crassis & magnis peccatis Juda suam vocationem deformarent.*]

N. 34. Fuit hæc meditatio veterum, *Philoni Aristai, Origenis, Tertulliani, Bedæ* apud Lauretum in Sylva Allegoriarum p. 204. & Ursinum Miscellan p. 189. Judæos aspicientes Cameli deforme ac tortuo sum corpus, longo ac gracili collo, capite exili, au ribus brevissimis, amplo pectore, binis in dorso gi bis, & altissimis cruribus, monitos fuisse cavere to tuosam vitam; i. e. externa, crassa, & magna pecc

ta, qv

ta, qvibus se, cum sancti deberent esse præ aliis gentibus, longe deformissimos in oculis DEI sui sancti efficerent. Et sane Cameli corpus, deforme visum etiam est *Juvenco* verba Salvatoris carmine exprimenti, *lib. 3. Histor. Evangel. p. 499. a.*

—— citius tenuis per acus transire foramen,
Deformis poterunt immania membra cameli,
Qvam qveat ut dives cælestia regna videre;

Similiter *Sperlingio Zoolog. Phys. p. 185. & Majo p. 326.* Ast deformem illum, utpote sic sapienter à Deo creatum ob usum suum, negat *Godofredus Müllerus in Θηρολογία Biblica p. 177.* Alias rationes morales à vitiis avocantes, Hieroglyphica Ægyptiorum apud *Horum Apollinem lib. 2. hieroglyph. 95. Pierium l. XIII. c. 31. p. 149. Aldrovand. p. 380.* suggerere possunt. Sunt, qvi naturalem prohibitionis divinæ causam credunt, insalubritatem carnis camelinæ, de qva apud *Galenum* exstat *l. 3, de Alimentor. facultat. c. 2. & de Locis affectis l. 3. c. 6.* Priori loco scribit, *asinorum domesticorum, camelorum, eqvorum carnibus pessimi succi, concoctu difficillimis, stomachum lædentibus, insvavibus, homines vesci animo & corpore asinino & camelino.* Posteriori asserit, *maximè asinorum camelorumq; carnibus, melancholicum sangvinem effici.* Fabulosam Arabum rationem, qvæ nihilominus insalubritatem ex ipsorum sententia confirmat, explodit *Bochart. col. 80.*

DE VESTITU JOHANNIS BAPTISTÆ.

Aliqvi existimant materiam vestis pilos cameli.]

N.35. De materia ex qva vestis illa constitit, tres recensentur sententiæ. Prima est, fuisse ex pilis cameli animalis solis; altera, fuisse ex lino crasso tertia, ex pilis cameli & lino permixtis.

N.36. Primam sententiam verisimiliorem merito æstimat *Franzius*. Etenim fuit ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλου è pilis cameli, Matth. III. 4. fui Johannes ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου, Marc. I. 6 Ergò ejus materia fuit pannus è pilis camelinis con textus, non mollibus, aut emollitis, comtis, & in fi lum netis, ex qvalibus olim Caspiorum Sacerdotes Proceres, divites vestes confectas ad delitias gesta bant, & in Tartaria, Persia, alibiqve in Asia hodi panni fiunt undulati, cymatiles illi, qvos Galli *Ca melot* appellant; tale enim molle & delicatum ve stimenti genus, ut ut sibi imaginati sint *Chytræu Schindlerus, aliiq;*, non convenit Johannis persona non officio; sed ex pilis cameli rudibus, incompti asperis, unde pannus hirtus ac villosus prodeat. Rationes lege apud *Polum in Synopsi ad Matth.* v stimenta talia, ex pilis cameli contexta fuisse in u apud Judæos, negantes *Casaubon. Exercit. XIII. Annales Baronii n. 6. & Montacut. in Antidiatr. 232.* refellunt qvæstiones Talmudistarum apud *B chartum* Part. I. col. 78. & *Lightfoot.* ad Marc. I. citatorum; an ut lanam ovium, ita lanam camel rum cum lino miscere Lex vetet Levit. XIX. 19. Deut. XXII. 11. Item an lepra inficiat vestes ex la camelorum, qvomodo inficit vestes ex lana oviu Levit. XIII. 47. sqq. Pauperum eum vestitum, in G lilæa suo adhuc ævo usitatum perhibet *Isidorus lusiota l. 1. Ep. 74.*

N. 37.

N. 37. Altera Opinio est eorũ, qvi vocem *κάμηλος* pro fune nautico acceperunt, è cannabinis filis texto, atqve è similibus vestem Johanneam factam putarunt. Sed (1) *κάμηλος* funem nauticum non notat, vide supra n. 7, (2) cur funem nauticum nominassent Evangelistæ, cum materiam ipsam ejus convenientius possent nominare, notiorem Judæis, qvam ille funis?

N. 38. Tertia Melanchthonis conjectura, vestigium in verbis Evangelistarum prorsus nullum habet. Eidem tamen Lex veteris fœderis, prohibens vestes ex lini & lanæ mixtione contextas locis paulò ante citatis, ob varias rationes invalidè opponetur, qvarum nonnullæ peti poterunt ex *Spenceri l. 2. de Legibus Ebræor. ritual. c. 21.*

Deinde de forma ideo qværitur.] 65

N. 39. Cum Johannes instar Eliæ hirsutâ veste amictus dicatur, dubitatio oritur, an pannum illum eidem corpori circumjectum fuisse intelligere debeamus, an ex panno confectam tunicam vel etiam pallium? Elias gestavit אדרת indumentum 1. Reg. XIX. 13. 19. non splendidum ac pretiosum, qvale Rex pœnitens exuit *Jon. III. 6.* ; sed in qvo apparuit בעל שׂער possessor pili, i. e. pilosus 2. Reg. I. 8. qvare hirsutum & vile genus vestimenti disertè אדרת שׂער vestis pilosa cognominatur Gen. XXV. 25. Zach. XIII. 4. Ea veste sua Elias faciem suam involvere, convoluta aqvas Jordanis verberare, poterat; eandem solutam in Elisæum à se projecit: ergò vestis aliqva fuit exterior, aut instar pallii longi humeris circumposita, aut instar togæ amplæ & longæ induta, qvam cingulum pelliceum adstringe-

bat. LXX. μηλωτὴν, ovillam pellem vertunt, nimis specialiter qvod materiam, (nisi latiori sensu vocem accipias) nimis generaliter, qvod formam attinet. Johannis vestem ἔνδυμα vocat Matthæus, ex qvo nomine *Ursinus in Miscellan. p. 190.* infert, & unum fuisse, & non fuisse superinjectum pallium, atqve in hoc habitum ab Eliæ & Pseudoprophetarum diversum putat. Licet autem vox illa generalis certum admodum indicium non faciat, verisimiliter tamen alterum Eliam nobis imaginari solemus, toga hirta, ampla & longa vestitum, ac Zona coriacea præcinctum. Nudone corpori hanc vestem, an super indusium induerit, conjicere cuivis licet, non definire. Prius ex austeritate vitæ, & in deserto qvidem solitariæ nonnulli colligunt.

N. 40. Pictorum errori, qvem *Franzius* notavit & *Johannes Molanus de historia SS. Imaginum & Picturar. l. 3. c. 20. p. 291.* favent *Ludov. de Dieu, &* ex eo *Walaus* asserentes, Cameli unius rudem a pilosam pellem corpori suo Johannem circumj cisse, & pelliceo cingulo firmasse. Uterqve pr vocat ad exemplum Eliæ, & eos, de qvibus Heb XI. 37. *Walaus* addit Matth. VII. 15. Ast manifest hunc errorem Matthæus, dicens ἔνδυμα ἀπὸ τ χῶν καμήλε & (2) Zonam è pelle. Si æqve ves è pelle fuisset atqve Zona, cur Zonam duntaxat i descripsisset, & non etiam vestem, non male qv rit *Joh. Ludovicus Wolzogen Baro Austriacus ad Matthæi.* Urget *Ursinus*, pellem non fuisse vel usum membrorum commodam, vel ad tegend idoneam, qvæ pudor jubet. Eliæ habitum male subsidium vocari, ex dictis de eodem patet. Sanc

homi

homines in ovinis caprinisqve pellibus circumeuntes Hebr. XI. 37. non iis ipsis pellibus amictas *Franzius aliiq;* existimant fuisse, sed vestibus vilibus, pauperibus rusticanis, qvales fiunt ex ovium aut caprarum pellibus. Nam Eliæ qvi inter sanctos illos illustre exemplum est, vestis, *inqvit Franzius*, non fuit ejusmodi pellis. Alii, qvi verbis illis Apostolum, partim ad Prophetas, partim ad Manassis, maximè ad Antiochi tempora respicere putant, de pellibus ipsis interpretantur, qvibus errantes huc illuc in desertis, in montibus, in speluncis, & in cavernis terræ miserrimi mortalium nuditatem suam tegere coacti sunt. Ita post alios *Grotius, Joh. Crellius* ad h. l. *Wolzogen* l. c. Confer. Sebast Schmidii Commentar. & Poli Synopsin in h. l.

N. 41. Eliam ac Johannem imitari cupientes Monachi, inprimis Eremitæ (qvos forte Johannæos appellavit *Franzius*; nam aliàs militaris Monachorum ordo alius eo nomine celebratur) olim integras vestes è pilis camelorum asperis gesserunt, teste *Sulpitio Severo in vita B. Martini cap. 10. & Benedicto Paullino Petrocorio de vitâ ejusdem lib 2. v. 137.* alii saltim camelaucis, i. e. pileis ex pilis camelinis capita texerunt, qvalibus adhuc Orientales Sacerdotes Monachos uti tradit *Leo Allatius lib. 3. de utriusqve Ecclesiæ consens. c. 8. n. 12.* vid. *Caroli Du Fresne Glossarium eâ voce.* In Regionibus, qvibus Cameli nulli, cuculli & caputium ex lino crasso in usu sunt. *S. Paulinus Episcopus Nolanus Epist. 49. ad Macarium n. 12.* Valgium senem laudat, setigera sua veste imitatum *Eliæ meloten, & prævii Johannis habitum.* Ubi ad vocem LXX. Interpret. meloten, qvæ-

dam in annotationibus congessit Editor Paulini recentissimus Parisiis impressi.

DE USU ET ABUSU.

N. 42. Usum Camelorum, tum in cibis, tum in operis præstandis, indicavimus n. 29. In montanis aut saxosis viis inutiles *Ludolfus* scribit *Histor. Æthiop. l. 1. c. 10. n. 3.* aliqvos tamen etiam montanis itineribus inservire, legimus apud *Petr. Della Valle Part. I. p. 126. b.*

N. 43. Abusum varium qvoqve observamus. Muhammetanorum impietas camelum, qvem in sacrificiis gentilium fuisse non legas, victimam fecit. Nam, cum Persæ persvasi sint, Abrahamum loco filii sui Ismaelis, qvem pro Isaaco substituunt, non agnum, ut Turcæ putant, sed camelum sacrificasse, in memoriam singulis annis, festo Paschatos suo, fæminam camelum, per triduum floribus ornatam, solemni pompa circumducunt, ex ea pilos evellunt, & qvasi sanctos asservant; deinde lance transfixan cultris lacerant, partes avide rapiunt & come dunt. Qvod Cameli festum, post *Samuelem Pur chasium* ab Aldrovando citatum p. 370. copiose de scripserunt *Della Valle Part. II. p. 61. Tavernier P. p. 180.* Turcæ verò magno numero qvotannis per grinationem religiosam suscipiunt Mecham, ad s pulcrum Muhammetis; in qvo itinere camelus te torium pretiosum, ab Imperatore Turcarum missu ad sepulchrum tegendum gestans, ab omni one portando inposterum liberatur. Qvod ante annu eò missum erat, refertur, ac ejus discerpti veluti sac particulæ, inter primores viros distribuuntur. *De*

Va

Valle P. I. p.98. Camelum, qvod Alcoranum tergo portaverit ſanctum, ex ea peregrinatione reducem, Turcæ accurrentes oſculis excipiunt, pilos ejus evellunt, ſudorem axillarum extergunt, eoqve oculos & faciem ſuam perfricant, tandem mactati carnes, in minutiſſimas partes conciſas, tanqvam ſacras epulas edunt, ut narrat *Camerar. Horar. Subciſ. Cent. 3. cap. 12. ex Georgii Douſæ Epiſt. de Itinere ſuo Conſtantinopolitano p. 72.*

N. 44. Mulieres Perſicæ gravidæ fæminam camelum, qvæ peperit, ter perreptant ad partum facilitandum. *Della Valle P. III. p. 207. b.* Cujus, ſi qvæ eſt, efficacia, an ſuperſtitioſæ credulitati, an naturali virtuti imputari debeat, diſqviri poteſt.

MORALIA

I. CHRISTUS.

Camelo comparandus (1) ob obſeqvii pronitatem. Camelus ſponte oneri ſe ſubmittit, immo in crura procidit ſarcina onerandus *(n. 54.)* Chriſtus, cum ipſi grande peccatorum onus eſſet ferendum, in faciem coram Patre cæleſti in horto Olivarum procidit, ſumma cum patientia dicens: Non mea, ſed tua, Pater, voluntas fiat. Matth. XXVI. 39. (2) ob patientiæ ſtabilitatem. Sarcinam impoſitam non abjicit camelus, ſed æſtum, eſuriem, ſitim tolerans geſtat, usqve dum per eum, qvi impoſuit liberetur *(n. 26.)* Chriſtus crucem ſibi impoſitam bajulavit Joh. XIX. 17. nec ante tempus conſummationis abjecit, ſed inter penuriam, ſitim, labores moleſtiſſimos, dolores exqviſitiſſimos, gratioſam liberationem a

DEO patientiſſimè exſpectavit Pſal. XVI 10. XXII.25. (3) ob commodi ubertatem. Ex pilis cameli parantur pulchra indumenta (*n.36.*) de Chriſti plenitudine accipimus omnes Joh. I. 16. qvippe qvi factus nobis a DEO ſapientia ac juſtitia 1. Cor. I. 30. cujus juſtitia veſtis illa alba eſt, qva induuntur credentes Jeſ. LXI. 10. Apocal. III, 18. *Godofr. Muller. Θηρολογία Bibl. p. 185. Picinelli Mundus Symbol. Tom. I. p. 349. ſq.*

II. MOLESTIÆ HUMANÆ, CRUX CHRISTIANORUM.

Camelus ſarcinarum ſeptingenta, & nonnunqvam mille pondo gerit, pauco gramine, aſperis qvibusdam Spinis, ac carduis contentus; ſitim qvatuor immo & qvindecim diebus perfert; Ita *Suſtinet & Abſtinet.* Chriſtianus moleſtias vitæ multas & graves in ſe ſuſtinet, parce ac temperanter vivit, â mundanis voluptatibus abſtinet. Camelus veſperi onere, qvod per diem portavit, liberatur qvidem, ſed mane rurſum recipit, ſive ſericum geſtet, ſive pannos viles. Homines ſive magna agant, ſive parva negotia, ſingulis diebus illuceſcentibus, ſuas ſibi moleſtias impoſitas ſentiunt, donec in ſepulchrum ad qvietem recondantur. *Geier. Concion. Funebr. Part. Conc 35. p 430. Tempus & Æternitas Part. 2. Dom. Trinitat. p. 380. Picinell. T. 1. p. 349.*

III. MUNERUM SIVE OFFICIORUM CANDIDATI.

Camelus ad ſarcinam ſe facile ſubmittit, tantam, qvantam ferre poteſt, ſibi impoſitam ſer

ens, se erigit ac alacriter gestat; si ultra vires sit, murmure indicat, & rejicit; si ferre tamen cogatur, onere pressus perit. Munerum & officiorum Candidatus, munus legitime sibi oblatum humiliter recipit, ac strenue administrat; si plura, qvæ ipsius vires excedunt, conferantur, recusat in se recipere, ne laborum pondere nimio pressus frustra tentata relinqvat, aut intemperie conatuum ac studiorum valetudinem ac vitam, gravi in se culpa perdat. *Camerar. Emblem. Cent. II. p. 32. Picinell. T. 1. p. 348. 350.*

IV. PRINCEPS BENIGNUS, SUBDITI OBSEQVENTES.

Non plus imponitur oneris camelo, qvam ferre potest: qvod impositum ferre potest, summa alacritate ac patientia gestat. Princeps bonus ultra tributum debitum a subditis non exigit: Subditi onera publica, vectigalia, census, tributa, servitia & alia, æqvo animo præstant. *Muller. l. c. p. 186. Picinell. T. 1. p. 351.*

V. PUERI LENITER TRACTANDI.

Servat camelus & oneris mensuram, & itineris terminum, nec ultra assvetum procedit Spatium, nec plus solito oneris recipit. Fessus de via ac subsistens, frustra verberibus aut stimulis agitur, sponte tamen excitatur & progreditur, si canticis & Musicis melodiis demulceatur. Pueri bonæ indolis, non ultra vires & ætatem urgendi ad studia, non verberibus cogendi, sed honestatis amore, qvod potentissimum est illecebræ genus capiendi. *Ursin. Acerra*

 Philolog.

Philolog. p.111. Causin. Polyhistor. Symbol. l. 7. Parab. 19. p. 314.

VI. DIVITES AVARI ET STOLIDI.

Cameli aromatibus, vino, vestibus, & aliis rebus pretiosis in aliorum usum onusti, gramine, spinis, stramine saturantur: sitim pluribus diebus perferunt. Divites avari dorso opes domum, familiam, sua omnia gestant, nescientes cui ea obventura sint Psal. XXXIX. 7. ipsi interim solo pane & sale vivunt duriter, inqve maxima egent abundantia. *Geier, Tempus & Æternitas P. 2. Dom. XXIII. Trinit. p. 820. Muller. p. 186.* Cameli pondera ultra justum non recipiunt, & supra modum onerati, succumbunt aut excutiunt, qvasi hero illud exprobrarent: *Ne qvid nimis*; Divitibus avaris nihil nimis est, nec unqvam cura, qvid valeant humeri, qvid ferre recusent. Qvod si in turma commeantium affuso pabulo unus camelus abstineat, cæteri qvasi condolentes simul abstinent. Divitis neminis miseret, omnibus ille invidet, malletqve omnia omnium vocare. Itaqve sæpe accidit, qvod Hebræorum dicitur adagio: *Camelus ivit qvæsitum cornua, & aures qvas habebat, absciderunt ipsi.* Nam desiderando aliena, non rarc amittit sua. *Ursin. Miscellan. p. 196.* Cameli Asiatici duos in tergo gibbos habent, qvibus sarcinas impositas firmius gerunt. Divitibus improbis duo sun gibbi; unus opum, alter peccatorum: Priorem mor abscindit; alterum, nisi in vita per pœnitentiam deponant, semper retinent. Qvare facilius est, ut Camelus per foramen acus transeat, qvam dives gib

bosu

bosus per angustas fores cælum introgrediatur. Matth. XIX. 24.

CAP. VI.
DE LEONE.

Leo præcipuum qvoddam est animal.] 66

N. 1. Immo animalium omnium Rex est, ut paulo post salutatur. Etsi enim principatum ab ipso ad elephantum transferre nonnulli malunt, *(vide cap. IV. n. 1)* de plurium tamen sententia retinet, ob cumulata in ipso regiarum dotum & virtutum imitamenta. Robore corporis pollet ac generositate animæ, *Jud.* XIV, 18. *Prov.* XXX. 30. 2. *Sam.* I. 23. 2. *Sam.* XVII. 10. *Nahum.* II, 11. *Prov.* XXVIII. 1. *Gen.* XLIX. 9. *Num.* XXIV. 9. *Jes.* XXXI. 4. *Proverb.* XXX. 30. Faciem habet virili proximam speciei; *Aristoteles in Physiognom. cap. 5.* & hostibus terribilem, 1. *Paral.* XII. 8; magnifice incedit, *Prov.* XXX. 30. *Aristot. hist. anim. l. 2. c. 1.* Vox est majestatica *Amos III. 8.* prudentia & sagacitas magna, justitia & mansvetudo singularis. *Aristoteles ll. cc.*

Ossa Leonis tam sunt solida, ut vix aliqvam cavitatem habere deprehendantur.]

N. 2. Legas id apud *Aristotel. l. 3. de hist. animal. c. 7. sect. 102. Ælian. l 4. hist. anim. c. 34. Plin. l. 10. c. 37. Philen. pag. 56.* aliosqve. Ac licet apud *Atheneum l. 8. p. 353.* jam olim repositum sit inter incerta aut falsa, nihilominus Aristoteli cæterisqve adstipulati sunt *Albertus M. l. 22. tr. 2. c. 22. f. 221. b. Bellovacensis l. 20. c. 66. Vossius de Idolol. l. 3. c. 52. Bochartus Part. I. col. 734. Majus pag. 653.* In Vossio autem, pro *lib. 2. Philosophi de General. animal. c. 9.*

qvem allegat, *liber de Partibus* sine dubio rescriben dus erit. Celebres Anatomici *Columbus, Severinus Fallopius in Expositione Libri Galeni de ossibus cap. 8 Tom. I. Oper. p. 470. Bartholinus Cent. IV. Historiar Anatomicar. Rarior. histor: 100. Laurentius Wolffstri gel Prof. Viennensis in Epheremid. German. Natur. Curios. Dec. I. An. II. p. 12. & apud Blasium in Ana tome Animal. p. 79. sqq.* testantur, ossibus Leonun tantam non esse soliditatem, qvantam Aristotele tribuit, neq; medullam deesse, nec adeo paucam esse ut ille perhibuit. Qvare non ab ossibus robur eo rum derivant, sed potius ab artubus brevioribus & musculis compactis, & validissimis tendinibus: hu confluere, *inqviunt*, copiosos Spiritus, in ampl ventriculo qvarto cerebri, capacitate humanum ex cedente, generatos, qvos largus corporis sanguis, ubi qve tumidis venis conspicuus, alat.

Ut multi putarint collum non constare verte bris, sed adeò continuum esse]

N. 3. Et hoc *Aristoteli l. 4. de Partib. anima c. 10.* scribenti, *Ælianus, Phile, Ballovacensis, Albe tus M.* paulò ante citati crediderunt; qvod falsu deprehenderunt post alios *Scaliger* Exercit. 208. at *Anatomici præcedenti numero* citati. Nempe *Wol strigel* septem vertebras, & inter eas primam vast simam observavit. Rigiditas autem colli Leoni *juxta Parisienses*, inde oritur, qvod spinosæ apoph ses vertebrarum longiores sint, & alligatæ ligame tis tam fortibus & duris, ut videantur esse uniu os. In qvibus simul fontem vulgati erroris hab *Lege Epistolam Anonymi ad D. de la Chambre de obs vationibus in Leone, an. 1667. Parisiis Gallice edita & lat*

& latine versam in Ephemerid. German. Naturæ Curiosor. l. c. p. 14. & apud Blasium p. 80.

Tantum robur, ut uno actu compagem ossium vivi hominis possit frangere.]

N. 4. Cladem, qvam suo robore in homines aut bestias irruens Leo infert, Sacri Scriptores aliqvando simpliciter enunciant *occidere* 1. Reg. XIII. 24. 1. Reg. XVII. 25. percutere 1. Reg. XX. 36. aliqvando ἐμφατικοτέρως *ossa confringere* Jes. XXXVIII. 13. *comminuere* Dan. VI. 24. *hominem frangere* 1. Reg. XIII. *discerpere* Psal. VII. 3. Deut. XXXIII. 20. Amos III. 12. Hoseæ XIII. 8. Poetæ qvoq; profani Homerus, Horatius, Statius, Seneca verbum frangere de Leone usurpant. *Vide Bochart. col. 734.* Franzius hic in dubio relinqvit, orene an manibus sive pedibus suis, Leo confringat. In prima editione *uno tactu* legitur; juxta qvam pro manibus pronunciare videtur: ast inferius pag. 73. *dentes & ungues* conjunxit. Enim vero Leo ore ossa animalis frangit, unguibus carnem & membra discerpit & dilacerat. Os enim Leo non solùm vastum habet, sed &, ut *Phile* vocat, κατάφρακτον i. e. undiqve munitum ac septum dentibus acutis & serratis, limæqve instar asperis, qvorum accuratam descriptionem dederunt *Parisienses.* Musculos temporales præ reliqvis vastos, ac ferme circa suturam sagittalem se invicem rursus attingentes, ut in canibus, iisqve feris, qvibus ex dentibus robur est, notavit *Wolffstrigel.* Universum caput bene carne munitum, & ex firmissimis tam structura qvam substantia ossibus compositum est. Unde colligi potest, percussione qvamvis maxima capitis difficulter perimi Leonem, cum contra, *referente Plinio*

nio l. 8. c. 36. ob tenerum & debile caput, facile fi pugno occidi Ursum. Id qvod *Theocritus* non ignoravit, qvi *Idyllio XXV. v. 25.* introducit Herculem, ut clava sua Leonem Nemæum tantum attonitum reddiderit, & propriis manibus eundem strangulare coactus fuerit. Manus vero Leonis, qvomodo sic pedes digitatos anteriores, qvibus potissimùm discerpit, dum posterioribus nititur, verè & proprie vocari contendit *Bochartus col. 734.* armata sunt unguibus aduncis & phrameatis, latis, longe acutissimis, majoribus qvam in lupis, canibus, pantheris. Unde natum est adagium: *Leonem ex ungue dignosci.* Cum ergò tam dentibus qvam ungvibus sæviat, exarmare Leonem, *apud Lampridium in Heliogabalo*, est dentes illi excutere, & ungues avellere Utriqve qvam sint terribiles, sæpe Scripturæ S. indicant. Cum dentibus res maxime noxiæ conferuntur *Joel.* I.6. *Apoc.* IX. 8. *Siracid.* XXI. 3. *Job.* IV. 8 *Psalm* LVIII, 7. Liberatio ex ore Leonum, summum DEI omnipotentis beneficium agnoscitur & prædicatur Psalm. XXII. 22. Dan. VI. 22. 2. Timoth. IV. 17 Hebr. XI. 33. Pariter Liberatio a manu Leonis habetur 1. Sam. XVII. 37. Dan. VI. 27.

Prædas dentibus non bene comminuit]

N. 5. Etsi Leonis rictus vastus est, & ab *Oppiano l. 4. Cynegeticῶn* lethiferum chaos seu hiatus, *Plinio l. 8. c. 16.* hiatus minax non abs rè vocatu non tamen credendum est, qvod *Phile cap. 31.* dix totum facile absorbere hinnulum. Siqvidem Oesophagum Leonis *Parisienses observarunt* non excede re latitudine pollicem cum dimidio, & constrin foramine diaphragma transeunte more ordinari

nec

neqve esse apertum, sicut in maxima parte piscium & serpentum, qvi facillime deglutiunt, qvicqvid ipsorum gulam intrare potest.

Ferme semper corripitur febri qvartana]

N.6. Ex *Physiologo* id narrat *Ballovacens. l. 20. c. 74.* addens mederi morbo simias comestas, qvas valde leo appetat. De qvartana certo falsum judicat *Albertus M. l. 22. tr. 2. c. 1. f. 221. b. d.* rationi cuidam, non experientiæ nixus. Dubie loqvuntur *Parisienses.* Esu nihilominus Simiarum sanari Leonem, qvanqvam varias imbecillitates allegaverint, scripserunt *Horus lib. 2. hieroglpyh. 72. Plinius l. 8. c. 16. Ælian. l. 1. var. hist. c. 9. l. 5. de animal. c. 39. Philostratus l. 3. de Vita Apollonii c. 1. Phile cap. 65. Albertus M. l. c.* Morbum itidem in genere *Franzius p. 74.* nominat, adversus qvem sangvinem simiarum bibat. *vid. Camerar. Hor. Subcis. C. 2. cap. 86. p. 331.* Et febrem qvartanam, & medicinam suspectam habet *Vossius l. 3. de Idolol. c. 53.* originem opinionis a symbolica fictione repetens. Indubiam causam, ob qvam Leones tantopere perseqvantur Simias, *ad p. 74.* dabimus.

Nimis saturatus cogitur diebus duobus, aut tribus abstinere, & tantum alternatim pascere.]

N.7. Scribunt hoc *Aristot. l. 8. hist. c. 9.* & ex eo *Plinius l. 8. c. 16.* narrans tamen, qvod in Aristotele hodie non legitur, Leonem vesci alternis diebus. Male *Solinus c. 30.* tradit, alternis diebus potum, alternis cibum capere.

Urinam ejicit levato pede, sicut solent facere canes.]

N.8. Ex Aristotele & Plinio ll. cc. *Anatomici Parisi-*

Parisienses verò ex urethræ peculiari conformatione, qvam describunt, colligunt, Leonem urinam suam retro ejicere, sine elevatione pedis, qva canes solent, & coire cum Leæna eodem modo, qvo camel & lepores cum suis fæmellis.

68 *Palpebras habet brevissimas, & tamen oculos maximos &c.*]

N. 9. Oculorum terribilium fabricam & colorem, qvem male vulgo viridem faciunt, cum potius flavus auratus sit, considerarunt *Parisienses*. Acuti illi admodum sunt & lucidi, adeo ut post mortem etiam clari luceant, ob abundantiam humori aqvei *secundum eosdem.* Rutilant ac igne mican ex Spiritibus lucidis, qvi adfluunt per intermixt sanguiflua vasa fibrillis nervi optici, juxta *Wolffstrigelii* observationem. Adde *Pierium lib. 1. Hieroglyph. c. 5. Vossium l. 3. de Idolol. c. 53. Majum p. 645* A culicibus in Mesopotamia, dum insident palpebris noctu & interdiu, eum ad furorem redigi Leones, ut dilacerando oculos suis ungvibus se ipsun excœcent, aut fluminibus mergantur, ad qvæ remedii causa confugiunt, exstat apud *Ammian. Marcellin. l. 18. c. 16. Confer. Strabon. l. 16. p. 771.* De dormitione Leonis oculis apertis, opinio est pervetust apud *Horum lib. 1. hieroglyph. 19. Plutarchum l. 4 Sympos. c. 5.* Ob eam Ægyptii vigilantem & sedulum hominem, & custodem significaturi, Leon caput pinxerunt, & templorum claustris Leone qvi essent custodum loco appinxerunt. *vid. Pierum. l. 1. c. 4. Alciatum Emblem. XV.* Enimvero palpebras qvidem, cum admodum breves habeant, no claudunt instar leporum oculos suos Leones do

mien

iendo unde origenem suam nacta est vulgata opinio; operiunt nihilominus, *qvod ex Parisiensibus Anatomicis discimus*, membrana crassiore & nigrescente, qvæ hæret versus majorem angulum, qvæqve producta versus minorem expanditur super totam corneam, sicut in avibus & felibus præcipue observatur, qvi plurima Leonibus similia habent, tam in externis, qvam internis partibus. Ex qva convenientia oriri potuit fabula Muhammetana, qvæ narrat felium primum in Arca Noæ prognatum ex Leonis percussi flatu anhelo. *Vide Dialogum de præcipuis dogmatibus Muhammetis ex Arabico in Latinum translatum, inter Scripta Saracenorum a Bibliandro collecta Tom.I. p.197.* Qvare qvamplurima emblemata, dormientem oculis apertis Leonem exhibentia, & a *Picinello Tom. I. repetita*, gratiam suam perdunt. Argumentum vigilantiæ ex caudæ motione inter dormiendum, ne videatur ipse profunde dormire, *ex Phile desumtum cap.33.* repudiat Vossius, censens caudam a Leone ventilari nondum penitus dormiente, cum imaginatio illa in vere dormientem non cadat. Addo etiam in somno, actione non spontanea Leonem caudam posse agitare, qvemadmodum canes, boves, aliaqve animantia dormientia, muscas caudarum suarum verberatione abigere solent. Interim non profunde admodum dormire Leonem, facile credi potest. Cum igitur ad templorum ac magnificarum ædium fores, rictus Leonis cum linguis exertis & prominentibus, aut ex ære fusos, aut saxeos, aut pictos hodie conspicimus, sacra illa ac inviolabilia esse loca indicari meminerimus, qvæ si qvis violare

palam

palam clamve ausus fuerit, perinde non impune laturum, sed vita expiaturum esse, ac eum, qvem lustra leonis ingressum ad prædam auferendum, illeex somno etiam facile evigilans, immani oris hiatu invadit, laniat, frangit. Vide *Pierium l. c. Majun p. 650.*

Qvidam Leones habent jubas & sunt ferocissimi &c.]

N. 10. Duo *Aristoteli l. 9. histor. c. 69.* Leonum genera, unum στρογγυλώτερον compactile & breve, *interprete Plinio & Solino*, rotundius *Scaligero*, καὶ ὀλοτριχώτερον, crispioribus jubis *juxta Plinium, Solinum, Scaligerum*, crispiore pilo *juxta Theodor. Gazam*; alterum μακρότερον longius, καὶ εὐθότριχον simplici villo *juxta Plinium*, coma simplici *juxta Solinum*, juba spissa *juxta Scaligerum*, pilo probiore *ex versione Gazæ.* Qvanqvam vero obtinuit jubatos Leones dicere, malunt tamen *Parisienses* cum Gaza pilos potius appellare circa collum & pectus eorum, utpote à reliqvis corporis pilis non differentes nisi longitudine, & cum natura crinium non convenientes. Pro qva opinione facere potest, Aristotelem τρίχας vocasse, pilos, non χαίτας jubas. *Adde librum Physiognom. cap. 5.* Leones mares (fœminæ enim omnes juba vulgò dictæ carent, *Aristot. l. 6. c. 31. Plinius l. 8. c. 16.*) prioris generis timidiores, posteriores fortiores ajunt. Tertii generis adjiciunt *Plinius & Solinus* ex Leæna & pardo genitos, jubarum inopes, in plebe remanentes. Non vero tam hos tertios mixti generis intendit *Franzius*, qvam vel in priori genere juba minus notabili, vel potius Americanos rutilo nudo

nudos, timidos, qvos in arboribus interdiu dormientes incolæ sagittis interficiunt. *Dapper. America* p.306. *Francisci* Lust=Garten/ *p. 1015* Americanos tamen Leones ignavos & fugaces, fusco potius qvam flavo colore, juba etiam præditos, descripsit *Nieremberg. l.9. histor. Natur. c. 21.*

N. II. Possunt itidem Leonum differentiæ a regionibus peti, juxta qvas magnitudine, colore, robore, ferocia diversi sunt. *Vide Voss. l.3. Idol. c. 52. Bochart. P. I. col. 722. Majum. P. II. p. 689.* Qvam freqventes sint in Judæa, indicant sæpe Scripturæ, ut miremur aliqvos negasse Judææ & Syriæ Leones, qvos sibi refutandos sumsit *Joh. Hier. Sopranes, Jesuita Genuensis, in Commentario de vita Davidis* fol. 58 Vid. Cant. IV. 8. Jerem. V. 6. 2. Reg. XVII. 25. 1. Reg. XIII. 24. 1. Reg. XX. 36. Jud. XIV. 5. 1. Sam. XVII. 34. 2. Sam. XXIII. 20. &c. Latent magno numero inter arundines, inprimis ad Jordanem, testibus *Johanne Phoca de Judæa cap. 23. & Hieronymo in Zachar. II.* At qvorsum ex Ægypto venit לביא וליש Leæna & Leo Jes. XXX. 26? Respondent nonnulli, Leones metaphoricos intelligi; i.e. hostes truculentissimos Judæorum, cum qvibus facit *Varenius in Commentar.* p. 373. Verius, ex sententia *Bocharti col. 723.* notantur Ægypti & vicinorum locorum Leones, aut plures, aut immaniores qvam in Judæa. Qvanto enim fervidioribus locis nati sunt Leones, tanto major eorum est rabies & audacia. Unus Africæ Leo, vel ducentos invadit eqvites, qvinos etiam vel senos interficit, ut refert *Johannes Leo in descriptione Africæ* l. 9. *Sanctius & Grotius* volunt indicari deserti vel Isthmi Arabici Leones, in Ægyptum proficiscentibus metuendos.

Admodum est generosus & superbus, vehem[...]
& crudelis &c.]

N. 12. Superbiam etiam ex eo colligas, qv[...] primo non apprehensam feram saltu negligit, & [...] vanum conatum pudefactus qvasi, lento gradu pe[...] obscuriora silvarum. *Helbig. in Ephemerid. Natu[...] Curiosor. German. Dec I. An. IX. p. 453.* Sine dub[...] verò saltum repetere ipsum non pudet, cum fame[...] cus est aut irritatus. Crudelitatis & indolis feri[...] indicium *Parisienses* habent paucitatem, qvam depr[...] henderunt, cerebri, confirmantes adversus vulgata[...] opinionem, qvod non solùm pisces omnes pau[...] cerebro instructi, ad societatem & disciplinam si[...] inepti, sed & vulpes marina, a sagacitate nomen i[...] depta, nihil fere habeat cerebri. Index affectuu[...] cauda; qvam immotam servat placidus, leviter m[...] vet abblandiens. Iratus primo eadem terram verb[...] rat, ingravescente ira, (*Franzius contra defervesce[...] te ira scripsit*) etiam tergum, ceu qvodam irritame[...] to flagellat. *Plinius l. 8. c. 16. Solinus c. 30. Ælian. l.[...] hist. anim. c. 39. l. 6. c. 1.* Cur vero cauda significet a[...] fectus, causam exqvisivit *Alexander Aphrodisien[...] in Problematis l. 1. qvæst. 144. qvam adduxit ex[...] Gesner. p. 656. approbarunt Voss. de Idol. l. 3. c. 5[...] Majus Part. 2. p. 657.*

69 *Julius Camillus recitat exemplum de se ipso*

N. 13. Rei Parisiis gestæ ordinem narravit *C[...] merar. Cent. 1. Subcis. c. 22. p. 118.* Causam a Camil[...] ex veterum Astrologorum superstitione haustam r[...] pudiabimus, ubi de Galli cantu Leonem perterre[...] ciente. Alias clementiæ Leoninæ rationes vero[...] miliores, circumstantiæ ab ipso Camillo allatæ, ali[...]

rumq

rumqve exempla, qvibus similiter Leones pepercerunt, suppeditare meditantibus poterunt.

Prostratis parcunt, captivos & supplices non lædunt.]

N. 14 Hæc *Plinii* l. 8. c. 16. & *Solini*, c. 30. exemplis ex recentiori historia illustrat *Camerar. Cent. 2. Subcis. c. 85. p. 328. Adde Zeiler. Part. 2. Epist. 542. p. 840.* agnosces in qvibusdam singularem DEI providentiam. Parcunt vero etiam bestiis infirmioribus. Lepus in spectaculis a Domitiano exhibitis, per ora Leonum salvus discurrit. *Martialis l. 1. epigr. 7. 15. 23. 49.*

Ubi virgultum qvoddam intercedit, ibi velocissime currunt &c.]

N. 15. Id Auctor *cum Aristotele* l. 9. hist. c. 69. *Plinio* l. 8. c. 16. *Solino* c. 30. interpretatur fieri, ut citius in conspectum venatorum redeuntes, metus opinionem a se declinent. Forte insidias occultas timentes cito ex virgultis in apertum liberumqve campum evadere festinant, in qvo hostium machinationes oculis tueantur.

In maxima multitudine diligenter observant, a qvibus vulnerantur.] 71

N. 16. Vide Aristot. Plin. Solin. ll. cc. Camerar. Cent. 1. Subcis. c. 22. p. 114. Vincentii le Blanc Itinerar. cap. 27. Erasm. Francisci Geschicht-Spiegel p. 1447.

Qvod Gratitudinis sint studiosi]

N. 17. Historia de servo Androdo, ut vulgo vocant, qvi *Æliano l. 7. de anim. c. 48.* Ἀνδροκλῆς; *Gellio l. 5. c. 14.* Androclus, aut eadem est (*uti habet Lipsius*) aut similis valde illi apud *Senecā l. 2. de Benef.*

 c. 19.

c.19. Recentiorem invenies apud Nierembergium *lib.9. Histor. Natur. c.25.*

Si qvis posset ipsorum oculos levi saltim palli operire, & recitat Plinius multa exempla &c.].

N. 18. *Plinius* l. 8. c. 16. narrat Claudio Imperatore, casu qvodam Leones capiendi inventam rationem esse, indignam propemodum talis feræ nomine: nam pastorem Gætulum sagum suum Leonis ii se ingruentis oculis objiciendo, omnem ejus impetum fregisse: qvod spectaculum in theatrum mo: translatum fuerit, leviqve injectu operto capite incredibili modo torpuisse feram, ut devinceretur noi repugnans: videlicet omnem vim constare in oculis neqve mirum esse, a Lysimacho Alexandri jussu simul incluso, strangulatum Leonem. Qvod de Lysimacho, licet pariter habeant *Plutarchus in Demetrio p.901. Pausanias in Atticis p.15. Seneca l.3. de Ir. c.17. lib.1. de Clementia c.25. Justinus l.15. c.3. aliiq;* nihilominus fabulam ait *Curtius l.8. c.1. n.17.* cuju simul originem aperit. *Vide Freinshemii notas ib* Vim oculorum siccitati qvidam adscribunt, colligentes eam ex aversatione, qvæ in Leone maxima si ignis: oculos siqvidem qvo sicciores calidioresqve eò magis ignem aversari; *apud Camerar. Cent.1. Succis. c.22. p.113.* Probabile est, Spiritus ignitos & fugentes qvi copiosius & concitatius ob iræ æstum oculos influunt, subito iisdem obvelatis retroagi ac perturbato motu phantasiam confundere, sicqve consternatam bestiam efficere, ut virium suarum oblivscatur. Hac ratione adhuc hodie Africanis nonnullis ludus jocusqve est Leonem interficere. Injus enim irritati atqve irruentis oculos mira agilita

læna

lænam siveve stimentum injiciunt, exasperato cultro cor transfigunt, exanimo pellem diripiunt, eamqve circumferentes, & a pueris patriis carminibus celebrati, stipem corradunt. *Camerar. Cent. 2. c. 85. p. 330.*

Qvando sunt cicurati domestica consvetudine]

N. 19. Cicures Leones leges apud *Ælian. l. 5. hist. anim. c. 39. Plin. l. 8. c. 16. Lampridium in Heliogabalo, M. Paul. Venetum l. 2. c. 15. Camerar. l. c. Engelgrav. Luce Evangel. Part. 1. p. 341. Zeiler. Part. I. Epist. XXVI. p. 79. & Epist. 68. p. 792. Busbeqvium Epist. 1.* Modum, qvo Indi domant, vidit & descripsit *Tavernier* Part. II. p. 20. Confer. Gesner. p. 658. Etiamsi verò feritatem suam dediscunt, aliqvando tamen ad eam redeunt, ut etiam in rectores suos, qvi diu ipsos tuto tractarunt, sæviant. Qvidam Leonem ita cicuraverat, ut ejus ori caput suum sæpe ingereret, & illæsum educeret; at semel, dum in magna hominum freqventia id facit, Leo caput dentibus pressit & præmordit. *Engelgr. Lux Evang. Part. I. p. 164.*

Si miraculose cohibeantur ipsorum ora, qvemadmodum constat ex historia Danielis 9. 11.] 72

N. 20. Inverso numeri typo *Caput* 6. est. Deturbatur Propheta innocentissimus instar facinorosi plebeji in fossam Leonum septem, si recte numerant *Additiones ad cap. XIV. 31.* Inter eos una nocte fuit, non sex diebus, ut fingunt Additamentorum allegatorum, Auctor & Judæi apud *R. Saadiam*, qvi, ut Danieli interea de victu provideant, Habacucum e terra Judæ cibos adferentem, invita Chronologia, advocarunt. Arabes ad eam operam præstandam Jeremiam e Syria advolasse commenti sunt. Daniel autem

tem credens in Deum suum v. 23. per fidem obstruxit ora leonum Hebr. XI. 23. i.e. per fidem hoc benefici- um a DEO impetravit. DEUS enim misit Ange- lum suum, qvi occlusit os singulis, ac si unus esset manum vel ungues, ne Danielem læderent, cohibuit *v. 27. Daniel. l.c.* Alia Judæorum, Arabum, ac Chri- stianorum nonnullorum Interpretum commenta ad illam historiam, aut nimis scrupulosas inqvisitiones notarunt & rejecerunt *Bochart. Part. I. Hieroz. col. 748. sqq. Suaningius, Geierus in Commentariis.* Si- miles martyrum, aliorumqve piorum a truculenti Leonum liberationes, colligere studuit *Cornelius a Lapide ad Daniel.* Adde Camerarium & Zeilerum ex n. 4.

Inprimis solent abstinere a Camelis]

N. 21. Herodotus lib. 7. memorans, in came- los Xerxis, qvi commeatum portabant, Leones nocti grassatos, non tacto vel jumentorum alio, vel homi- ne, ipse miratur, cum aliàs abstinere illi soleant a ca- melis, qvoties alius cibus suppetit; Xerxen prodig- loco habuisse, loco citato non legitur. *Phile cap. 3 scribit:* Leonem omni carne, maxime Cameli dele- ctari.

N. 22. Modis sex, *ut appellavit Franzius*, i qvibus parcunt sævi Leones, annumerari potest sept- mus, cum ex imperterrito aspectu ac impetu hom- num in eos facto nonnunqvam ferociam omittun qvasi in stuporem dati ob audacissimam hostis a- gressionem. Polonus Nobilis miles in aula Matth. Corvini Hungariæ Regis, sæpe Hungaros ad lucta & pugnam evocabat, multosqve vincebat. Stab in ferratis claustris immanis Leo. Qvis est, inq

el

ebat homo audax & jactabundus, qvi famelico Leoni ausit carnem auferre, qvam ore comprehenderit? Cum nemo præsumeret, Cernitis, ajebat, qvod dico. Hi fame per diem excruciant Leonem: postero die ovem projiciunt qvadrifariam dissectam. Leo irrugit apprehensæ carni incubans. Polonus ingreditur, & Leonẽ jam vorantem divaricatis cruribus insidens pugno ferit in os, dicens: Offam dimitte canis. Vocem intrepidā Leo exhorruit, exeuntemqve visu solo secutus est. Audax facinus, postqvam comperit, Rex non probavit, sed Polonum pro more donatum domo sua jussit excedere, judicans, qvi venalem ita vitam circumferret, non necessario sed ad solam jactantiam se objiciens periculo, eum nihil non ausurum præmio proposito. *Cranzius Saxoniæ l.9.c.24.* Qvod Regis judicium reprehendit *Caspar Cichocius in alloqviis Offiecensibus l.4.c.3.* Vide Pontani Attica Bellaria p. 404. & aliam similem historiam *de Henrico IV.* Comite Schauenburgensi, qvem Ferreum cognominarunt, *ex Spangenbergii Chronicis apud Zeiler. Part. I. Epist. 48. p. 130.* Cum Florentiæ Leo ferocissimus, incuria custodis e cavea elapsus, per urbis compita ingenti omnium terrore discurreret, arreptum infantem unguibus tenuit; qvod videns mater vidua, cui unicus erat, dolore & præpotenti amore abrepta, in Leonem insiluit, filium ei eripuit, nihil eos lædente leone, sed aspiciente tantum & abeunte. *Spondan. Annal. an. 1259. n. 18.*

Aut in specubus, aut in altissimis montibus se abscondunt]

N. 23. Leones in solitudine plerumqve degunt, tempe tam in silvis, *Psalm.* CIV. 20. 21. *Jerem.* V. 6.

c.XII.8. *Amos* III 4. qvam in montibus *Deut.* XXXIII. 22. *Cant.* IV. 8. *Jerem.* XLIX. 19. c. L. 44. ad qvos a præda saturi revertuntur, *Gen.* XLIX. 9. Ad urbes & loca hominibus habitata accedunt, nonnisi divinitus ad ultionem instincti 2. *Reg.* XVII. 25.26. aut senectute ad feras capiendas invalidi, *Aristot. l. 9. hist. c. 69. Plin. l. 8. c. 16.* Sæpe etiam ex eadem causa, circa casas & tuguria pastorum oberrant. *Ælian. l. 4. c. 34. Phile cap. 13.* Ubi morantur, lustrũ habẽt, vel in antro, vel in vepretis, vel in densis arboribus. In illo (qvod variis nominibus appellari ab Hebræis & Arabibus docuit *Bochart. col. 738.*) recubant *Job.* XXXVIII. 39. *Psal.* XVII. 12. *Psalm. CIV.* 22. *Gen.* XLIX. 9. *Ezech.* XIX. 2. & horis potissimùm diurnis dormiunt, ut noctu ad prædam qværendam evagentur *Psal.* CIV. 20. aut etiam insidias feris & hominibus struentes latitant, *Jobi.* l.c. *Psal.* X. 10. XVII. 12. *Thren.* III. 10. *Siracid.* XXVII. 10. *Statius* lib. 7. v. 670. Unde *Aristoteles* Leonem insidiosis animalibus, qvalem Lupum ait, minus accurate opposuisse videtur, *lib. 1. histor. c. 2.* Ex insidiis in prædam occurrentem utplurimùm insiliunt, vel saltu irruunt; *Idem l. 9. c. 69. Plin. l. 8. c. 16. Solinus c. 30. Pollux l. 5. c. 14. & 15. Theocritus Idyll XXV. v. 252.* ubi emphasin vocum, non satis expressam ab interpretibus, monuit *Bochartus col. 739.* Ac qvem Leonis impetum respici putes Deut. XXXIII. 22 *Dan est catulus Leonis, insiliet ex monte Basan.* Nam יזנק insilire vel exsilire vertunt Interpretes Græci Arabs Erpenianus, Aben Ezra, Kimchius, Pomarius Aqvinas, & recentiores plurimi. Impleta propheti dicetur, cum Danitæ veluti saltu, ab uno Judææ extremo ad alterum progressi, Lassam seu Lesem opp dun

dum invaſerunt, qvod de ſuo nomine poſtea Dan appellarunt, *Judic. XVIII.* Confirmat hanc interpretationem *Bochartus col. 738.* ſimul alias duas non ita convenientes monſtrans; *unam* Syri: *Dan catulus eſt Leonis*, *qvi lac ſuget ex Mathnin ſeu Baſan*, qvaſi pro יזנק legeretur ינק; alteram Chaldæorum Interpretum Onkeloſi, Jonathanis, Hieroſolymitani intelligentium effluxum amnium; ex Baſan, qvi terram Dan potant. Vulgatus Latinus reddens; *fluet largiter ex Baſan*, an fluere proprie amnem, an Danem effluere metaphorice velit, dubites. Lutherus metaphoricum fluxum indicare videtur: Er wird fließen von Baſan. Vinarienſes de inſultu inſtar Leonum accipientes, in primam Bocharto probatam ſententiam concedunt.

Suo terribili rugitu ita conſternatas reddunt feras, ut conſiſtant tanqvam victimæ] 73

N.24. Vocem Leonis qvatuor vocabulis exprimunt ſacræ literæ. Primum eſt שאג ſchaagh, rugitum ſignificans in qvindecim locis. Idem DEO tribuitur, rugientis Leonis inſtar voce ſua graviter intonanti, *Job.* XXXVII.4. *Jerem.* XXV.30. *Joel* III.6. *Amos* I.2. & hominibus, ſive minitantibus & frementibus *Pſalm.* LXXIV.4. ſive magno ejulatu viciniam replentibus, *Pſal.* XXII.2. XXXII.3. XXXVIII.9. Alterum eſt נחם, de Leonibus tantùm juvenibus *Prov.* XIX.12. XX.2. *Jeſ.* V.29. Chaldæi & Arabes omnibus tribuunt. Proprie fremere notat; vide *Jeſaiæ* l. c. v.30. qvod etiam Cicero, Virgilius, Lucanus, Seneca in Oedipo, Plinius de illis dicunt. Tertium eſt נער naar Jerem. LI.38. *Ut leunculi rugiunt*, נערו *rudunt ut catuli Leonum.* Etſi enim נער rudere eſt aſino-

 rum,

rum, docentibus *R. Salomone*, *& R. Kimchi*, hic ta men de Leonibus vel catulis leonum catachrestic accipitur, ut vult *Bochartus*. Similiter *Buxtorfiu in Lexico Hebraico & Chaldaico* putat, metaphoric tribui catulis leonum, qvi ob imperfectum rugitun qvasi rudere dicuntur. Abarbenel simpliciter ai נערו idem esse cum שאגו rugient, *Sebastianus Schmi dius Commentario in h. l.* mavult pro voce propri catulorum leoninorum rugientium habere ac ita in terpretari: *Et rugient rugitu juvenili sicut catul leonum*. Qvartum verbum est הגה *haga* mussitar Jes. XXXI. 4. *Ut imussitat leo, & leunculus super præd sua*. Kimchi, Aben Esra ac vulgatus reddunt rugit at non plenus hic intelligi debet, sed remissior obscu riorqve sonus, qvalem facit leo prædam jam habens Murmur appellares cum Ovidio ac Lucano. vid. *Bo chartum col. 731. Majum p. 662.*

N. 25. Rugitus ille terribilis est *Amos* III. 8. tun qvod vox sit ex arteria aspera insolitæ fabricæ prodi ens (vide Blasium p 80. & 85.) valde sonora, gravis ac fremitus horribilis, *Jes.* XII 8. *Apoc.* X 3. tùm ma xime, qvod eam statim seqvatur strages & dilacera tio. Non enim rugire solet tanta contentione, a cum prædam videt, in qvam mox irruat, *Amos* III. 4 *Psal.* CIV. 21. *Jes.* V. 29. c. XXXI. 4. *Jerem.* II. 15. *Ezech* XXII. 25. & cap. XIX. 7. ubi Leo dicitur arces urbesqv desolatus, terramqve, & qvod ea continebatur, su rugitus sonitu vastavisse, *antecedente posito pro con sequente.*

N. 26. Ex hujuscemodi Scripturæ locis, puta Bochartus col. 729. *Basilium in hexaemeron homil.* *Ambrosium in Hexaem. l. 6. c. 3. Remigium Altissiodo renser*

rensem, & ex eo Glossatorem veterem in Amos III. 4. occasionem sumsisse, tribuendi vim prope magicam Leonis rugitui, qvippe qvo audito feras, ajunt illi, stare fixo gradu stupefactas, qvæ celeritate impetum ejus evadere poterant; ac solo sæpe rugitu eas capi. Franzium cum veteribus istis sensisse, palam est. At magicam, qvæ sistat feras vim esse, h. e. natura majorem, non erit necesse; cum solus metus, ex terribili & lethifera voce audita, & aspectu truci nonnunqvam accedente, subito ingruens, ita consternatas reddere possit, ut qvid agant, qvoqve se vertant, non cognoscant. *Lege omnino Camerar. Cent. 3. Subcis. c. 100. p. 375.* Solent itidem homines nonnulli, metu magno ac inopinato perculsi, qvasi immoti consistere, ac nescire, cum ad se rediit animus, qvid cogitaverint, qvid egerint.

Cum accedunt ad feras, suis caudis eas circumscribunt, ut misera animalcula extra caudas non fugiant]

N. 27. Ita Anonymus de Naturis rerum apud Vincentium l. 20. speculi Natural. c. 68. *Non solùm rugitu suo cæteras terret feras, sed & prædæ semper inhians, caudæ suæ descriptione super faciem pulveris aut nivis protractæ circulum describit, cujus circumferentiam transire non præsumunt bestiæ inclusæ.* Ridiculè, ac si Leo magiam calleat, *inqvit Gesnerus p. 659.* An opinio, a solo obscuro illo Auctore relata, ex motu caudæ, qva iratus terram verberat, originem habuit? *vide supra n. 12.* Convertit fabulam in usum suum *R. Kimchi*, ex qvo repetiit *R. Salomo Ben Melech*, in interpretando v. 17. Psal. XXII. Ubi enim Christiani legunt secuti LXX. *Aqvilam, Syrum, Arabem*

rabem, Æthiopem, Hieronymum, ipsosq; Masorethas Judæorum, pleno & cohærente sensu, verbum præteriti temporis כרו *foderunt*, vel (qvod idem est cum aleph epenthetico etiam aliis verbis similiter inserto) כארו, aut participium Benoni plurale כארי pro כרים' facta epenthesi א & apocope ם *fodientes, manus meas & pedes meos*; Judæi malunt nomen substantivum legere, כארי sicut Leo manus meas & pedes meos. Cumqve sensum incompletum integrent, *R. Joseph Cæcus Paraphrastes Chaldæus Psalmorum* supplendo vocem נכתין mordentes, *R. Salomon* מרוכאים contriti, nihil supplendum aliunde putarunt *Kimchius & Aben Esra*, sed ex præcedentibus repetendum verbum הקיפוני circumdederunt hoc modo: *Congregatio malignantium circumdederunt me, sicut Leo manus meas & pedes meos.* Ut autem Kimchius, qvo modo prædam Leo circumdaret, declararet, scripsit; *Leo in silva cauda sua circulum describit, qvem feræ cum vident, ex eo non audent excedere præ timore & metu, & manus & pedes colligunt*, (i.e. tam prioribus qvam posterioribus pedibus immotis ibi manent) *& in medio circuli prædam suam invenit Leo.* Vide Bochartum col.783. Pfeifferi Dubia vexata in Psal. XXII. 17. & annexam recentiori eorundem editioni Exercitationem octavam de Integritate vocis כארי.

Sangvinem primò lambunt, postea devorant reliqvas partes.]

N. 28. Lingvam Leonis *Parisienses, Wolffstrigel, Borrichius* invenerunt asperam & aculeatam, copia scil. mucronum instructam ex materia dura, qvalis ungvium, & qvæ limam qvamqve crassiorem æqvet. *vide*

vide Blasii Anatomen Animal. p. 84. Unde ea lambendo enecare animalia ad pastum potest, cruoremqve derasa cute elicere. Præ reliqvis partibus cor appetit, qvod indicant *Homerus Iliad. λ. v. 115. Apollinaris in paraphrasi Psalmi 7. & 56. Scalig. Exercit. 208. Franciscus Alvarez Navigationis Æthiopicæ cap. 23.* Quo alludi Hoseæ XIII. 8. *Dilacerabo clausuram cordis eorum,* (i. e. τὸ περικάρδιον) & *comedam eos ibi ut Leo;* monitum est Kimchii commentantis: *Ita facit Leo cum discerpit: dilacerat corpus usque ad cor, qvod comedit, & bibit sangvinem ejus.* Avem quæ similiter cor concupiscat, & inde Coreduli nomen ferat, ab Isidoro & Vincentio narratam, exsibilat *Bochartus Part. I. col. 741.*

De præda tamen aliquid relinqvunt aliis bestiis] N. 29. At aliæ bestiæ reliquias prædæ non attingunt, ob fœdum qvem in iis ex halitu suo Leones relinqvunt odorem; *Aristot. l. 8. hist. c. 9. sect. 104.* immo eum in finem aspirant, ut arceant cæteras, ac sibi solis sine custode servent, *Ælian. l. 5. hist. animal. c. 39. Phile cap. 33.* de qvo teterrimo odore, qvem etiam *Plinius l. 8. c. 16. l. XI. c. 53. Martialis l. 6. Epigr. 93.* referunt, interpretatur *Chrysostomus* Jobi VI. 7. ubi LXX. habent: *Fœtorem enim video escas meas, sicut odorem Leonis.* Qvæ versio qvomodo perperam enata sit, concit *Bochart col. 746.* In hebræo enim est: Ea (scil. verba mea) sunt tanquam dolores cibi mei, i. e. cibus meus dolorificus. Sed & halitum illum tam gravem ac fœtidum in dubium vocant *Parisienses.*

Qvicqvid tangunt aut vulnerant, ex illo effluniger cruor]

N. 30. *Ex Aristotele l. 9. Hist. c. 9. Plinio l. 8. c. 16.*

Saliva

Saliva per morsum carni communicata fermentan-do eadem fere symptomata produdit, quæ canis ra-bidi: excitat spasmum, rabiem quandoqve, ac ut plu-rimum necat. *Helbigius in Ephemerid. Naturæ Cu-riosor. German. Dec. I. An. IX. p. 453.*

74 *In locis asperis suos ungves contrahunt, & in-tra carnem suam abscondunt, ne hebetentur*]

N. 31. Plinius l. c. *condunt ungvium mucrones in corporis vaginas.* Solinus d. l. *mucrones ungvium vaginis corporum claudunt.* Confer Plutarch. de So-lertia animal. p. 966. Non habent autem Leones al-as vaginas, in qvas condant ungves, quam rugas can-cellatæ cutis. Nimirum articuli digitorum ita sun-compositi aptique, ut ungves arrigere ac protendi-re, cum lubet, queant: eosdemque reductos atq-demissos inter digitos condere, ne ingressu hebeten-tur aut refringantur. Vide Anatomicos Parisiens-& Wolfstrigel. *in Ephemerid. Naturæ Curiosor.* & *apud Blasium ll. dd.*

Leæna est valde libidinosa, & semper gestit coitum, adeo ut misceatur etiam cum aliis leonibus item cum pardo & hyæna]

N. 32. Misceri etiam cum Tigride discimus relatione *Nieremberg. Histor. Nat. l. 9. c. 21.* Qv-vero odore pardi coitum in adultera sentit Leo, t-taqve vi consurgit in pœnam, idcirco eam culpa-flumine abluit Leæna, aut longius comitatur. *Pli-nius l. 8. c. 16.* (cui id non credit *Albertus M.*) Simi-est via mulieris adulteræ *Proverb. XXX. 20.* qvæ c-medit (h. e. instar avide deglutientis aqvas furtiv-sorbet, & panem occultum devorat, cap. IX. 17.) tergit os suum & dicit: Non sum operata iniqvi-

tc

tem. Semel edi partum, lacerato ungvium acie utero in enixu, prodidit ex opinione Ægyptiorum *Horus Apollo l. 2. n. 78. Herodotus l. 3. p. 205.* repetiverunt *Basilius homil. 9. in hexaemeron, & Epiphanius, qvi hæres 58. aut 78. adversus Antidicomarianitas disputans, Mariam cum Leæna semel itidem pariente comparat. Ad qvod significandum Jacobus Masenius Leænæ, ad qvam cubat leunculus, lemma adscripsit:* Semel parit, at Leonem. Verum id commentum refutarunt Aristoteles. *l. 6. hist anim. c. 31.* Ælianus *l. 4. c. 34.* Gellius *l. 13. c. 7.* Philostratus *l. 1. de vita Apollon.* alii, ipsique Prophetæ, qvi plures catulos uni Leænæ attribuunt, Ezech. XIX. 2. Nahum. II. 12. Confer *Camerar. Cent. I. subcis. c. 22. p. 115. Rollenhagen* wahrhaffte Lügen *c. 15.* Qvot uno partu scymnos enitatur, variant Auctores. *vid. Bochart. col. 743.* qvæ de numero ac ordine prolium *Aristoteles* retulit, ex eo narrarunt alii, aliter observabit *Wolfstrigel:* siqvidem post plurimos editos fœtus leæna senior unicum catulum enixa est. Fabulam, cæcum non solum, sed & mortuum eundem nasci, qvem post triduum halitum inspirando Leo vivum faciat, *in Physiologo Epiphanii* relatam, ac Conversioni gentium applicatam, si placet, legas. Aliam ad studia adolescentum accommodationem factam invenies *Tom. I. Declamation. Philippi Melanchthonis p. 490.* & aliam ad Christum, post triduum ex mortuis a DEO Patre suscitatum *apud Moller: Allegor. p. 09. & Picinell. T. 1. p. 399.*

Non capiuntur nisi in foveis.]

N. 33. Leones qvamvis ferocissimos bestiarum homines vel aperta vi, vel dolis superant ac capiunt.

N. 34.

N.34. Eorum, qvi apertis viribus aggressi Leones trucidarunt, tres in Sacra historia Heroes laudantur. Primus est Samson, qvi descendens cum parentibus Thimnatham, qvod oppidum erat in tribu Dan. Jos. XIX. 43. in valle situm, a via forte divertens, aut, *ut Kimchi putat*, antegressus obvium habuit leonem juvenem rugientem. Hunc non viribus nativis, sed Spiritu Domini in se irruente roboratus, inermis ipse, nec ullo gladio vel telo instructus, discerpsit ut hædum, Jud. XIV. 5. 6. Suffocasse brachiorum amplexu scripserunt Josephus *l. 5. Antiqvit. c. 10.* & Ambrosius *Epist. 23.* qvo modo Nemeæum leonem Hercules interemisse dicitur.

N.35. Alter Heros David fuit, de se ipse Reg Sauli referens 1. Sam. XVII. 34. *Cum pascebat servu tuus pecora Patris sui* ובא הארי ואת הדוב *& ve niebat leo aut ursus, & auferebat ovem e grege*, (i est, sive Leo, sive ursus irruens auferret) *egrediebat in eum, & percutiebam eum, & ovem ex ore ejus erue bam; & in me insurgentem barba* (vel mento) *corre ptum percutiebam & necabam.* Nimirum indica David, qvod non semel fecerat; ideoqve duplex pu gnæ genus describit, qvo hujusmodi feras solebi prosternere. Quandoqve cum præda fugientes p do aut venabulo feriebat lethaliter, & e morientiu ore ovem eripiebat, aut si præterito grege in past rem recta insilirent, maxilla aut faucibus una ma correptas, altera confodiebat. Erat enim Davi & animus præsentissimus, & robur corporis ingen per qvod arcum chalybeum brachiis suis frange poterat, Psalm. XVIII. 35. juxta expositionem *Ki chi & Vatabli.* Deprædicat illam a Davide sæpe ex

cita

citam fortitudinem Siracides XLVII. 3. *Cum leonibus* ἔπαιξεν *lusit* (alia exemplaria legunt ἐπεξένωσεν versatus est) *ut cum hædis: & cum ursis, ut cum agnis ovium.* Confer Geieri *Funebr. Part. II. Concion. XXXVI. p. 450. sqq.*

N. 36. Tertius Heroum celebratur Banaja filius Jojadæ 2. Sam. XXIII. 20. 1. Paral. XI. 22. *Et Banaja, filius Jojadæ viri strenui & rebus gestis clari, è Cabsaël,* (urbe natali in tribu Judæ) *percussit duos ariel Moab, & ipse descendit, & percussit leonem in media fossa die nivis.* Prius facinus, percussionem duorum ariel Moab, de duobus leonibus *Hieronymus*, de duobus leonibus Moabiticis immanibus *Castalio* interpretantur. Bochartus ac Majus malunt cum *Chaldæo, Kimchi, R. Levi* intelligere Principes & fortes viros Moabiticos, addentes adhuc hodie apud Arabes & Persas virum fortem appellari *Asadollahi*, leonem DEI. 2. Reg. XV. 25. אריה nomen proprium viri Tremellius & Junius leonis nomine exponunt. Alterum factum est Leonis trucidatio, quæ sine dubio contigit in antro, aut in fovea antri instar excisa, in qvam se subducant homines delitescere cupientes, (hanc enim significationem nomen בור qvoqve habet 1. Sam. XVI. 6. Jerem. XLI. 9.) In talem cum nivoso cælo descendisset Benaja, pugnam cum leone, qvi ibi latens ex improviso occurrit, inire coactus fuit. vid. Bochart. *Part. I. col. 753. sqq.*

N. 37. In profanis historiis viri strenui Leonum aperto marte victores annotantur Hercules, *apud Diodor. l. 4. p. 219. nisi ex Simsonis historia a gentilibus effictus est, qvod post alios nuper censuit Petrus Daniel Huetius Demonstrationis Evangelicæ Pro-*

pos. IV. p.284.) Polydamas Scotusæus pugil *(ap. Suidam Tom. II. p.558. ex Pausania lib.6.)* Alexander M *(Curtius 8. 1.14.)* Lysimachus *(ibid. n.15.)* Constantinus M. adhuc juvenis, Muleasses Rex Tunetanus Comes Wiprechtus, Hermannus Grün Consul Colonienſis, Nobilis ex Hannibaltiorum familia coram Rudolfo II. Imperatore, aliiqve. vid. Freinshem *not. ad Curtium,* Camerar. *Subcis. C.3. cap.100. p.374* Zeiler. *Part. I. Epist.72. p.202.* Geier. *Funebr. Part. II Conc.36. p.453.* Ludolfi *Histor. Æthiop. l.1. c.10. n.4:* Balbini Miscellan. Historica Regni Bohemiæ *l. c.57. p.130.*

N. 38. Doli, qvibus circumveniuntur, vincuntur ac capiuntur Leones, varii adhibentur: Geminum indicat Ezechiel cap. XIX. unus est per foveam v. & 8. de qvo etiam *Plinius, Statius, Claudianus,* multò luculentius *Xenophon ac Oppianus*; qvod venationis genus adhuc Arabibus freqventatur; alter per retia v.8. rursum significatus cap. XXXII. 2. 3. juxta *R. Salomonis* paraphrasin Job. X 16. eleganter iterum descriptus ab *Oppiano l. 4. Cynegeticῶn v. 4* Conjunxit autem Ezechiel cap. 19. utrumqve capiendi modum, qvi conjungi omninò potest certioris capturæ causa, ut si forte unam fallaciam evadant, alteram incidant. Pleniorem horum explicationem qvære apud *Bochart. col. 759. sqq. Majum Part. p668.*

N. 39. Alias insuper, qvibus belluæ hæ succumbunt artes, addere poteramus ex Paulo Veneto *l.2.c.* ex Francisci Geschicht-Spiegel *p.1458.* ex Gesnero, Camerario *Cent.2.c.85.p.330.* Tavernier *Part. II. Itin. p.209.* Majo p.674. Sed unam referre nunc suffi

i

illis præteritam, qvam feliciter adhibuit Fridericus Comes Oldenburgensis. Is pro Patris sui senis Hunnonis, ab Henrico IV. Imperatore ad certamen cum Leone ob crimen læsæ majestatis condemnati, innocentia pugnaturus, simulacrum Viri ex stramentis compactum, pingvedine vel sevo recenti obductum, intestinis bovinis fartum, gladio armatum famelico hosti obvertit. Qvod dum bellua arripit, lacerat, ac vorat, impetuoso punctu ventrem ei Heros confodit, caputqve amputat. *Hamelman Chronico Oldenburgens. Part. I. cap. 13. p. 32.*

Vehementer exhorrescunt strepitus rotarum] N. 40. Plinius *l. 8. c. 16.* Solinus *c. 30.* Seneca *l. 2. de Ira c. 12.* Qvam observationem, ad diligentem considerationem æternitatis hominibus inculcandam, usurpavit Daniel Bartoli *de Æternitate pag. 215.* si, *inqvit*, Leones tam sævas bestias rotarum orbes circumacti, currusqve inanes terrent, fieri neqvit, ut homines qvantumvis feroces, cum cogitant indesinenter circumducendas æternitatis rotas, non sibi metuant &c.

vehementer timet ignem.] N. 41. Aristot. *l. 9. hist. c. 69.* Plinius, Solinus *ll. cc.* Ælianus *l. 4. hist. animal. c. 34.* Phile *cap. 33.* Camerar. *Subcis. Cent. 2. c. 86. p. 332.* Rationem reddere conati sunt Alexander Aphrodisiensis *l. 1. problem. sect. 68.* Ælianus *l. 12. c. 1.* citati Vossio *l. 3. de Idolol. c. 53.* Ex eo autem, qvod Tavernier *Part. II. p. 208.* testatur, igne maximo licet per noctem accenso, a leone accurrente abreptum militem, colligendum est, non ignes visos ab eo timeri, sed ubi periculum est ustionis, qvod similiter aliæ bestiæ metuunt &

fugiunt. Qvare peculiaris antipathia Leonis cum igne frustra cogitatur.

Cristam galli exhorrescunt, cantum Galli nullo modo possunt ferre]

N. 42. Plinius, Zoroaster, Plutarchus, Ælianus Lucretius, Ambrosius, Albertus M. Isidorum a Vossio pariter citatum expungo. Albertus M. ad gallum album restrinxit *l. 22. fol. 180. b.* Causam Proclus *in libro de Sacrificio & Magia* qvæsivit in solari natura, de qva cum plus participet Gallus qvam Leo hunc illi se submittere cogi. Qvo respexisse Camillum recordamur *ex n. 13.* Qvam superstitionem astrologicam merito respuit Joan Franciscus Picus Mirandulanus *l. 7. de Rerum Prænotione cap. 5. p. 425 427.* & Camerarius *Cent. 2. subcis. c. 86. p. 333.* atqve e… posita inferemus, Leoni etiam eqvum terrori esse o… portere. Nam, si Horo credimus, qvem Joh. Christoph. Steebius *in Cælo Sephirotico hebræorum* allega… *cap. 6. n. 1190.* eqvus leonem solari heroica virtute su… perat, qvod ille pugnam aliqvando intermissam re… petat, hic semel excedens ea, non revertatur. Inge… niosior est ratio ex principiis Epicuri ducta, a Lucre… tio *l. 4. v. 711.* Gassendo *Physicæ Sect. I. lib. 6. c. 14.* An… tonio le Grand *Histor. Natur. Part. VIII. art. 8.* qvam considerare omittimus, cum pigeat sollicitudinis su… perfluæ. Gallos enim sive visos sive auditos nihil t… meri a leonibus, sed apprehendi cupideqve vora… compertum fuit. vid. Philip. Camerar. *Cent. 1. Su… cis. c. 22. p. 119.* & Fratrem ejus Joachimum *Cent. Emblem. IX. p. 19.* Schoock *de Anima Belluar. p. 8…* Majum *Part. II. p. 671.*

Ante omnia oderunt simias, qvæ sunt versutissim…

N. 43. I…

N. 43. Petulantia sua Simia tantum in se Leonis odium concitat. Nam simul ac illa, vel ex arbore vel ex alio tuto latentiqve loco nacta est occasionem, in ipsum insilit, caudæ ejus se applicat, natibus affigit, atqve qvibuscunqve potest ludibriis, Regi suo illudit: qvod cum impatienter ferat generosissimum animal, ira & odio, qvanto in nullum aliud, in impudentem & protervum Ludionem efferatur. Pierius *l.1. hieroglyph. c.10.* & ex eo Camerar. *Cent.2. Subcis. c.86. p.332.* Putes ad hoc Plinium intendisse *l.8. c.16.* scribentem: *Ægritudinem fastidii tantum sentit, in qvâ medetur ei contumelia in rabiem agente annexarum lascivia simiarum. Gustatus deinde sanguis in remedio est.* Qvæ de morbo & medicina addit, qvam incerta habeantur, vidimus n.6.

Notandum est, in Scriptura qvatuor potissimum inveniri nomina, qvibus denotantur Leones.] 75

N. 44. Sex nominibus S. Scriptura Leonem appellare observatur. Primum est גור *Gur vel Gor* catulus Leonis Gen. XLIX. 9. Deuter. XXXIII. 22. Jerem. *LI.* 38. Ezech. XIX. 2. Nahum. II. 13. Qvod tamen non est proprium leonum, cum & aliarum bestiarum omni sive catuli גורים *gurim vel gorim* vocentur. Sic Thren. IV. 13. lactant Thannim i.e. cete, vel, ut alii intelligunt, dracones גוריהן *gureben* catulos suos; & Hebræorum Magistri canum catulos *gurim* passim nominant. Putant autem *Arias* Montanus *in Naturæ Historia p. 318.* & Bochartus *col. 714.* *gurim* dictos catulos, qvia circa matrem colliguntur & congregantur, qvomodo pulli in avibus, qvos mater ἐπισυνάγει, & sub alis suis congregat Luc. XIII. 34. Nam אגר *agar*, & גור *gur* est congregare,

colligere. Locus ex Hiob. XXXIX. 1. allegatus : Franzio, non prædicat curam Leonum de catulis, sec hunc habet sensum : *Num venaris* לביא *lean. prædam, & appetitum* כפרים *juvenum leonum ex ples, qvando incurvant se in habitaculis suis, & se dent in lustro suo ad insidias.* Ipse Franzius mo: *Cephir* explicat leonem juvenem prædæ cupidissi mum.

N. 45. Secundum nomen est כפיר *Cephi* leunculus, differens a catulo leonis, qvantum a vi tulo juvencus, ephebus a puero. Ezech. XIX. 2. 3 *qvare mater tua* לביא *leæna inter* אריות *leone cubavit, & in medio* כפרים *leunculorum multi plicavit* גוריה *catulos suos ; evexitq; unum* מגוריה *de catulis suis, ut esset* כפיר *leunculus, & asvesceret ex rapto vivere, & comedere homines* : Ergo *Cephir* est leo jam rugiens Jud. XIV. 5. latibu lum suum relinqvens Jerem. XXV. 38. ac prædæ in hians ; Ezechiel. l. c. Psalm. XXXIV. 11. Amos III. 4 De ratione nominis a *Bocharto* dissentit *Majus p.63*

N. 46. Tertium nomen est ארי *ari* vel ריה *arjeh*, qvod Franzius, communem Grammaticorum explicationem secutus, exponit de Leone adulto, ro busto & forti, qvasi in virili sua, ut sic loqvi liceat, ætate. Est vero hæc appellatio communis leonibus nulla ætatis habita ratione. Nam adhibent eam fe re semper sacri Scriptores in narrationibus histori cis, & כפיר *cephir* a Simsone laceratus Jud. XIV. vocatur אריה arjeh v. 8. animalibus iisdem tr buuntur פני אריה facies *arjeh* seu leonis Eze I. 10. & X. 4. & פני כפיר facies *cephir* seu leonis venis : Eadem generalis acceptio apud Chaldæos

Sy

Syros occurrit. Derivationem vocis a radice ארה arab discerpere, qvam *Noster* qvoqve amplexus est, contra *Vossium & Bochartum* a ראה *raah* videre petentes, qvod visu admodum valeat leo, tuetur *Majus p.630. sqq.*

N. 47. Ex ארי *ari* & אל compositum nomen אריאל ariel, proprie est leo DEI, i.e. leo magnus, ut montes DEI, cedri DEI: metaphorice notat (1) virum fortem. *vide supra n.36.* (2) altare Ezech. XLIII. 15.16. *juxta R. D. Kimchium* a figura, qvam habuit leonina; qvia ab anteriore parte latum, retro angustum fuit: juxta *R. Salomonem & Bochartum col.718.* ab igne, qvi perpetuo accensus holocausta leonis instar devoravit. Porro propter altare ipsum etiam templum, aut urbs Hierosolyma audit *ariel* Jesaiæ XXIX.1. ut vult *cum Rabbinis Bochartus*: alii urbem dictam putant leonem DEI, i. e. fortissimam & potentissimam. *Abarbenel* conciliaturus has sententias *inqvit*: Arielis nomine Israelem appellat, qvod altaris est, ideò qvod Jerusalem sancta esset propter altare Domini, & leo roboris fortitudinisq. ratione, qvamdiu adhæsit DEO. Explicationem Varenii; *Ariel notare receptaculum DEO forti, in qvo recepta pecora sacrificialia, & absumta igne DEO forti sunt, qvasi ex* ארון *aron, i.e. arca deduceretur*, longius petitam judicat *Majus p. 694.*

N. 48. Qvarta appellatio, *à Franzio* relata est לביא *labbi*, qvam etiam *Mercerus* vertit Leonem decrepitum. Vulgo exponunt leonem immanem & annosum, sed ליש i.e. decrepito juniorem. Bochartus *col.719.* contendit, leænam duntaxat ea voce notari in omnibus S. Codicis locis. Majus *p.637.*

cum R. Mordech Nathan statuit utrumqve sexum illa comprehendi, qvia in plurali numero utraqve forma legitur, nimirum & masculina לבאים *lebhaim* Psalm. LVII.5. & fœminina לבאות *Lebhaoth* Nahum. II.13. nihilominus terminatione masculina fœmininum genus indicari. In qvam rem producit Job. IV.11. ubi cum לביא *labbi* tribuantur filii, infert leænam intelligi. Qvicqvid hujus sit, certum est labhi inter leones ferocissimos numerari a scriptoribus sacris. Considera præter loca paulo ante citata Gen. XLIX.9. Num. XXIII.24. c.XXIV.9. Deut. XXXIII.20. Job. XXXIX.1. Jes. V.29. c.XXX.6. Oseæ XIII.8. Hieronymus bene reddit plerumqve Leænam, qvippe qvæ leonem æqvat, immo superat ferocia. De Originatione vocis varie sentiunt Bochartus *l. c.* & Majus *p.639*. Hic Germanorum Lew etiam exinde deducit, qvod nonnulli pronunciant, qvasi scriberetur lebh vel leb; nisi malis ex Græco λέων vel λέων arcessere, qvod ex *labbi* Phœnicum esse posse conjicit: Eustathius autem a λάω video dici opinatur.

N. 49. Qvintum leonum nomen annotatur ליש *lajisch*, qvo decrepitum, qvalem sub appellatione *labbi* Franzius descripsit, indigitari ajunt. Adducunt pro hac significatione Job. IV, 11. qvo *lajisch* perire dicitur absqve præda, vel inopia prædæ. Enim vero ex eo loco, qvo qvinqve leonum nomina propria habentur, conficias *lajisch* leonem esse fortissimum, ac prædæ conseqvendæ valentissimum. Verba sunt: *Deficiunt rugitus* אריה *leonis, & vox* שחל *leonis ferocis, & evelluntur dentes* כפירים *leunculorum:* ליש *perit inopia prædæ, & filii* לביא *leæn*

leana disperguntur. Sensus est: homines rapacissimos, qvi immanium leonum instar prædæ semper inhiant, & potentia sua freti nihil non audent, solo divini numinis halitu ita percelli ac prosterni, ut de spe conatuqve depulsi ad summam inopiam redigantur. Locus geminus exstat Psalm. XXXIV, 11. Accedit Prov. XXX. 30. ליש *fortissimum est animalium, nec ob ullius conspectu retrocedit.* De etymologia eruiunt Bochartus *col.722.* Majus *p.641.* Ex eo vocabulo verisimile est ortum habere nomen leonis græcum Poetis freqvens, λῖς, qvod in Aqvilæ versione obi l.c. legebatur, teste Bocharto, magis apte qvam ut LXX. μυρμηκολέων (qvæ species est leonum, sed in intima Africa) aut vulgati Interpretis *Tigris.* Qvam eram forte nominavit, qvoniam assensus est qvibusdam putantibus, eam esse ex leonum genere, & maculis duntaxat exceptis ipsis simillimam. vide Voss. de Idololatr. *l.3.c.53.* Majum *p.640.*

N. 50. Sextum nomen leonis est שחל *schahal*, competens secundum Grammaticos ei, qvi mediæ ætatis inter *Arjeh* & *schachatz.* Verum *Arjeh* leo cujusvis ætatis est, *Schachatz* ne leo qvidem, ut mox monebitur. Qvidam leopardum exponunt, Rabbini pro leone accipiunt, qvos pleriqve Christianorum seqvuntur. Bochartus leonem nigrum indicari vult a שחר nigrum esse, permutatis inter se literis ל & ר, ut in multis vocibus factum observat. Probat simul auctorum testimoniis, non tantum fulvos existere leones, qvod Aristoteles perhibuit, sed & nigros. Majus suspicatur p. 642. leonem nomen id accepisse ab Arabico שחאל *sachal* vox in pectore reciprocata, speciatim rugitus.

N. 51. Septimum nomen Grammatici adjiciunt שחץ *schachatz*, intelligentes leonem mediæ ætatis inter שחל *schachal* & לביא *labbi*. occurrit tantum Jobi XXVIII. 8. & XLI. 26. ubi filios *schachatz* Chaldæus & Mercerus vertunt filios leonum Talmudici *in Sanhedrin. cap. XI.* annumerant sex leonis nominibus, (*Gur* enim omittunt). Sed Piscator, Bochartus, Coccejus aliiqve in genere interpretantur de feris proceris, qvarum præcipua species in priori loco leo subjicitur, in altero loco *leviathan* subintelligitur. Græcos reddentes, υἱοὶ ἀλαζόνων *filii superborum*, Olympiodorus itidem de majoribus feris locutos, exponit. Lutherus priorem Jobi locum vertit: die stolzen Kinder / in glossa addens intelligi junge Löwen; alterum locum transfert: ein König über alle Stolzen. Sane & Talmudici שחץ ad animum applicantes, pro superbia sumunt atqve animi elatione, dum appellant אנשי שחץ viros elationis, qvi inani fastu turgent, & supra alios se efferunt, *in Tractatu de Sabbatho cap. 4.* Et apud Arabes *schachatsa* est attollere, procerum esse. Vulgatus inepte in priori Jobi textu habet: *filii institorum* in posteriori melius, *filios superbiæ*.

N. 52. Ex qvibus patet, qvam inanis sit subtilitas Grammaticorum, qvi hebræa septem leonum nomina hactenus considerata numerant, & totidem ætatis gradus continere sibi persvadeat. Vide Bochart. *col. 713.*

76 *Diversæ imagines partim in bonam partem partim in malam hinc depromi possunt.*

N. 53. Recte observat Bochart. *col. 767.* nihil esse in cælo & terra tam sacrum & eximium, vicissim te

terra & inferis nihil tam dirum & infauſtum, qvod cum leone non conferatur.

N. 54. In Bonam partem Primò DEUS proponitur ut leo, ſive ſeverius caſtiget ſuos, ſive in impios atrocius animadvertat, Job. X. 16. Thren. III. 10. Jerem. XXV. 37. 38. Jeſ. XXX. 4. c. XXXVIII. 13. Hoſ. V. 14. XIII. 7. 8. ſive futura judicia prænunciet Amos III. Conf. Muller. *Θηϱολογ. Bibl. p. 325*.

N. 55. Secundo Chriſtus leo de tribu Juda ſalutatur Apoc. V. 5. ex Gen. XLIX. 9. qvi tamen in Apocalypſi, verſu ſtatim ſeqvente & alibi, eſt agnus occiſus. Nimirum *Chriſtus*, exponente Auguſtino, *dicitur Leo propter fortitudinem, diabolus propter feritatem: ille leo ad vincendum, hic ad nocendum. Agnus in paſſione, leo in reſurrectione, qvia per eam fortitudinem ſuam demonſtravit, vincendo leonem ex orco, cum omne humanum genus devoratum vellet.* Plura comparationis membra fecit Franzius, Botſacc. *allegor.* p. 332. Moller. *Simil. p. 312.* Bauman *in Analectis Sacris p. 680.* Muller. *Θηϱολογ. Bibl. p. 350.* Johannes de S. Geminiano *l. 7. c. 36.* Hujus Leonis rugitum, i. e. claram & per totum orbem exauditam vocem Evangelii Pſalm. XIX. 5. Rom. X. 18. prædixit Joel III. 16. item Hoſeas XI. 10. 11. juxta Bochartum, qvi hoc poſterius etiam vaticinium myſticè ait debere intelligi de reſtauratione Spirituali, & vocatione gentium, cum ad literam non ſit impletum; ſiqvidem Iſraelitæ, de qvorum reditu Rabbini interpretantur, a Salmanaſſare abducti, ex captivitate Babylonica non ſint reverſi in Chananæam. Qvantum vero non pauci Chriſtianorum reditum illorum aſſerunt, nihilominus ſenſum myſticum ſubeſſe non negant.

N. 56.

N. 56. Tertio Angeli Ezechieli I.10. c.X.14. & Johanni Apocal.IV.7. in Leonis, vituli, hominis & aqvilæ similitudine apparuisse leguntur. Siqvidem Ezechiel cap. X. ultra vigesies Cherubinos appellavit. Per leonem significatur angelorum robur, generositas, majestas DEI hostibus terribilis; Per bovem constantia, patientia, firmitas, assiduitas in obeundo munere sibi a DEO demandato; per hominem humanitas, lenitas, φιλανθρωπία; per aqvilam naturæ cælestis vigor, agilitas, nisus ad sublimia. Ita post Tremellium & Junium Bochartus *col.770.* Pleriqve veterum Interpretum, teste B. Augustino *Tractatu 36. in Johannem, Tom.IX. Oper.fol.279.* in illis animalibus qvatuor Evangelistas intellexerunt, sed dum singulos cum aliqvo ex iis compararunt, non consenserunt. Leonem Irenæus Johanni, Augustinus Matthæo, Hieronymus Marco adjunxit. Ast Hieronymi comparatio applausum præ reliqvis apud plerosqve obtinuit, qvod principia Evangeliorum illi favere viderentur. Nam, ut verbis ipsius Hieronymi loqvamur *ex Proemio in Matthæum Tom.IX. Oper. fol.5. Prima hominis facies Matthæum signat, qvi qvasi de homine exorsus est scribere* (cap.I,1) *Liber Generationis JEsu Christi, Filii David, Filii Abrahami. Secunda Marcum, in qva vox Leonis in eremo rugientis auditur* (c.I.1.) *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Tertia vituli, qva Evangelistam Lucam a Zacharia Sacerdote* (c.I.5.) *sumsisse initium præfigurat. Qvarta Johannem Evangelistam, qvi assumtis pennis aqvilæ & ad altiora festinans de verbo DEI disputat.* (Legi meretur Dissertatio Historica B. Jacobi Thomasi.

masii Nostri de Insignibus Qvatuor Evangelistarum habita an. 1667.) Qvæ Hieronymi, & ab eo recepta sententia sine dubio causa fuit, ob qvam Veneti Marcum Patronum sibi eligentes, una cum ipso Leonis insigne assumserunt. Aliorum conjecturas, de animalibus apud Ezechielem, minus verisimiles attulit aliqvas Majus p. 686. plures Thomasius *Disputatione allegata, & in Præfationibus p. 384.*

N. 57. Qvarto fideles in genere cum leonibus conferuntur Proverb. XXVIII 1. membra collationis Franzius explicavit. Adjungendus est Micheæ V. 8. ab Auctore nostro itidem citatus. Cum enim ibi præcesserit illustris prophetia de Christo ex Bethlehem oriundo, non tam de Synagoga Judæorum, qvam de Christianorum ecclesia, de Apostolis, immo de omnibus fidelibus agitur, qvi & ipsi in Jacobæorum reliqviis numerantur. Confer. Müller. *Θηολογ. p. 355.*

N. 58. Qvinto viri fortes assimilantur leonibus, 2 Sam. XVII. 10. 2. Sam. I. 23. 1. Paral. XII. 8. *Repete n. 36. & n. 47.* Et in profana historia Viris fortibus Leonum nomen aut insigne datum observamus. vid. Lansii *Oratio pro Gallia p. 169. pro Britannia p. 519.* Majus *Part. II. p. 695.* Qvæ laus etiam ad fortes Christianæ religionis propugnatores adversus hæreticos transiit. Nam B. Hieronymi appingitur & adsculpitur imagini & statuæ leo, ut Symbolū infracti roboris in hæreticis insectandis cum rugitu & clamore leonis instar. Baroni⁹ Tom. V. Annal. an. 420. fol. 474.

N. 59. Sexto Reges populorum leonibus ferarum Regibus similes sunt. Gen. XLIX. 9. *Catule leonis, Juda, a præda, fili mi, adscendisti: incurvavit se, decubuit*

decubuit ut leo, qvis excitabit eum? In qvo vaticinio tribum Judæ leoni aſſimilari propter Reges ex ea naſcendos, docent verba mox ſeqventia: *Non recedet ſceptrum a Juda.* Qvomodo Cabaliſtæ per Gematriam Davidem & Salomonem eliciant, adducit Bochartus *col. 772.* & figmentum Rabbinorum, qvod partim prophetiæ illi ſuperſtruunt, de qvatuor animalibus, qvæ picta fuiſſe volunt in qvatuor Judæorum vexillis, puta in Rubenis vexillo hominem, in Judæ leonem, in Ephraimi bovem, in Danis aqvilam, reſpuit. Ira Regum, veluti leonis rugitus eſt Proverb. XIX. 12. cap. XX. 2. unde non inſciti verſus nati ſunt Gunthero Ligurino *l. 2. v. 489. ſqq.* Vide Comparationem inter leonem & Principem generalius explicatam a Franzio, Saavedra *Symbol. Polit. XLIII. p. 324. ſqq. & Symbol. XLV. p. 340.* ex qvibus repetiit Bauman. *in Analect. Sacris p. 1216.* Adde Mulleri *Θηρολογ. p. 346.* Similiter Salomo in regalis potentiæ ſymbolum leones aureos duodecim in ſolii ſui eburnei gradibus poni juſſit, & in fulcris Leones duos etiam aureos 1. Reg. X. 19. 20. Ægyptii ſub ſolio Hori, h. e. Solis leones ſuppoſuerunt, hujus animalis cum Sole ſimilitudinem demonſtraturi. Horus Apollo *lib. 1. hieroglyph. 17.* Adhuc hodie Regum ſolia leonum imaginibus exornata conſpiciuntur. Vide Majum *p. 698.* Accommodationem myſticam duodecim leonum in throno Salomonis ad Apoſtolos fecit Petrus Bleſſenſis *Serm. 25.*

N. 60. Sexto Judaici populi robur & potentia leonis Symbolo repræſentatur. Num. XXIII. 24. Balaam vaticinatur de victoriis, qvas Judæi duce Joſua è Cananæis reportaverunt, non prius qvieſcentes, do nec

nec universam terram Canaan sibi subjecissent: *En populus! qvi tanqvam leana surget, & ut leo erigetur. Non cubabit donec prædam comederit, & sangvinem confossorum biberit.* Ubi טרף prædam ferarum more ungvibus discerptam voraturos,& confossorum sangvinem bibituros dicit Judæos,non proprie & plus qvam Scythica immanitate, sed hyperbolice ad plenam de hostibus victoriam significandam, (vid. Psalm. LVIII.11. Psalm. LXVIII.4.) aut persistens in metaphora, tribuit illis, qvod Leoni est proprium. Idem Vates Num. XXIV. 9. prædixit eundem populum instar Leonis summa qviete habitaturum in terra Canaan, qvod contigit maxime sub regno Davidis & Salomonis. Ezechiel cap. XIX. Judæorum Synagogam Assyriorum jugo graviter pressam appellat leænam, respectu pristinæ dignitatis, ut intellexit Chaldæus, aut in posterum futuræ, de qva apud Micheam legi notavimus n.57. Invenias & qvasdam tribus ob eandem causam leonibus collatas præ reliqvis; ut tribum Judæ Gen. XLIX.9. *(vide n.59.)* tribum Gad Deut. XXXIII.20. tribum Dan, ibid. v.22. Urbem Hierosolymorum appellatam leonem DEI habuimus *n. 47.*

N. 61. Sic in bonam partem leonis nomen Scripturæ S. usurpant. E numero rerum pravarum leonis nomen participant, Primò Magistratus improbus, iniqvus, crudelis, tum in genere Prov. XXVIII. 15. tum in specie (1) Reges Judæ Joachazus & Joachimus, qvi catuli leonum nuncupantur, sicut ipsorum mater Respubl. Judæa leæna audit Ezech. XIX. 2. sqq. vide Bochart. *col. 759.* (2) Saul Rex Psalm. VII. 3. juxta multorum expositionem. (3) Rex Assverus in Additamen-

ditamentis Esther XIV. 9. (4) Imperator Romanus Nero, qvi Leo erat, ex cujus ore se liberatum scripsit Paulus 2. Tim. IV. 17. ut sentiunt Eusebius *l. 2. Hist. c. 22* & commentatores veteres, Chrysostomus, Theodoretus, Occumenius, Theophylactus. Simile est, qvod Agrippæ libertus Marsyas Domino suo Tiberii mortem, qvi captivum eum detinebat, Hebraice denunciavit verbis: מת האריה Leo mortuus est, apud Joseph. *Antiqvit. l. 18. c. 5.*

N. 62. Secundò Principes & populi bellicosi, crudeles, rapaces, Jerem. IV. 7. *adscendit leo ex vepreto suo.* Chaldæus: *Migravit Rex ex arce sua*; nempe Nebucadnezar, de qvo R. Salomo, R. Kimchi, & R. Abarbanel accipiunt. Jerem. XLIX. 19. *leo adscendens* juxta Chaldæum est Rex, qvem Hebræi Nebucadnezarem dicunt, in Idumæos cum copiis suis irrumpentem. Confer. Jerem. L. 17. Universum imperium Babylonicum leonem robore, & victoriarum celeritate aqvilam refert Dan. VII. 4. vide præter Franzium Waltheri *Conc. 50. in Daniel. Part. II. p. 21 sqq* Drexel. *in Daniele cap. XXIII. §. 1. Tom. 2. oper. p. 834* Chaldææ gentis rugitus, ut immanis leonis &c. Jes. V 29. Jerem. LI. 38. speciatim de Ninivitis vide Nahum II. 11. 12. Pharao Rex Ægypti similis factus est leunculo in gentibus Ezech. XXXII. 2. Ægyptii sunt leunculi Jerem. II. 15. juxta Bochartum. Babylonios D. Sebast. Schmidius intelligit. Ad Ægyptios itidem mult. referunt Jes. XXX. 6.

N. 63. Tertiò impii, DEI hostes, Ecclesiæ & fidelium truculenti fraudulentiqve persecutores, Job IV, 10. 11. Jes. XXXV. 9. cap. XI. 6. 7. (ubi eos intellige qvi fuerunt leones feris moribus, & ad Christum

conver

onversi oves ejus fiunt exemplo Pauli) Psalm. VII. . X. 9. XVII. 12. XXII. 22. XXXIV. 11. XXXV. 17. .VII. 5. XCI. 13. Dignissima est nostro tempore repetitione commentatio Augustini Psalm. X. 9. ad Antichristum applicantis his verbis: *Leonem in cubili dicit eum, in qvo* & vis & dolus *operabitur*. Prima *enim persecutio Ecclesiæ* violenta *fuit, cum proscriptionibus, tormentis, cædibus Christiani ad sacrificandum cogerentur*. Altera *persecutio* fraudulenta est, *qvæ nunc per hæreticos & falsos fratres agitur*. Tertia *superest per* Antichristum *futura, qva nihil est periculosius, qvoniam* & violenta & fraudulenta *erit*: vim *habebit in imperio*, dolum *in miraculis*. (2. Thess. II, 9.) *Ad* vim *relatum est, qvod dictum est* Leo; *ad* dolos, qvod dictum est *in cubili suo*.

N. 64. Qvarto Judæi feræ indomitæ instar in Dominum suum insurgentes & in eum qvasi rugientes, i. e. blasphema lingva inclamantes Jer. XII. 8. Principes Jerusalem leonum instar prædæ, i. e. bonis & vitæ aliorum civium inhiant Sophon. III. 3. Pseudoprophetæ leones sunt Ezech. XX. 15. Confer Matth. XXIII. 14. Marc. XII. 40. &c.

N. 65. Qvinto homines biliosi, morosi, contentiosi & facile irritabiles, Talis ne sit Herus in domo sua monet Siracides c. IV. 35. *Ne sis ut leo in domo tua*, καὶ φαντασιοκοπῶν ἐν τοῖς οἰκέταις σου. Vulgata: *evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi*. Syrus: *Iracundus & terribilis*. Arabs: *durus, asper*. Drusius: *Cerebrosus, ut qvi vanis imaginibus percelluntur*. Bochartus: *qvi imaginaria causa in domesticos commovetur*. Recte Camerarius:

rarius: *& terribili specie offerens te domesticis tuis*
Idem ille Morum Doctor Cap. XXV. 17. intolerabi-
liorem & insociabiliorem leone malam mulieren
pronunciat, cujus vultum neqvitia alienat: posse
item dicere eam φανζασιοκοπεῖν i. e. terribili speci-
se offerre Furiarum, qvas Lactantius ad tres affe-
ctus, iram, cupiditatem, libidinem reducit. Exem-
plo fuit Xantippe uxor Socratis. vid. Bochart. *col.*
778. Majum *p. 683.*

N. 66. Sexto dives avarus, qvi per usuras &
fraudes expilat pauperes, opesqve eorum ad se inju-
ste trahit, Siracid. XIII. 23. Et Psal. XXXIV. 11. F-
lii divitum ipsiqve divites vocantur catuli leonis.

N. 67. Septimo: Qvodcunqve noxium est, &
in hominum perniciem cedit; ut (1) peccatum, E-
clesiastic. XXI. 13. cap. XXVII. 10. vid. Botsac. *all-*
gor. p. 242. Muller θηρολογ. *p. 360.* (2) Ultio; i-
cap. VII. 29. (3) mala lingva, cujus verbere imp-
castigantur, ibid. c. XXVIII. 27. (4) gladius Je-
II. 30. Immo & partes leonis noxiis rebus adscri-
buntur; puta dentes & maxillæ locustis veris Jo-
I. 6. mysticis Apoc. IX. 8. Os leonis bestiæ septi-
piti Apoc. XIII. 2. capita leonum eqvis Apoc. X.
in qvibus arcana latent eruenda Interpretibus
cris.

N. 68. Octavo Diabolus ipse qvi 1. Petr. V. 8.
leo rugiens, (i. e. tam avide inhians animabus h-
minum, qvam avide inhiat prædæ leo, cum ma-
me fugit, latenter enim alias obrepit diabolus)
ambulat, (more suo Job. I. 11.) *qværens* (ζη-
summo studio Matth. II. 20. 1. Sam. XIX. 10.) *q-*
devoret (i. e. simul & semel velut minusculum a-

m

malculum deglutiat, ut nihil de eo amplius supersit, voracior ipso leone, qvi nonnisi laceratæ prædæ partes visceribus suis ingerit. Vide supra *n.5.* Bochart. *col.773.* Majum *p.680.* Collationis membra alia attulit Franzius. Confer Gerhardi *Scholam pietatis* part. 1. p. 242. Botsac. *allegor. p. 169. & Moralia Gedanensia voce Diabolus.* Muller θηρολογ. *p.361.*

USUS ET ABUSUS.

N. 69. Usus est ferocissimorum leonum, dum DEUS punit peccata hominum Levit. XXVI. 22. Jerem. XV. 3. Jes. XV. 9. 2. Reg. XVII. 25. 26. (ubi Josephus pro leonibus pestem immissam scripsit, forte qvod in Judæorum historico aliqvo legisset leonum incursum pestem vocatum, ast per metaphoram) 1. Reg. XIII. 24. & simile exemplum 1. Reg. XX. 35. 36. ubi Propheta legitur *jussisse*, verbo DEI præeunte, *proximum suum*, ut reddunt Græci, rectius Hieronymus, Chaldæus, Syrus, Arabs Socium vel sodalem suum, vel symmistam, qvi eodem cum ipso Prophetæ munere fungebatur, ac proinde nosse debebat mandati pondus, *ut se percuteret.* Qvod cum ille non fecisset, à leone ob inobedientiam legitur trucidatus.

N. 70. Cicurati serviunt rei vehiculari (*Franzius p. 72. Scheffer de Re vehiculari l. 1. c. 9. pag. 102.*) custodiæ corporis instar canum (*Camerar. Subcis. Cent. 2. c. 85*) ad venationem aprorum, ursorum, cervorum, caprearum, onagrorum, boum silvestrium (*M. Paulus Venetus l. 2. de Regionib. Oriental. c. 17.*) ad ludos & spectacula, in qvibus cum ursis,

tauris, canibus pugnantes committuntur. vid. *Ma-jum p. 697.*

N. 71. Mortuorum leonum carnes edunt Æthio-pum remotiorum nonnulli, Agriophagi dicti, (*Pli-nius l. 6. c. 30. Solinus c. 33.*) Indi qvidam (*Philostra-tus l. 2. c. 3. Vossius l. 3. Idolol. c. 53.*) Americani in Gvatemala (*Dapper Amer. p. 306.*). Exuvias Heroe sibi circumjectas gestabant, ut Hercules (*Diodor. l. 4. p. 219. Theocritus Idyll. XXV. v. 63. & 78. 79.*) A-gamemnon (*Homer. Iliad. x. v. 25.*) Aventinus Ita-lus (*Virgil. l. 7. Æneid.*) Nysus (*l. I. Æneid.*) Signi-feri Romani plerumq;. (*Lipsius de Militia Roman. l. 3. dialogismo I.*) Hodie Turcis ac Mauris earun usus pro pallio esse dicitur (*Vossius l. c.*) antiqvitu etiam iis sternebant toros; (*Virgil. 8. Æneid.*) Eti-amsi autem pellem leoninam impenetrabilem, qva-lem Cardanus perhibuit, non deprehenderunt Pa-risienses Anatomici, tamen non tantum pro insign fortitudinis ac ad terrorem hostibus incutiendum amictos eadem priscos putamus, verum etiam a ictuum hostilium impetus retundendos.

N. 72. Abusi sunt Leonibus (1) superstitiosi, q leonem coluerunt, uti Leontopolitani in Ægypt (*Strabo l. 17. p. 812.*) aut idolum Solis specie leon na effictum, ut Persæ (*Plutarch. l. 4. Sympos. q. 5* qviq; adhuc hodie Narsinhà leonino capite, corp re humano venerantur Indi gentiles, (*Valle Par III. p. 228.*) (3) crudeles, qvi homines etiam in nocentes laniandos illis objiciunt. Eum moren obtinuisse olim ex historia Danielis cap. VI. pate Apud Romanos servile & viliorum hominum su plicium erat. Ob qvam causam Christianos p

m

mos feris, ac in his præcipue leonibus discerpendos furor gentilium tradidit. Unde diræ illæ voces populi Romani: *Christiani ad Leones*, apud Tertullian. *in Apologia sæpissime, & inprimis cap. 39.* Vide Anton. Gallonium *de Sanctorum martyrum cruciatibus cap. 9. p. 301.* Gesner. *de Qvadruped. lib. 1. p. 656.* Drexelium *in Daniele cap. 20. §. 1.* Apud Germanos rei alicujus criminis cum leonibus jussu Superioris pugnabant; (vide supra n. 39.) Hodie certamen id eligere damnatis ad mortem Nobilibus Magni Mogoris licet. (*Francisci* Lust-Garten *p. 1455.*) Ut olim passim locorum, sic & hodie vitæ suæ prodigi, coram Magno Mogore ac aliis barbaris Regibus fortitudinem suam cum leonibus pugnando ostentant. Idem *l. c. & p. 1517.*

MORALIA.

I. DEUS INCARNATUS.

Leo capite cooperto, & oculis velamine obductis feritatis obliviscitur, miramqve induit mansvetudinem; (n. 18.) Unde lemma: MITESCIT IN UMBRIS. DEUS humano generi lapso in peccata instar Leonis formidandus, postqvam intra sinus Virginei umbras fuit repositus, & humana natura coopertus, prorsus benignum & placidum se exhibuit. Picinellus *Mundi Symbolici Tom. I. p. 398.*

II. CHRISTUS IN HORTO.

Leoni subscripsere: ET RUGITU TERREFACIT. (n. 25. 26.) Christum hæc imago spectat, qvi vocis suæ tonitru, instar generosi Leonis, omnem militum turbam in horto olivario perculit ac pro-

ſtravit. Thomas de Aqvino *Opuſculo 60. de humanitate Chriſti:* Una vox turbam, odiis ferocem, armis terribilem, ſine ullo telo percuſſit, repulit, ac ſtravit, virtute latentis Divinitatis. Qvid faciet judicaturus, qvi hoc fecit judicandus? Picinell. *pag. 397.*

III. DEUS SUPERBIS RESISTENS.

Leo adverſantes belluas ingenti furore aggreditur: imbelles, qvas coram pedibus ſuis proſtratas ac timidas videt, manſvetus præterit. Unde lemma: PROSTRATIS PARCIT. (n. 14.) Ita DEUS ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam. Jacob. IV. 6. Auguſtinus *Sermone 53. de Verbis Domini cap. 8.* Si extollis te, DEUS dejicit te; ſi tu dejicis te, DEUS elevat te.

IV. PAULUS CONVERSUS.

Leo ſæviſſime homines perſeqvens, cicuratus, DEDIDICIT CÆDES; currum trahens, PATIENTER SERVIT; hominem inſtar canis cuſtodiens, POTENTER DEFENDIT. Hæc Saulo in Paulum commutato attribues, qvi paulo ante inſtar leonis ſpirans minas & cædes, ubi oculi ejus terribiles cæcitate fuerunt obvelati, totus evaſit manſvetus, jugum Chriſti patienter recepit, omnes vires ad animas DEO lucrandas impendit, hoſtibusqve eccleſiæ ſe intrepide oppoſuit. Actor. cap. IX.

V. PRINCIPIS ASPECTUS, JUSTITIA, PRUDENTIA, GENEROSITAS, FORTITUDO.

1. Princeps ob venuſtam vultus ſui majeſtatem ab omnibus amatus, ſimulqve ob intemeratam juſtitiam

litiam terribilis, Leonis emblemate repræſentatur cum lemmate: HORRORE DECORUS. Seneca Epiſt. 41. *Leo impetu acer, ſpecioſus ex horrido, cujus hic decor eſt, non ſine timore aſpici.* Epiphanius l. 3. hæreſ. 78. de Leone loqvens: *Regium hoc animal, inter omnia animantia violentiſſimum ac fortiſſimum, & pergratiſſimum eſt.* Hoc venuſtatis & terroris connubium in Meſſia prædicatur Pſal. XIX. 6. ad qvæ verba Auguſtinus: *Specioſus ut ſponſus, fortis ut gigas, amabilis & terribilis, ſeverus & ſerenus, aſper malis, pulcher bonis.*

2. Leo tantam è vultu ſuo majeſtatem diffundit, ut minores feræ, ſolo illius aſpectu exterritæ, aufugiant, & ipſi etiam venatores inſolito aliqvo ſtupore capiantur. Unde lemma: FUGAT ADSPECTU. Ad ſolam Principis præſentiam homines facinoroſi terrore perculſi, extra civitatis aut provinciæ limites fugiunt. Agapetus Epiſt. Parænet. ad Juſtin. *qvemadmodum leone ſubſiſtente & reſpectante hærent venatores; ſic etiam Principe conſtanter agente, malorum impetus franguntur.*

3. Leonis præcipua virtus ac vigor in oculis conſiſtit; (n. 18.) Unde inſcriptio: IN OCULIS ROBUR. E Principis prudentia, ceu unico hominis interiore oculo, ingentes vires civibus & Reipubl. accreſcunt.

4. Didacus Saavedra, ut imperterritum ac generoſum Principis animum, inter omnes, ſive blandientis ſive adverſantis fortunæ viciſſitudines nunqvam ſibi diſſimilem exprimeret, leonem figuravit, qvi ſeipſum in plurimis unius ſpeculi fragmentis contemplatus, ſuam imaginem ubiqve ita æqvalem

 vidit,

vidit, ut in majore speculi particula æqve ac in minore totam eandemq; deprehenderet; Epigraphen addidit: SEMPER IDEM. *Symbol. XXXIII.*

5. In Leone PARES ANIMO VIRES. Sive LEO EST OMNIBUS UNUS. Cornelius à Lapide *in Proverb. XXVIII. 1.* Vidimus, inqvit, Leonem, in qvem immissi canes venatici & molossi cum unus eum fronte apprehenderet, alii auribus alii cauda, alii dorso, alii pectore, immotum persistere: ac cum jam plane canibus circumdatus esset, singulos pedibus complecti, ac omnes ex ordine à primo ad ultimum sigillatim lacerare & discerpere, ea facilitate & qviete, qva chartam discerpimus Similiter generosi & invicti Principes hostibus pluribus lacessentibus pares, & superiores existunt.

VI. POENÆ ET SUPPLICIA MALORUM.

Qvi leonem cicurare, ac dicto obedientem efficere cupiunt, nunqvam illum, sed ejus vice propinqvum canem percutere solent, ne ob plagas proprias in furorem actus intractabilis evadat. Unde lemma: ALTERIUS POENA PROFICIC Ita supplicia in aliqvos exercita, cæteris documenti aut cautelæ loco sunt. Proverb. XIX, 25. Hug Cardinalis ad Ezech. XXXII. *Canis verberatur, ut Leo timeat.* Eodem modo peccatores puniuntur ut boni timeant.

VII. JUDEX INIQVUS.

Leo capite obvelato vilescit, omnemqve majestatis suæ terrorem perdit. Unde lemma: VILESCIT ANIMI ROBUR. Judex oculos suos affectuu

tuum aut proprii commodi velamine obduci passus, genuinam Judicis auctoritatem perdit, ac libertatem muneri suo convenientem captivat Exod. XXIII. 8. Devter. XVI. 19. Siracid. XX. 31.

VIII. DETRACTOR.

Leo, ursus, aliæqve similes belluæ, lingvam instar limæ asperam habent. Unde emblematis loco exprimitur, qvi manum lambens vivum ex illa sangvinem elicit, addito lemmate: VULNERAT ET LAMBENS. Ita prorsus Detractorum lingvæ, dum blandiri ac laudare censentur, offensas & vulnera infligunt *Picinell. p. 397.*

IX. JEJUNIUM LEONINUM.

Lupus & Leo cum suo se pabulo avariter referserunt, aliqvot diebus à pastu dicuntur temperare. Non infreqvens est, ita aliqvos se cibo vinoqve onerare, ut videatur in aliqvot dies suffecturum. Hinc cum luce postera reditur ad mensam, & qværitur, qvas dentibus indixerint ferias, cur non edant? plerumqve caput fricant, & langvide respondent: Hem nimium heri aliorum saluti libavimus, hinc minime salvi sumus hodie. Fastidium cibi est. Stomachus langvet, caput dolet, amaror fauces occupat. Hinc jejunium, sed Lupinum, sed Leoninum. Vel toti triduo satis voratum est. Subit memoriam expeditio Bohemica, cum Serenissimus Bavariæ Elector Maximilianus Austriam & Bohemiam armis in potestatem Cæsaris redigeret, ego dum castra sequor, in Greilenstain arce nobilissima militem ad portas excubantem observavi, qvi protervia militari: Me malus ge-

nius, inqvit, abripiat, ni triduum aut qvatriduum inediam fero, si prius semel largius me invitavero Qvatriduanum hoc jejunium est qvidem prolixum sed leoninum. *Drexelius in Opusculo de Jejuni cap. VII. §. 1. Tom. 2. Oper. p. 363.*

X. TYRANNIS OECONOMICA RE FAMILIARI PERNICIOSA.

Valentiæ, urbe Hispaniæ nobili in regio palati Leo, Leæna cum catulis suis qvatuor, qvos ibi ge nuerant, alebantur. Amabat valde leo catulum molossi, cui sibi ad laniandum objecto pepercerat ejus ludibundos insultus, pedibus ictus, ore morsu gratos ac jucundos habebat; cumqve eo vicissim lu debat. Cum portio carnis daretur, abstinebat tamdiu, donec catellus cibum suum præripuisset Indignata est super hæc, qvæ per annum viderat Leæna, sive ex invidia, qvod præ suis catulis amai putaret canem, sive ex Zelotypia non posset basia tiones ac amplexus catilli in marito suo ferre. Itac cum aliqvando Leo ad latus paulo discessisset, ips interemit canem uno ungve injecto: reversus ille ca daver amici conspicatus, ungvibus leænam discer psit; catuli matre amissa suis verendis injecerunt ungves, eas evulserunt, & exspirarunt. Leo sene orbitatem suam videns ab omni cibo in posterum abstinuit, & partim ex mœrore, partim fame mo tuus est. Contigisse hæc sua ætate narrat Hieron Baptista de Lanuza *Monachus Ordinis Prædicato rum Homilia Qvadragesimali XXIII. n. 60.* Imag est tyrannidis domesticæ, qvam Siracides detest batur supra n. 65. Uxor morosa aliqvando inn cua

uam voluptatem mariti, ex qva nihil aut parum ei familiari decedit, non poteſt ferre: itaqve eam omni modo perdere & evertere illi laborat. Maritus cedere nolens uxorem verbis verberibusqve male mulctat. Inde dum ille ſuam voluptatem pertinaciter perſeqvitur, hæc pari animi obſtinatione reſiſtit, diſcordiæ continuantur. Inter qvas res familiaris negligitur, cura liberorum ceſſat, & tandem omnis familia perit.

XI. HERODES INFANTICIDA.

Compertum eſt belluas, qvantumvis feroces, innocuis ac inermibus animaculis pepercisse: Sic Leonem catulo canis abblanditum legimus; & Martialis, lib. I. Epigr. 7. & 15.

Tutus & ingenti ludit in ore lepus.

vide ſupra n. 14.) At qvam Herodes exercuit, ferociſſima auſteritatis audacia, leoninam rabiem, & belluas omnes, in innocentes ſæviendo, longe exſuperavit. Qvam lanienam pathetice Hipponensis Antiſtes ob oculos ponit, Sermon. 1. de SS. Innocent. *Teſtis*, inqvit, *eſt ipſa natura qvæ pugnabat in martyres, cum tyrannus jactaret infantes: mater crines capitis diſſipabat, qvæ ornamentum capitis omittebat; qvantis modis infantem volebat abſcondere, & ſe ſe infantulus publicabat? Neſciebat facere, qvia nec dum didicerat formidare. Pugnabat mater & carnifex, ille trahebat, illa tenebat. Ad carnificem mater clamabat, qvid ſeparas à me, qvem genui ex me? caute portavi, qvem à te video manu crudeli jactari.* Engelgrav. Pantheon Parte II. p. 360.

XII.

XII. DIABOLUS LEO EXARMATUS.

Bernardus Serm. XIII. in Psal. 90. de leone infe nali: *Mugire potest, sævire non potest, rugiat qva tum vult, tantum ne fugiat ovis Christi. Non sum bestiæ, ut nos prosternat vacuus ille rugitus. Ve bestia, vere rationis expers, qvi tam pusillanimis e ut solo terrore cadat, qvi sola futuri coaggeratione l boris victus, ante conflictum non ictu, sed tuba pr sternitur.* Hic Leo terrere potest, nocere non po est. Nero primates regni, familiares suos, sic qva doqve terruit: Leones cicures alebat, qvibus dent excussi ac ungves resecti. Hos inopinato cave emissos, in aulicos suos concitabat; ilico clamo trepidatio, & plurima mortis imago; superos inferos implorabant, donec tandem se metu exan matos, à feris illæsos, ac innocuos videntes, cum leonibus luserunt tanqvam cum agnis. Sunt q dæmonem ut gigantem, ac alterum Goliath refo midant, sed à puero Davide prosternendum. E gelgrav. Lux Evangel. Part. I. p. 70.

Cap. VII.

DE URSO.

85 URsus qvi ab urgendo dictus, qvod valde urg seu premat.]

N. 1. Etymologia hæc ad ferociam & impetu respicit. Urgendo enim impellendoqve alia a malia prosternunt ursi. Apud Varronem *de Li gva Latina lib. 4. p. 24.* legitur: *Ursi Lucana ori vel unde illi, nostri ab ipsius voce.* Ex qvibus v

sis, qvæ mendosa rejicit Gesnerus, veluti incorru-
ptis Bochartus *col.810.* colligit, ursum à Lucanis, fortasse etiam à Romanis, à voce sua appellatum, uti bos græcè βȣ̃ς à boando sive mugitu dictus est.

N. 2. Hebræis, Chaldæis, Syris, Arabibus, Æthiopibus דוב dobh vel dubh, Græcis ἄρκτος vel ἄρκτος nominatur. De qvarum vocum origina-
tione non conveniunt Grammatici. Vide Ariæ Montani *Histor.Natur.p.320.* Bochart. *col.806.810.* Majum *p. 865.sqq.* Germanicum Baer vel Beer/ Viri docti derivant ex græco βειρὸν i. e. hirsutum; nonnullis videntur Germani nomen finxisse ad vocem sive murmur animalis exprimendum.

N. 3. Vocem Ursi terribilem ex Auctore Poematii de Philomela vulgo appellant uncare, latini scriptores optimi sævire, id est, sensu speciali, præ iræ rabie dentibus compressis obscuros sonos eructare; Germani wüten/toben/ & de ursis brummen dicunt. Græci utuntur verbo βρυχᾶσθαι, ut de leonibus, pardis, pantheris, ita & de ursis. Hebræorum המה non de urso Jes. LIX. 11. sed & de canum ululatu Psalm.LIX.15. de gemitu columbarum Ezech.VII.16. de tumultu viscerum Jerem. XXXI. 20. & de maris fremitu sæpies legitur. Inde Hieronymus Græcorum significationem generalem secutus, verba Jesaiæ transtulit: *Rugiemus qvasi ursi omnes;* pro qvo recentiores, fremuimus, clamavimus, vociferati sumus. LXX. habent: Στενάξουσιν ὡς ἄρκτος, *gement ut ursus.* • Non male, judicante Bocharto, si personam non mutassent. Videtur enim ursorum vox habere aliqvid gemebundum. Unde Horatio & Ovidio ursus gemit. Redden-

denda ergo verba Prophetæ: *Sævimus ut ursi ni omnes*; (i. e. gemitu nostro sævientes ursos refer mus,) *& ut columbæ gemendo gemimus*.

86 *Excitati à somno sugunt priores pedes.*)

N. 4. Observavit Bartholinus Junior in Anatome Ursi à Stenonio Haffniæ dissecti, circa partei inferiorem pedum anteriorum, qvos manibus hominum admodum similes pronunciant Aristoteles Oppianus, Plinius, Ælianus, Plutarchus, & Arabe apud Bochart. *col.808*. Germani Dagen vel Dappen vocant, (1) Substantiam solidam, & ex innumeris canaliculis perpendicularibus compositam (2) cutem mollem & crassam, qvæ superficie exteriore plurimas fibrillas sive vascula emittit suis singulis canaliculis prædictæ parti inserta; (3) substantiam qvandam albam mollem, pingvedini non dissimilem, sitam ad radices digitorum, ita ut cuilibet radici sua sit pars à vicinis distincta: Insuper vasa sangvinea ad eandem distributa partem, in qvibus probabile est fieri secretionem partium serosarum sangvinis eo copiosiorem, qvo freqventior suctu major materiæ copia allicitur, poriqve apertiores redduntur. Vid. *Blasium p.128.* Eo autem tempore, qvo sugunt intra latibula pedes suos ursi ipsos prodire noctu ad herbas decerpendas, nisi jam aliunde constet, Franzius ex Psalm. CIV. 20. difficulter eruet.

N. 5. Qvæ in aliis, tum externis tum interni partibus, peculiaria habet ursus, exposuerunt Parisienses in Descriptione Anatomes edita an. 1669. & repetita in Actis Anglicanis eod. anno p. 833. plenius qvam apud Blasium pag. 127. Juvat nunc pr

cæte

tætetis excerpere, oculos parvos admodum, & in
eis humorem cryſtallinum ad unam oculi axis par-
tem retractum. Qvæ oculorum conſtitutio ſin-
gularis, ad ferum & tetricum aſpectum, ex qvo ur-
ſum deſcribunt Statius, Oppianus, Plutarchus, face-
re poteſt. Ad eundem reſpexit Siracides cap.
XXV. (aliis XXIV.) verſ. 23. *Neqvitia mulieris
immutat aſpectum ejus*, καὶ σκοτοῖ τὸ πρόσωπον
αὐτῆς ὡς ἄρκτος. Syrus & Arabs reddiderunt,
denigrat aſpectum ſuum ut ſaccus. Legerunt enim
pro ὡς ἄρκος, ὡς σάκκος, qvomodo habent mul-
tæ editiones. Qvaſi mulier neqvam vultum ſuum
obtenebrare & denigrare dicatur inſtar ſacci cilli-
cini, qvalis in luctu gerebatur. Vid. Ap. VI. 12. Vul-
gata verſio expoſuit: *Obcœcabit vultum ſuum tan-
qvam urſus & tanqvam ſaccum oſtendit*. At (1)
non legitur τυφλοῖ occœcat, ſed σκοτοῖ obtenebrat,
obſcurat. (2) optimæ editiones habent ὡς ἄρκτος
vel ὡς ἄρκος, unde factum ὡς σάκκος, adſcito
ſigma ex præcedenti vocula ὡς. Bochart.
col. 809.

Sæviſſima tunc ſunt urſæ, cum catulos habent.] 87

N. 6. In Urſo duo timenda, verſutia & fero-
citas. Verſutia ab Auctoribus pasſim annotata in-
dicatur Thren. III. 10. Ferocitatem ſignificat A-
mos V. 19. *Qvomodo ſi qvis fugiat leonem, & oc-
currat ei urſus*, i.e. ab una anguſtia in aliam deveni-
tis, uti planisſimo ſenſu explicant Kimchi & Aben-
Esra. Confer Apoc. IX. 12. XI. 14. Jeſ. XXIV. 18. Jer.
XLVIII. 44. Ea ferocia maxima eſt in orbitate &
fame. Prius, urſam catulis orbatam eſſe ferociſſi-
mam, conſtat etiam ex Scriptura Sacra, locis à
Fran-

Francio citatis. Nam & Hof. XIII.8. דב שכול non eſt urſa orbans, ſeu orbos faciens, ut R. Levi & R. Salomo ſunt interpretati, ſed urſa orbata, qvo modo Hieronymus vertit: *Occurram eis qvaſi urſa raptis catulis.* Rationes affert Bochart. *col. 81.* Merceri elegantem paraphraſin invenies apud M. jum *p. 878.* Poſterius, ex fame ferociam urſoru accendi, inſinuat Salomo Proverb. XXVIII. 15. u דוב שוקק juxta Hieronymum eſt urſus eſurien cujus verſionem defendit contra alios Bochart *col. 815.* Eidem D. Geierus *in Commentario ad loc. Proverb.* adſtipulatur. Qvare Salomo eleganter Principem rapacem, qvi ſubditorum bonis inhia ea diripit & deprædatur uti cum leone rugiente, cum urſo eſuriente comparat. Leo enim cum r gitu ſtatim in prædam irruit, nec urſus eſurie moram facit.

N. 7. Urſus autem in fame non ſolum grege imbellesqve pecudes, ſed & armenta, ac ipſos ta ros audet aggredi, qvorum & cornua petit aut n res: cornua, ut pondere defatiget; nares, ut acri dolor ſit in loco tenuiore. Solinus *cap. 29.* Adde riſtot. *l. 8. hiſt. c. 9.* Ælian. *l. 6. hiſt. animal. c. 9.* Pli *l. 8. c. 36.* Olaum M. *l. 18. c. 26.* Proinde cum mag rerum converſio ſub Meſſia futura ſignificatur, pr dicitur fore, ut bos & urſa ceſſante mutuo odio mul paſcantur, & eorum catuli juxta ſe recube Jeſ. XI. 7. i.e. Judæi & gentes in eandem eccleſi conſocientur. Illos enim per bovem, mundum nimal; has per urſam, qvod eſt immundum & greſte, per lingvam formandum, ſignificari, n nuit etiam Clemens Alexandrin. *Stromatum lib p. 640.*

N

N.8. Unde admirabilis fuit Davidis fortitudo, qui insurgentem in se ursum in posteriores pedes,ut riorum amplexu suffocaret & contereret, maxilla ut mento arripuit, à morsu cohibuit, & confodit. Sam. XVII. 34. Relege cap. VI. de Leone n.53.

Ut compuncti aculeis apum liberentur à gravedine pitis]

N. 9. Ridet fabulam Georgius Rollenhagen, p.3. der warhafften Lügen/ *p. 32.* cum punctiones apum citissimè tumorem, non sangvinis effluxum faciant.

Reperitur fere ubiq; locorum excepta Africa & Numidia &c.]

N.10. Ita Plinius *l. 8. c.36. & 58.* qvem post Albertum M. *l. 22. de animal. tract. 2. c. 1.* seqvutus est Lipsius *l.2. Elector. c. 4.* Ast Salmasius *Exercitat. 26. l Solin. p. 311.* Plinium premit auctoritatibus contrariis Herodoti, Strabonis, Virgilii, Juvenalis, Martialis, Solini. Qvæ testimonia Vossium moverunt, ut, etsi in Institutionibus Oratoriis cum Plinio & Lipsio sensisset, sententiam mutaret, ac Salmasio accederet, *de Idololatr. l.3. c.52. & in Etymologico Lingvæ Latinæ voce Ursus.* Assensus est Rupertus *in Observat. ad Florum p. 259.* Nihilominus Harduinus pro Plinio suo in notis stat. Habessinis ursum esse animal ignotum scribit Jobus Ludolfus *l. 1. c. 10. n. 87.* qvanqvam ejus gentis Rex in epistola ad Pontificem M. qvæ apud Munsterum legitur, de albis ibi ursis referat. De reliqva Africa peregrinatorum modernorum suffragia conqvirere non vacat. Americani in novo Belgio ursi maxime atri, timidi nonnihil, si tamen excitentur

O irri-

irriteturqve à venatore ac vulnerentur, magi impetu in eum insiliunt, obturato ante foliis arb rum vulnere. Dapper *America p. 144.* De iis, q in provincia Gvatamala faciem habent non pil sam, sed levem instar Æthiopis decrepiti rugosi tem aliis, qvibus pro ore longum rostrum est, Ide *pag. 306. 308.* De ursis Septentrionalium regionu tam nigris qvam albis ferocissimis multa retuli Olaus M. l. 18. *Historia Septentrionalis cap. 24. sq* Lappones ursum pro Rege ferarum suarum qv drupedum agnoscunt apud Scheffer. *de Lapponia cap. 29. p. 336.* Sævitiem alborum magno suo m lo experti sunt Belgæ circa finem superioris sæc in Nova Zembla hibernantes. Albos etiam i Mysia Aristoteles, in Thracia Pausanias prodid Qvam truces sint erga homines, non solum viv sed & mortuos, qvorum cadavera ex sepulchris ruunt, secum portant ac devorant in Livonia Moscovia, invenies apud Olear. *Itinerar. Pers. p.* Joh. Jansz Straussen *in Itinerar. p. 68.*

90 *Dan. VII. secunda Monarchia Persica assimila ursæ.*]

N. II. Similitudinis rationes plures qvam Fr zius explicavit, fieri poterunt, si qvis conferat Ch stiani Matthiæ *Theatrum Historicum lib. 2.* Dre lium *in Daniele cap. 23. §. 2. Tom. 2. Oper. p. 834.* charti *Part. I. Hieroz. col. 816.* Hic vir doctissim insuper adjicit *col. 818.* Romanum Imperium am aliqvid de ursis habere. Bestia enim illa te ca & terribilis, qvam Daniel non nominat, Apoc XIII. 2. describitur leonis ore, pardi corpore, pedibus. Atqve uti per os leonis robur imm

su

ſum, per pardi corpus aut maculas varium regimen, aut diverſas gentes illi ſubditas, aut dolos & technas varias, qvibus rem ſuam Romani auxerunt: ita per urſi pedes firmiorem qvidem, ſed & tardiorem Romani imperii greſſum ac progreſſum ſignificari opinatur. Alios Interpretes Apocalypſeos regni Antichriſtiani imaginem ibi monſtrare, eſt notiſſimum.

Sunt qvædam genera urſorum alborum amphibia.] 94
N. 12. Maximi illi & fortiſſimi in Islandia ungvibus glaciem rumpunt, foramina multa faciunt, per qvæ ſe in mare immergunt, ad litus ferunt, & orant. Albertus M. *lib. 22. haut procul à fine*; Olaus M. *l. 18. c. 24.* Majolus *Dier. Canicular. T. 1. Colloq. . p. 132.* Qvæ confirmans Deſcriptor recentiſſimus *Veteris & Novæ Groenlandiæ fol 81.* refert, plures amphibiorum talium urſorum illic conſpici, qvam terreſtrium. Confer Dom. ab Hohberg *Georgicam Curioſam Part. 2. l. 12. c. 78. fol. 641.*

USUS ET ABUSUS.

N. 13. Uſus eſt urſorum divinus, cum improbitatem hominum DEUS ulciſcitur. Vide cap. VI. n. 9. & Sap. XI. 18. Eliſæus filiis idololatrarum ... rte à parentum neqvitia inſtigatis, ut calvitiem ... ophetæ petulantibus acclamationibus exprobrant, divino accenſus zelo imprecatus obtinuit, ut ... æ è ſilva proxima urſæ egreſſæ ex numero illorum dilacerarent qvadraginta duos 2. Reg. II. 23. Vi... Bochart. *col. 818.* Judæi fingunt qvadraginta... os ideò occiſos, qvia totidem oblationes obtu... at Balac Rex Moab, Num. XXIII. & XXIV. Pa-

tres Elisæum cogitant Christi figuram, cui Jud illuserint, ut pueri Sancto Prophetæ, & dixerint Adscende calve, hoc est, adscende in crucem in c: variæ loco erigendam: & ultos esse hanc vesania ursos duos in nefariam gentem à DEO immiss Vespasianos, per qvos subversa fuerit Jerusalem a no à Christi morte qvadragesimo secundo. It Hieronymus *in Sophoniam, & in Commentario, q ei adscribitur in Psalmos 45. & 48.* Auctores *Mir bilium Scripturæ l. 2. cap. 23. & Sermonis 204. de Tempore sub Augustini nomine.*

N. 14. Humanis usibus cedunt ursorum (1) ca nes in cibum, qvibus vescuntur Helvetii qvidan Alpiniqve populi & Allobroges, (Joannes Bru rius *de Re cibaria l. 13. c. 41.*) Septentrionales no nulli (Olaus M. *l. 18. c. 29.* Scheffer *Lappon. cap. p. 217. c. 19. p. 231. sqq.*) alii passim; (Dn. Hohberg *l. p. 642.*) Svavem gustu, sed illiberalem & insalubre escam judicat Bruyerius. (2) Pelles, qvibus ol veteres Germani tegebantur, aut incubabant. V Taciti German. cap. 17. Confer Olaum M. *l. 18. c.* Unde apud Germanos scomma enatum est, qvi gros & otiosos homines notare volentes, Bär häuter appellitant. Occasionem complexus Fridericus Hoffman *Cent. 3. epigr. 54.*

A bellis qvoties pubes germana qvievit,
Fessaq; pacificis condidit arma focis:
Tum ventrem pascens & molli dedita somno,
Pellibus ursinis *otia duxit iners.*
Hinc homo pigrescens nullaq; exercitus arte,
Ursinæ incubitor pellis in orbe cluet.

Confer Zeiler. *Part. 2. Epist. 345. p. 148.*

(3) C

(3) Operæ ferviles, qvas præftant aqvam puteis e-ducendo, plauftra trahendo, ligna aliaqve portan-do, excubias agendo, alias feras noxias arcendo. Olaus *l. c. c. 32. 33. 34.* Ludicras actiones tacemus, qvæ in vulgus notæ. Idem l. c.

N. 15. Abufi funt Urfis 1. Superftitiofi Patrenfes Dianæ facrificantes, & Athenienfes, qvi eidem fa-cram urfam cicuratam in urbe fua circumvagan-tem aluerunt, qvomodo hodie porcellos qvosdam fuperftitiofi S. Antonio donatos circumcurfitare nunt. Gefnerus *p. 1078. 1080.* (2) crudeles Va-lentianus Imperator & Johannes Bafilides Mofco-vitarum Princeps, qvi, qvos optimos etiam viros vellent è medio tollere, Urfis laniandos commife-runt, fummam ex crudelitate delectationem capi-entes. De illo Ammianus Marcellin. *l. 29. c. 19.* de hoc ex fide dignis fcriptoribus & relationibus Ca-merar. *Cent. 1. Subcif. c. 38. Cent. 2. cap. 88.*

MORALIA.

I. EDUCATIO.

Urfa catulos fuos craffis fecundinis obvolutos lambendo ad debitam perfectionem effingens epi-taphen tenet: NON PEPERISSE SATIS. Ne-que filios parturiiffe, & in lucem procreaffe fufficit, fi etiam folicita & affidua diligentia à parentibus ducentur. Auguftinus *in Expofit. verborum ad Ga-l. IV. 9. Filioli mei, qvos iterum parturio*, ait: *par-titionem hanc pro curarum angoribus pofitam in-telligamus, qvibus eos parturivit, ut nafcerentur in Chrifto, & iterum parturit, propter pericula feductio-*

 nis,

nis, qvibus eos conturbari videt. Qvod de paren tum liberis, etiam de auctorum libris intelligi po est. Postqvam enim volumina sua componend enixi sunt, ea etiam iterum iterumqve relegere, ex pendere, emendare debent. Picinell. *T. 1. p. 428.*

II. AUXILIUM HUMANUM FALLAX.

Ursus (Americanus) sauciatus vulneri explend res qvasvis obvias, ut herbas, spinas, ligna, saxa, a liaqve arripit, ac hianti foramini inserit, qva tame paradoxa curandi methodo non tantum sanita suæ non consulere, sed potiùs gravissimum vitæ d scrimen sibi arcessere solet. Unde lemma: *Plag medela corrumpit.* Ita homines calamitatibus su remedia qværentes, obvia passim arripiunt: at v rò qvia creatis magis, qvam Divinis auxiliis conf dunt, suis infirmitatibus nunqvam exonerantur, sed vehementius premuntur. Hebræi gravib gentilium ærumnis pressi, fiduciam suam, deprop rato consilio, unice in Ægypti Rege collocarunt qvo non multo post exspoliabantur. Augustin. Psalm. XXX. Conc. 1. *Speras in pecunia? observ vanitatem. In his omnibus cum speras, aut tu exsp ras, & ea hîc dimittis; aut cùm vivis, omnia pereu & tu in spe tua deficis.*

III. FALSI DOCTORES.

Ursi arbores adscendunt, ut mel ab apibus col ctum deglutiant; sed sæpe à bellicosa turba ling oculisq; sauciati discedunt. Pseudo-Doctores m svaviorem doctrinam Evangelii invadunt ut ra

a

nt; aſt puri Doctores & pii alii homines aculeis
erbi divini hoſtium pungunt lingvas ut ſileant,
tentem ut confuſi recedant. Moller *Similitud.*
g. 195.

IV. BONORUM MUNDANORUM NIMIS CUPIDI.

Princeps Imperii qvidam, ut urſo qvem habebat,
dum faceret, appoſuit ei patinam melle, ſed præ-
lido ac ferventi plenam. Itaqve fera, ut avidis-
me in hunc cibum fertur, lingendo ſæpe ſæpius,
gvam & fauces adusſit, neqve tamen ſibi tem-
rare valuit; ſed inter continua murmura & eju-
tus ingluvie ſtimulante furore iraqve plenus, mel
nne abſumpſit. Qvoties voluptatis, divitiarum,
onorum ſectatores, digitos & ora aduſſerunt? per
ot dolores, terrores, pericula emunt brevem vo-
ptatem? qvoties in aulis Principum illuſi, ſcom-
atis impetiti, invidorum cavillis laceſſiti? Facies
mbuſtæ eorum præ pudore (Jeſaiæ XIII. 8.) tamen
ſo brutaliores non deſiſtunt, ſed ut obſervat Se-
eca *Epiſt. 39. Mala ſua, qvod malorum eſt ulti-
um, amant.* Ex his unus aliqvis ſub ingreſſum in
lam rogatus, cur canis ut ſolebat non amplius
rum intus comitaretur, ſed ad fores palatii rema-
eret? Domino reſpondente, qvod ſemel ingreſſus
itius, flagris peſſime exceptus fuiſſet; aſſumſit
ter: Næ tu cane tuo ſtolidior videre, qvi toties
aula male exceptus, necdum eam deſeris.

V. PECCATI DELECTATIO.

Apes plerumqve in Ruſſia ad cavas arbores mel-
cant: has urſus adſcendit, mel ibi qværit, & ſæpe

dum esurit ad eundem locum redit. Unde venator circa pedem arboris funes atqve palos acutissimos undiqve circumcingit, & ante aperturam unde exit mel, malleum ponderosum cum fune suspendit; veniens ergo ursus esuriens, & mel de arbore trahere cupiens, per malleum impeditur: tum malleum à se abjicit: sed qvanto fortius eum pellit, tanto gravius recidens caput ejus percutit, qvousqve id ex freqventi ictu debile deficiat. Caden ergo super palos ruit, & sic propria stultitia se occidit. Unde lemma: NOCET EMPTA DOLORI VOLUPTAS. Similiter homo, dum dulcedines sive delectationes peccati qværit, malleus divini sermonis, de qvo Hier. 23. 29. *Verba mea qvasi malleus conterens petras*, peccatum ipsum prohibens resistit, qvem dum peccator à se projicit, secundum illud Psal. (50. v. 17.) *Projecisti sermones meos retrorsum*, in ipsum fortius impingit, & finaliter deficiens in peccatum ruit, qvod ad æternum interitum trahit. Joannes de S. Geminiano *l. 5. c. 3* Causin *lib. 7. parabol. 116. p. 367.*

VI. IRACUNDUS VINDICTA SUI SIBI EXITIUM ACCERSENS.

Ursus est animal impatiens & iracundum cupiens se de singulis vindicare. Unde cum aliqver invaserit, si alius eum tangit, statim primum mittit & in alterum currit: sed qvando capitur, aspectu pelvis ardentis excœcatur: catena ligatur & verberibus edomatur. Sic homo impatiens iracundus de singulis injuriis se vindicare appetit neqve propterea unum inimicum dimittit, qvi con

contra alium bellum suscipiat: sed tanqvam pelvis ardens est ira furens, ad qvam excœcatur, qvia ira oculum rationis perturbat; sed furiosus est catena ligandus, vel verberibus edomandus: De S. Gemiano l. 5. c. 68.

VII. MERETRIX INFANTICIDA SÆVIOR URSA.

Anno 1656. in pago non procul à Pletskovia, celebri urbe Moscoviæ, sito, ursa esuriens nocte effractis foribus in casam irruit, matriqve non observanti ex lecto lactentem infantem aufert. Mane dum nullum indicium deperditi exstabat, conjectura erat ab ursa devoratum esse. Non diu post rustici ursam vespertinam qværere prædam observant, & sclopeti globo trucidant, videntesqve plenis uberibus, catulos in silva indagant. Ast vice murmuris vel ejulatus, qvo se illi matre amissa forent prodere, audiunt ex specu ploratum hominis infantis, accurrunt, inveniunt sanum & valentem, domumqve reducunt. Joh. Janz Strauss. *Itinerar.* p. 68. Ita esurire malebat sævissima fera, qvam infantem tenerum occidere. Ita ploratus infantis bestiam commovebat, ut suæ ferociæ oblivisceretur. Ita egestas afficiebat, ut pro catulo aleret. Qvanto sævior est ursa meretrix illa, qvæ prolem suam innocentissimam, tenerrimam, svavi licet vultu abblandientem, aut lacrymis scelus deprecantem, nihil ejus miserta, suffocat aut jugulat, ne nomen turpitudinis & pœnæ non capitalis ab hominibus ferat.

CAP. VIII.
DE PARDO.

94 PArdus, qvi etiam aliàs lupus canarius, ein Pan-ter-Thier &c.]

N. 1. Pardo in feris secundum à leone locum dat Bochartus & Majus, tum, qvod ambiguam cum leone pardus pugnam ineat, tum, qvod in sacris literis & profanis scriptoribus eæ bestiæ sævissimæ sæpè conjungantur. Origo vocis Latinæ sine dubio est ex græca πάρδαλις, vel antiqvo πάρδος, sed è qvo fonte hæc sit deducenda, obscurum. Vid. Becman. *de Originibus Latinæ Ling.* Vossii *Etymolog voce Pardus*, Majum *p. 711.* Altera appellatio ex Gesnero *p. 935.* adducta, est Theodori Gazæ & Niphi, qvi apud Aristot. *l. 6. hist. cap. 35.* qvo unico loco occurrit ὁ πανθὴρ, vertunt lupum canarium. Scaliger *in Commentario fol. 784.* eam versionem improbat, ac Pantheram substituit. Sed Joh. Faber Lynceus *in Expositione ad Nardi Antonii Recch alia animalia Novæ Hispaniæ p. 499.* negat πανθὴρ apud Aristotelem esse pantheram, cum ibi de lupi agat Philosophus, & alibi sæpè Pardalin ac Pardalia vocet, ideoqve non miratur qvosdam lupum canarium, alios canem luparium interpretatos fuis id animal nobis ignotum.

N. 2. Ut autem Pardus maris, ita Panthera fœminæ nomen est docente Plinio *l. 8. cap. 17.* Eandem esse Pardalin, decem argumentis probavit Bochartus *col. 800. 801.* è qvibus potissima excerpsit Majus *p. 709.* adversus multos, inter qvos Leo All

ti

tius in Eustathii Hexaémeron, qvi contendunt, diversissimum esse animal à panthera. Fatetur interim Bochartus, non immerito dubitari, an Græcis ὁ πανθὴρ id ipsum sit, qvod Romanis panthera, cum multi scriptores videantur distingvere, nominatim LXXII. Interpretes Hoseæ XIII. 7. Xenophon, Pollux, Oppianus, alii; qvorum auctoritate moti Gesnerus, Bodinus, Rittershusius, Allatius asseruere, pantherem esse vel thoem, vel parvum ac imbecille animal thoi simile. Joh. Faber *loc.cit.* putat ignorari hodie qvid sit panther. Cujus Auctoris mens *in Scholio ad Observat.VII. Ann.II. Decur.I. Ephemerid. Naturæ Curiosorum German.* partim obscurè adducitur, qvoad distinctionem Pantheris, Pardi & Pardalis, partim falsò, qvasi Africæ & Libyæ fere proprias faciat Tigrides. Ast illam de specifico discrimine sententiam novem rationibus refellit Bochartus *col.820.* qvas in summam contraxit Majus *p.710.* Conclusio est: vel ex sexu, vel ex mole corporis, vel ex variis maculis factum fuisse, ut in eodem animalis genere, aliud proprie πανθὴρ aliud πάρδαλις diceretur. De Originatione Panther aut Panthera variant Etymologistæ. Vid. Vossium *loc.cit.* Majum *p.708.*

N.3. Hebræi unicum agnoscunt nomen Pardi, נמר namer, qvod Syri, Arabes & Æthiopes servant, à maculis, ut ex Syriaco Arabicoqve sermone ostendunt Bochartus *col.785.sqq.* Majus *p.706.* Est enim Pardus animal maculosum, Plinii voce, varium; pellem scilicet habens nigris distinctam maculis. Eæ nominantur Jerem. XIII. 23. חברברות *chabbarbüroth*, ποικίλματα LXX. *varietates* Hierony-

ronymo, *livores* communiter ex Kimchi Lexico; שלשי רקמתירן Chaldæo, i. e. *ſcuta recamationis ſuæ, ſive operis Phrygionici*, juxta Bochartum, *maculæ latæ inſtar ſcuti* ſecundum Buxtorffium; *maculæ rotundæ, orbiculatæ parmæ inſtar* juxta Majum. Latini uno vocabulo dicunt *ſcutellatas*. Originem vocis Ebrææ ex Arabica lingva, in qva חבר notam inuſtam, item atramentum ſignificat, petunt Bochartus & Majus; indeqve eliciunt *chabbarburoth* eſſe nigras maculas.

N. 4. LXX. Interpretes, qvoties in Prophetarum ſcriptis occurrit נמר, reddunt πάρδαλιν, Latinus Pardum. Hieronymus *lib. 1. in Jovian. cap. 17.* citat Canticum Salomonis IV. 7. *à cubilibus leonum, à montibus leopardorum*; & paulò pòſt alludens ad Jerem. XIII. 23. *Leopardos* nominat. Qvem ſecutus eſt Lutherus: von den Bergen der Leoparden. Uterqve ſine dubio intellexit Pardum. Etiamſi enim leopardus propriè eſt mixti generis beſtia ex leæna & pardo, ſcriptoribus Romanis tamen à qvarto ſæculo, & inde eccleſiaſticis καταχρηστικῶς vox pro pardo uſurpata ſæpe legitur. Apud Græcos Λεόπαρδος vix invenitur. Unde ſuſpicio naſcitur, Epiſtolam ad Romanos Ignatio attributam, qvarto demum ſæculo ſcriptam eſſe, utpote in qva λεοπάρδοις exſtat. Verba allegavimus ſupra *p. 80.* Qvi vocabuli abuſus ita invaluit, ut vulgus pardum leopardi nomine appellet, in omnibus ferè Europæis lingvis. Vide Bochart. *col. 806.* Majum *p. 741.* Voſſii *Etymolog. voce Panthera*, Gaſſend. *Phyſ. Sect. 3. p. 199.* Harduin *ad Plinium l. 8. ſect. 23.*

N. 5. A pardis vel pantheris loca in S. Codice nomi-

nominata, ut *Nimra* Num. XXXII. 3. sive ut paulò postvocatur, *Beth-Nimra*, v. 36. & Josuæ XIII. 27. *Me-Nimrim* Jes. XV. 6. Jerem. XLVIII. 34. *montes pardorum* Cant. IV. 8. consideravit Bochartus *col.* 790. & luculentius Majus *pag.* 728.

Animal Asiaticum.]

N. 6. Immò & Africanum, adeò ut cum bestia sæpe inde in Italiam adveheretur, Africanarum nomine pantheri pantheræqve acciperentur. Plinius *l.* 8. *cap.* 17. Ipsam Africam pardi pelli similem esse dixere veteres, qvorum testimonia collegit Bochartus *col.* 787. Aristoteles, uti omnes feras Asiaticas, ita & Pantheras efferatiores pronunciat Africanis, *l.* 8. *hist. cap.* 35. Et si Leo Africanus de Leopardis in silvis Barbariæ loqvens, de ipsis pardis intelligendus est, illi neqve armenta invadunt, neqve homini nocent, nisi in angusto calle, qvod rarò contingit, ei obvii vel cedere neqveant, vel molestia afficiantur; atqve tum aut cerebrum perfringunt, aut ungvibus in vultum involant; ac tantum carnis auferunt, qvantum prehendunt.

Hactenus Basilius. Et Osea XIII. 7. Dominus minatur.] 95

N. 7. Basilii verba exstant *circa finem Sermonis in aliqvot Scripturæ locos Tom. I. Operum.* Apud Hoseam legitur: *Itaqve ero eis qvasi leo, qvasi pardus* על־דרך אשור. Græci, Syrus, Arabs, & Hieronymus, qvia אשור pro nomine proprio acceperunt, reddiderunt, *in via Assyriorum*; putantes agi de pardis circa Assyriam, sensumqve esse: cum Judæis in Assyriam opem qvæsitum profecturis obstiturum esse; cui comminationi similis

est

eſt cap.V.14. & Jerem II.18. Iis ex recentioribu accedunt Caſtalio, Mollerus, alii. At cum in textu non legatur per *patach* & *dageſch* אַשּׁוּר *Aſſchur* ſed ſine *dageſch* & cum vocali *kametz*, אָשׁוּר, qvidam cum Jonathane, Jarchioqve pro *futuro* conjugationis *kal* verbi שׁוּר *ſchur*, contemplari, ſpeculari, habent; juxta qvos prodit hæc verſio: *ſicu pardus in via ſpeculabor vel inſidiabor.* Roborat eam Abarbenel adducto Num. XXIV.17. אֲשׁוּרֶנּוּ *aſchurennu* videbo eum. R.David Kimchi pro participio conjugationis Kal accipiens, exponit per vocabulum נָכוֹן *nachon*, ut ſit ſenſus: *Pardus paratus & qvaſi collocatus ad rapiendum, qvicqvid in via ipſi occurrit.* Qvam interpretationem longe clariorem effecit Henricus Meibomius *in Specimine tertio novarum in S. Hebræo Codice interpretationum pag. 10.* probans, vocabulum in fontibus occurrens erectionem vel erectam ſtationem notare. Unde convenientiſſimus ſenſus evadit: *ſicut pardus ad viam erectus*, i.e. poſterioribus pedibus inſiſtens jam jam inſulturus occurrentibus beſtiis. Etenim ſolet pardus, ad inſtar nonnullarum aliarum beſtiarum, cum aliis pugnaturus ſeſe erigere, atqve cum impetu inſilire, &, ſi cum hominibus committatur, in eorum faciem involare, oculorum, ut creditur ſplendore potisſimum offenſus. Qvod confirmaturus vir doctus Juvenalem citat *lib.4. Satyr. XI v.120.121.* Longe accommodatior erit Baſilii locus modò ſignificatus. Confer Bochart *col. 788 790* Majum *p.718.*

Sicut ferociſſimum eſt, neqve unqvam miteſcit, ita qvoqve mirabili celeritate eſt præditum.]

N. 8

N. 8. Franzium sui oblitum mox subjecisse ex Osorio exemplum pantheræ mansvefactæ notat Majus *p. 725.* Qvem lapsum præcavisse Nostrum dicemus verbis, ***nonnihil mansvefactam.*** Legerat enim in Alberto M. *l. 22. Tract. 2. cap. 1. fol. 221. b.* *Leopardus, qvando domesticatur, si in saltu tertio vel qvarto prædam non accipit, indignatur, ita qvod nisi sangvine placetur, aliqvando in venatorem insilit.* Et qvæ in horum confirmationem Gesnerus scripsit p. 943. *Accepi à qvodam oculato teste, in aula Regis Galliarum leopardos duorum generum ali, m*[illegible]*tu-dine tantùm differentes: majores vituli corpulentia esse humiliores, oblongiores: alteros minores ad canis molem accedere. Et unum ex minoribus aliqvando ad Spectaculum Regi exhibendum à bestiario aut venatore eqvo insidente à tergo super stragulo aut pulvino vehi alligatum catena: & lepore objecto dimitti, qvem ille saltibus aliqvot bene magnis assecutus jugulet. Venator leopardum recepturus, accedit aversus, & frustum carnis retro inter crura protensum porrigit, ne si faciem obverteret ab eo invaderetur: & rursus loro alligatum manu demulcet ac reducit ad eqvum: ille in sedem suam facile resilit.* Adde Philostrat. *l. 2. de vita Apollonii c. 1.* Balbini *Miscellanea Historica Regni Bohem. l. 1. c. 61. p. 142.* Qvæ inda mansvefactio forte causa fuit, ob qvam Senatusconsultum olim factum est, ne liceret Africanas (i.e. pardos & pantheras) in Italiam advehere, apud Plinium *l. 8. c. 17.*

N. 9. Celeritatem admiratos legas omnes veteres. Ter qvater eqvum, licet pernicem asseqvitur, ut Vossio *l. 3. de Idololatr. c. 63.* Olearius vidit

Sca-

Scamachiæ pardum venaticum qvovis cane velociorem, qvi in lepores incidens eos ſtatim aſſeqvebatur, ita ut nullus evaderet, *lib. 4. Itinerar. p. 437.* Hinc Euſtathius *in Hexaëmeron* vere dixit: ante venatorũ oculos qvaſi volare pardos. Multũ etiam juvantur ſaltu itidem ab antiqvis prædicato, qvo aliqvando qvadraginta cubitos ſuperant, ut refert Damir Arabs. Ad ſaltum retulere Græci Habacuci verba I. 8. ſua hac verſione: ἐξαλοῦνται ὑπὲρ παρδάλεις *exſilient ſupra pardos*, ac ſi nihil aliud in pardis hic commendetur, qvam levitas in ſaltu. Majus *p. 715.* mavult ad velocitatem referre, qvod קלל nuſpiam de ſaltu, ſed de pernicitate tantùm adhibeatur. Nos cum Bocharto *col. 788.* pardorum levitatem à Propheta ſignificatam tam de curſu, qvam de ſaltu intelligimus, cum utroqve ſint celerrimi. Fallitur autem aperte Druſius in *Hoſ. XIII. 7.* aſſerens pardum curſu minus valere.

96 *Jerem. XIII. 23.*]

N. 10. Deus Judæos perverſe malos & improbos, qvorum ſubdoli & fallaces mores plane in naturam (ut dici ſolet) abierunt, nec ſalutaribus admonitionibus locum ullum concedunt, comparat cum Æthiope, qvi cutem ſuam, aut pardo, qvi maculas ſuas non immutant, neqve immutare poſſunt. Nimirum cum feræ multæ pilopetiam patiantur, reſumtisqve novis pilis novam qvodammodo formam induant ac colorem, pardus nec pilos nec colorem mutare videtur, ſed qvas habet maculas, eas conſtanter retinet. Vide Camerar. *Cent. 2. Emblem. 38. pag. 77.* de maculis ipſis *n. 3. ſupra.*

Jerem.

Jerem. V. 6.

N. 11. Hostes Judæorum, Babylonii, erunt sicut ardus vigilans super urbes eorum. שקד vigilans, i. e. omni diligentia, omni conatu, omni arte intenent Babylonii, ut urbes capiant & destruant. Vide e ista in malum vigilantia Jerem. XXXI. 28. cap. LIV. 27. Dan. IX. 4. & de perditione, qvam Paris infert Siracid. XXVIII. 27. Confer Bochart. l. 789.

Ælianus scribit pardum à teneris consvevisse 97 um hædo]

N. 12. Ælianus l. 6. de animal. c. 2. habet, pardam ab hædo secum educto, etiamsi ter vivus ad laenam & cibum famelico objectus fuerit, abstiuisse. Id tanqvam insolitum ubi recensuisset, ccasionem sumit invehendi in homines, qvi suos on modo intimos & necessarios produnt, sed etim in fratres & parentes multa perfidiose faciunt. rgumentum hinc peti poterit reprehendendi meetrices, qvæ prolem etiam suam trucidant. Prædictio autem Jesaiæ XI. 6. sub Messia inter cæteras nimantes sibi inimicissimas, pardum cum hædo ccubiturum esse, non in sensu proprio intelligi deet, qvo volunt Judæi plurimi, & cum iis R. Abarenel, sed metaphorico, qvo sanctissima pax descriiter illo tempore, qva qvi ferarum instar perpetuis rixis, contentionibus, armis se invicem insectantur, amice conspirabunt in commune Ecclesiæ civitatis, cujus se membra agnoscent bonum, a aliorum commoda perseqventur, ut ei, qvi eom efferos animos ante cognovit, nunc mansveita factos contuetur, videantur animalia fera

P cum

cum domesticis simul habitare & pascere. A pa te nostra contra socios stant Majemonides, Abe Esra, Jarchi. Vide Hulsii *Theologiam Prophet. p.* *647. sqq.*

99 *Illius comparationis hac possunt esse capita præ pua*]

N. 13. Vide Christiani Matthiæ *Theatrum I stor. lib. 3. Tractationem generalem*, Drexelii *Dan lem cap. XXIII. §. 3.* Mulleri θηρολογ. *p. 464.* W theri *Conc. 50. in Daniel.* Bochart. *col. 789.* Maj *p. 730.* in qvibus varias ac diversas comparationi rationes factas qvicunqve legerit, cogitabit in alium alio ingeniosiorem esse potuisse.

N. 14. Species Pardi *juxta Charltbon in O mast. p. 14.* est Dasypus Pinuum, sicut vocant I spani, Ocotochtli Indi, de qvo Nieremberg *l. 9.* *stor. Natur. cap. 1. p. 153.* Vivit Tetzococamis mo tibus, venatur cervos, & alia ejusdem molis anin lia, interdum homines. Lingvæ ejus tanta ir vis veneni, ut si prædæ oculos vel allambuerit attigerit, eam confestim excœcet, imo interin Occisorum cadavera herbis, fœno, cespitibus git; deinde conscendens propinqvas arbores lat. Tunc feræ circumjacentes, arcano nat documento consciæ invitationis, ad epulum o advolant, præda ex signo inventa satiantur: po mus ipse ocotochtlus descendit, ut innocue pas tur convivæ; nam si ille prior vesceretur, corr veneno suo reliqviis, cæteræ feræ perirent, q qvot deinde gustarent. Tanta urbanitate c tati favet, tam comi providentia saluti alienæ licet nemo est qvi prodesse neqveat, si velit.

ita viribus & opibus beneficentia, qvam voluntate & studio constat. Plurimi opulenti inutiles sunt, utinam non etiam noxii; at nemo benevolus non beneficus.

MORALIA.

I. ANTICHRISTUS.

Pardo similis Apoc. XIII. 2. (1) Specie externa: pulcher est aspectu, varietate cultus externi & ceremoniarum tum in ecclesia tum in regimine ecclesiastico. (2) facultate alliciendi; dum partim sua picta forma, partim odore rerum temporalium, partim fama miraculorum multos ad se trahit. (3) astutia: Caput sicut pardus abscondit, ne agnoscatur, pietatis speciem prætendendo. (4) peculiari in oculos humanos odio, & amore stercoris humani. Antichristus verbum DEI ejusqve Doctores primum invadit & exscindere conatur; erronea humana dogmata cara & pretiosa habet. (5) Sævitia & ferocitate. Antichristus homines igne, fumibus, gladio aliisqve truculentis modis excruciat & enecat. (6) modo capiendi. Pardus vino inebriatus capitur. Antichristus vino scortationis ebrius, & aliis ad ebrietatem propinans Ap. XVII. 2. a Doctoribus ecclesiæ veræ vinculis sacris, verbo DEI coercetur & captivatur. (7) incorrigibili feritate. Pardus non potest ita cicurari, qvin facile veneris stimulis agitatus ad ferociam redeat: sic Antichristus aliqvamdiu placidus, ubi sæpe scortationis æstu excitatur, sævit.

II. IMPATIENS, INCONSTANS IN BONO PROPOSITO.

Pardus, si primis duobus aut tribus saltibus prædam non asseqvitur, præ indignatione desisten eam ultro dimittit. Unde feræ cujusdam vestig persequens, epigraphen tenet: AUT CITO AUT NUNQVAM. Talis est qvi non diu orando, ac laborando, sed cito asseqvi vult, qvod cupit. Unde si non statim obtinet, qvod qværit, tædio vict à bene incepto opere retrocedit, non attenden perseverantem oratione impetrare, qvod petit, Lu XI. 9. & laborem improbum omnia vincere. G miniano *l. 5. c. 69.* Camerar. *Cent. 2. Embl. 39. p.* Picinell. *T. 1. p. 404.*

III. MUNDI FALLACIA, MULIER LASCIVA, VOLUPTAS MUNDANA.

Panthera cæteras feras svavissimo suo odore se pertrahens, eas postea improviso assultu ado tur ac devorat. Lemma: ALLICIT UT PE MAT: vel: BLANDIMENTO PRÆDATUR. Mundus, Mulier lasciva, & omnis mundana luptas suis illecebris miseros mortales attrahu eosqve crudeli sorte in perniciem dant. Plutarc *apud Stobæum serm. 6. Fera est sibi mancipans mines voluptas, sed mitis: nam si aperto pugna cito caperetur. Nunc autem ideo invisa magis, q celat inimicitiam, induta habitum benevolentiæ.* merar. *Cent. 2. Embl. 37. pag. 74.* Moller. *Simi 414.* Causin. *Polyhistor. l. 7. Symbol. 90.* Pici

T. I. p. 416. 417. Apud Ariſtophanem πόρδαλις (vel πάρδαλις, nam promiſcue ſcribitur) eſt nomen meretricis, & apud Varronem Panther muliercula: qvod ſcorto bene convenit, qvippe omnes promiſcue ad ſe allicienti atqve captanti. Unde calumniam & blaſphemiam intelligimus Judæorum, dum Chriſtum noſtrum בן פנדירא filium Pandiræ, & Jeſum פנתריי Pantherinum nuncupant, in Talmude, in Midraſch Coheleth, in Toldos Jeſchu. Vid. Huetii *Demonſtrat. Evangel. Propoſit. IX. cap. IX. num. 5. pag. 694.* VVagenſeil *in confutatione libri* תולדות ישו *i. e. Generationes Jeſu p. 23. ſqq.*

IV. EBRIETAS.

Vini ſvavitate plurimum delectatur, eoqve etiam inebriari ſolet panthera; at qvam primum è vaſe à venatoribus præparato bibit, mox ſoporem contrahit, ſicqve ebria capitur. Lemma: POTU CAPITUR. Eadem ratione ebrioſi homines ſanitatem, bona, & uſum rationis perdentes, in prædam cedunt tartareo venatori. Pſal. 91. 3. Moller *Similit. p. 477.* Picinell. *p. 417.*

V. AMOR COECUS VITIORUM, IMPUDICI, OBSCOENI.

Panthera divinam hominis effigiem odit, & obtam lacerat, ſtercus amat & avide vorat. Homines nonnulli pulcherrimas virtutes averſantur, turpiſſima vitiorum avide ſectantur. Panthera avida eſt excrementorum hominis, ut ſi in vaſe ſuſpendantur altius, qvam ſaltu poſſit ipſe attingere,

gere, jaculando se appetendoqve postremo defi-ciat, alioqvi vivacitatis adeo lentæ, ut ejectis in-teraneis diu pugnet. Plinius *l. 8. cap. 27.* ex Ari-stot. *l. 9. hist. an. cap. 8.* ex Plinio *Solinus cap. 2*[...] ex Aristotele *Auctor libri de Mirabil. Auscultat. pag* *1151.* Ælian. *l. 4. hist. an. c. 48.* Cicero *l. 2. de Na-tur. deor.* Impudicis & lascivis hominibus dulcis-simum est qvod fœdissimum, verba spurca, gestu[s] lascivi, aliaqve dictu turpia, mire placent. Lyco-sthenes *Simil. p. 410. 753.* Moller *Simil. pag. 48*[...] *Allegor. pag. 301.*

VI. ADULATORES CAVENDI.

Panthera maculis pulchra, ferociam venustat adeo immanem conjunctam habet ut qvi propria saluti consultum voluerit, procul ab ea recedere debeat. Unde epigraphen è Virgilii Eclog. 2. v. 17 mutuatam exhibet: NE CREDE COLORI.

O formose puer, nimium ne crede colori.

Ita adulatores blandiloqventia irretitos fallunt a[c] perdunt. Sic Principum aulæ habent nescio qvi[d] blandum, qvod invitet ad perniciem. Lycosthe[nes] *Simil. p. 9.* Picinell. *p. 417.*

CAP. IX.

DE TIGRIDE.

106 HÆc *bestia sævissima & Asiatica*] N. 1. Non tantum, sed & Africana & Am[e]ricana. Africanas Tigrides, plurimas ac ferocis[si]mas in regno Congiano reperiri ex Pigafeta narr[at] Nieremberg. *histor. nat. l. 9. c. 16.* eas corpore & c[...] de

delitate minores, coloribus autem pulchriores Asiaticis describit Helbig *in Ephemerid. Naturæ Curiosor German. Dec. I. An. IX. Observat. 144 p. 454.* Confer Dapperi Africam *p. 394.* Americanarum genera magnitudine, coloribus, ferocia discreta leges apud Maffejum *Histor. Indic. l. 2. p. 27.* Nieremberg *l. c. c. 15.* Marggrav. *l. 6. Histor. Natural. Brasiliæ c. 10.* Dapper *Amer. p. 454.* Francisci Lust- garten/ *p. 1456. sqq.*

Qvod ad nomen attinet, lingva Armenica significat sagittam &c.]

N. 2. Ita Varro *l. 4. de L. L. p. 24.* testatus ante sua tempora Romanis ignotam fuisse bestiam. Medicum vocabulum faciunt Plinius *l. 6. c. 27.* Solinus *c. 40.* Curtius *l. 4. c. 9. n. 16.* Strabo *l. XI. p. 527.* Adde Eustathium *in Dionys. v. 984.* & Freinshemium *ad l. c. Curtii.* Hodie apud Persas Tigris nomen non amplius occurrit, sed pro eo aliis utuntur, qvæ vide apud *Bochart col. 794.* & inprimis *Majum p. 757.* corrigentem Jacobi Golii & Francisci à Mesgnien Meninski Lexica. At Chaldæis גיר est Sagitta, unde si est Tigris, T fuerit heemanticum, inqvit Vossius *l. 3. de Idolol. c. 63.* & rursum *in Etymologico*; aut si præponas notam casus genitivi apud Chaldæos די *di*, habebis *digir*, vel *diger*; sed & hoc nimis contortum apparet Majo *p. 759.* In Codice sacro hebraico nulla Tigris mentio; in versione Latina vulgata occurrit Jobi IV. 11. ubi in originali est ליש *lajisch*, qvod inter leonis nomina esse vidimus *Cap. VI. n. 49.* Apud Talmudistas Tigris hebraicis scripta literis reperitur טגריס, ac insuper ridicule describitur leo silvæ Elai. Vide Buxtorf.

Lexicon Talmud. Unde patet antiqvis hebræis animal id parum fuisse notum, cum ne hodie qvidem ejus nomen proprium habeant.

N. 3. Velocitatem ipsius tremendam, ut appellat Plinius *l. 8. c. 18.* qvæqve Poetis occasionem dedit fingendi, eam concipere ex Zephyro, sicut ex Oppiani *l. 3. Cyneget. v. 375.* perspicitur, negat Jacobus Bontius Belgarum in Java Medicus *l. 5. Histor. Natural. & Med. c. 2. p. 52.* ac contra segnem ejus gradum perhibet, & ob hanc causam tum appetere magis homines, qvam tauros, cervos, apros, qvippe qvi celeritate sua facile effugiant; tum ex insidiis invadere feras prætercurrentes. Si primus saltus irritus fuerit, clamore aliqvo facto ipso retrocedere, pervagari silvam, ac circumspicere, donec bestias rursum secure prætereuntes habeat. Insuper ipsam ungves prædæ cervici immittere, ac fortissimam qvamqve bestiam uno ictu prosternere, sangvinem dulcissimum sibi exsugere, cadaver in silvam deferre, ac carnes ibi vorare. Versarietiam hanc prædatricem belluam solere circa vias, qvas homines freqventant; qvos novit ea & odoratu & celeritate pedum inferiores animalibus ante dictis. Qvam Bontii sententiam veteribus conciliaturus *Caspar Schottus* dicit: fortassis Javæ Tigrides, de qvibus scribit Bontius, sunt cæteris tardiores, *Phys. Curios. l. 8. c. 75.* Ast & Africanas minus valere cursu Helbigius habet. De Americanis idem refert Dapper *p. 288.* qvanqvam vellem ab ipso alium qvam Bontium auctorem allegatum. Erasmus Francisci im Lustgarten *p. 1461.* arbitratur pernicitatem Tigridis potissimum de saltu in animalia, a-

ma-

magnam satis distantiam, incredibiliter veloci debere intelligi, rationibusqve Bontii respondet. Mexicanas Tigres in prædam tribus primis saltibus iisqve rarissime frustraneis instar Sagittæ involare, traditur apud Joh. Fabrum Lynceum *in Expositione aliorum animalium Novæ Hispaniæ Nardi Antonii Recchi p.507.*

Ita etiam fortissima]

N.4. Tigris feli maculoso admodum similis, sed procera instar eqvi aut asini, robore leones & elephantes vincit, crudelitate & sævitia omnes feras. Ipso aspectu truci est horrenda. Oculos scintillantes ac pene ardentes ostendit. Oris rictum satis magnum pandit: superiores canini dentes eminent ita longi, ut inferiorem ad latera maxillam excedant. Circa labra prælongos emittit pilos, adeo venenosos (in Indica tigride) ut si qvispiam sive homo, sive ipsamet bellua, illorum vel unicum incautius susceperit, irremediabili sui ipsius toxico intereat; unde à Bengalensibus, apud qvos ingens in silvis hujusmodi animalium multitudo oberrat, observatum est, ipsam in fluvio bibere ore admoto ad secundum fluminis cursum, nunqvam ex adverso, ne aqva pilorum veneno infecta sibi ipsi interitum arcessat, neqve ex lacu aut fossis aqvisve immotis eadem de causa bibere. Unde Regio edicto cautum est, ne qvispiam hujusmodi pilos occisa Tigride retineat, sed ut sub pœna vitæ omnes ad curiam Mogolis mittat, ubi à Medicis Regiis pilulæ conficiuntur exitiali veneno turgidæ, qvæ iis, qvos Rex clandestinæ morti destinat, exhiberi solent. Kircher *China Illustrata Part.2. cap.5. p.82.* Pedes

tam grandes ac robustos habet, anteriores praeci pue, qvibus manuum vice utitur, in qvinqve ungve divisos, ut ad reliqvum corpus collatorum vix ali qva appareat proportio. Hinc taurum per medi um fermè dividit, armum ejus certe, aut coxam, u nica tantum percussione ungvibus suis acutissimi maximisqve detrahere valet. Cum semel huma nam carnem gustaverit, eam tanta aviditate appe tit, ut in villas irrumpat, & ex aedibus atqve casis homines trahat. Tecta enim & parietes nullo ne gotio diruit. Nil obseratae fores, nihil objecta trabes juvant. In naves audacter insilit. Arbores conscendit, indeqve, qvi in eas se receperunt ho mines, detrahit, magnarum avium nidos vastat, pullos devorat. Una Tigris militum cohortem invasit, ac in medio omnium uno Hispano, & tri bus Indis dilaceratis, incolumis evasit. Faeminas qvando adoritur, mammas earum in primis appe tit. Ita Tigres duae, post excessum Francisci I. Re gis Galliarum, effractis carceribus omnium mulie rum obviarum mammas devoraverunt. (Vossiu *l. 3. de Idololatr. c. 63.* Alii pro Francisco anteces sorem Ludovicum XII. nominant) Ubi ex animali bus aliqvod occidit, & sangvinem omnem exsuxit dentibus arreptum humerisqve impositum, retor qvendo versus animal caput, ad catulos aut foemi nam suam lactantem illud deportat, &, si vivum su stollere possit adfert, simulqve venandi & bestia adoriendi rationem catulos edocet, assistendo, o mniqve diligentia procurando, ne praeda aufuger possit. Qvalis bellua cum sit Tigris, tam in Ame rica, qvam in India Orientali principatus eidem

Pr

præ aliis feris adjudicatur. Bengalenses adeo ipsam metuunt, ut variis nominibus qvasi in securitatem appellent, ne si proprio semper nomine vocent, ab ea statim dilanientur. Immo Indi olim obviam adorarunt, precantes ne se devoraret; qvæ verò nihil curans supplicium voces, in ipsos sæviit. Superstitio originem habuisse dicitur, qvod Diabolus sæpe simulata hujus bestiæ forma cum iisdem colloqveretur. Qvale colloqvium enarrat Philippus Baldæus *de Idololatria Indorum Orient. c.18*. Apud eos, qvi Christianam religionem amplexi sunt, metus cessavit, dum armis & dolis hostem hunc ferum, qvibus possunt, superant. Vid. Joh. Fabrum *loc. cit. p.507.* Nieuhoff *Legat. Batav. Part. ultima cap. 16. pag. 112.* Erasmum Francisci Lust-Garten *pag. 227. 1456. sqq.*

Etiam variis maculis conspicua, & distincta est ipsius cutis, sicut pardorum.]

N. 5. Difficilis semper fuit in primis antiqvis, distinctio Tigridis tum à Leone, tum à Pardis. Nam Varro, Oppianus aliiqve veterum apud Bochartum *col. 792.* à leone tantum maculis differre existimarunt. Vide supra n. 2. Aliis Tigris eadem est cum panthero aut pardo. Auctores adduxit Bochartus l. c. De qva confusione digna est observatu admonitio Ludolfi *l 1. Histor. Æthiop. c. 10. num. 47. in annotatione : Cum Panther τῷ πάρδαλει apud Græcos, vel Pardo apud Latinos opponitur, tunc de Tigri accipiendum est. Veteres enim has feras, utpote valde inter se similes non accurate satis distinxerunt; qvia in Europa tarde admodum, nunqvam autem vel raro simul visæ fuerunt. Duplex earum*

genus

genus esse sciverunt, cui verò alterutrum nomen tri buendum, vel ignoratum vel dubitatum fuit.

N. 6. Discrimina à Pardo hæc fere traduntur (1) magnitudo. Pardus vitulo, Pardalis cani ve natico mediocri par est; Tigris Asiatica eqvo satis grandi *juxta Franzium*, asino *juxta Kircherum China illustrata pag. 82.* Americana ordinarie altitudine sua qvatuor aut qvinqve palmos attingit facile etiam excedit; longitudine ad sex vel septem extenditur. (2) collo, qvod Pardali longum, Tigridi breve, qvale leoni & urso. Wolfstrigel in Anatome Tigridis *in Ephemerid. Naturæ Curiosor. Decur. I. An. II. Observat. VII. p. 23.* & ap. Blasium *in Anatome Animal. p. 120.* (3) maculæ Pardis rotundæ, Tigribus longæ tæniæ, i.e. oblongæ & virgatæ. Unde Poetis virgatæ Tigres. Bochartus *col. 793. ex Oppiano & Plinio.* De Africanis Ludolfus: *Pardi habent latas nigras maculas fusco colore; Tigrides fulvum colorem qvinqve nigris maculis tanqvam pentaphyllo distinctum.* Similiter in sua Wolfstrigel observavit *colorem fulvum nigris maculis intercundatum, qvasi supercilia oculis impofita; orbiculos verò ad latera rotundos.* Americanæ à Joh. Fabro descriptæ pag. 498. universum corpus pulchro roseoqve subrubet colore, excepto inferiore ventre, qvi albicat potius. Maculis rosarum effigie, nigricantibus omnibus intra suave rubentem colorem, totum ita corpus, pedes & cauda ordine qvodam distingvuntur, ut elegantem plane huic animali acu pictum tapetem, seu peripetasma impositum crederes. Sunt autem maculæ hæ in dorso & capite rotundiores majoresqve, ver

su

sus ventrem pedesqve oblongiusculæ, & multæ minores. *Summa:* Tigrides pilo, colore, figura, statura, decorem præ se ferunt Pantheris nobiliorem. Qvæ verò in Tigribus variarum regionum macularum varietas observatur, naturam forsan nihil immutat. Nam, ut non male Gonzales de Oviedo in Historia sua Indiæ Occidentalis Carolo V. Tigrem describens judicat; *Non mirum est, si ejusdem etiam speciei animal sub diverso climate natum, non eosdem plane mores & proprietates easdem habet. Hoc enim in plantis, & qvamplurimis aliis rebus usu venit.* Addit tamen *se non obstinate huic sententiæ repugnantibus obsistere, nec Americanas has bestias veras esse Tigres adstruere velle.*

His utuntur strategematis venatores.] 107

N. 7. Minore impendio, minore periculo hodie tigres capiuntur, laqveis, decipulis, bombardarum ictibus, percussione circa renes baculis facta, Vid. Nieremberg. *l. 9. histor. natur. c. 15.* Joh. Fabrum Lynceum *p. 508. 510* Erasmi Francisci Lust-Garten/ *p. 1459.* Geschicht-Spiegel/*p. 1444.* Nieuhov *Part. ult. Legat. Batav. p. 112.* Posterius ex Ambrosio & Alberto M. adductum à Franzio strategema per speculum, fabulosum ait Helbigius *loc. supra cit.* prius ignorari Americanis scribit Joh. Faber *p. 511.* Carnes in cibis sunt, earumqve svavitas magis qvam salubritas commendatur. Faber loc. cit. Francisci Lust-Garten *p. 1463.* Majus *p. 768.*

Augustus Cæsar Tigridem Romæ mansvefactam ostendit &c. 108

N. 8. Vid. Plinium l. 8. c. 17. Sveton. in Augusto c. 20. Vopiscum in Aureliano, Lampridi-

um

um in Heliogabalo, Capitolinum in Antonino Pi
Qvam intutus verò cum cicuratis, feritatem nu
qvam plane dediſcentibus ſit convictus, lege ap
Mandelslo *Itinerar. Oriental. l. 2. c. 18. p. 165.* u
Dapper. *America p. 94.*

m *Tigrides junguntur juxta Bacchum.*]

N. 9. Superſtitio gentilium Baccho ſacras
grides, æqve ac pantheras fecit, illiusqve curr
jungens, ut in nummis etiam apparet, ſignificar
docente Franzio, voluit ex vino reddi ferociore
Aſt Pantheras vino inebrietas capi & ſubjugari,
capite præcedenti conſtat. De Tigribus, qvas no
ſatis à pardis diſtinxerunt veteres, forte eadem f
it opinio, verane an falſa, mihi incompertum e
Veroſimilius ergò eſt, illis imaginibus dominiu
Bacchi in feras etiam animantes fuiſſe ſignificatun
De hoſtilitate Tigridis cum Leopardo refert Da
per. *America p. 243.*

MORALIA.

I. DIABOLUS.

Tigris ſæviſſima beſtiarũ, ne in homines pariter
beſtias pro libidine inſatiabili graſſaretur, natu
parvũ qvoddã animal ei ſociũ fecit, qvod perpetu
ſuo latratu præſentiã Tigris prodit, qvo audito rel
qvæ ſe beſtiæ abdunt, homines aufugiunt. Nieren
berg. *l. 9. hiſt. Nat. c. 15.* Nieuhov. *Legat. Batav. Par*
ult. p. 122. Ne Diabolus, ut tentat, ſeducat o
bem totum Apocal. XII. 9. DEUS miniſtros ver
ordinavit, qvi voce aſſidua acclamant homines,
ſi

ſibi ab inſidioſa crudelitate infenſiſſimi hoſtis caveant.

Tigris, ſi dormientem in cubiculo canem ſimul & hominem offendat, occidet primo canem, poſt hominem lacerabit; ſin Hiſpanus fuerit, & Æthiopem ſervum ſecum habuerit, hunc priorem interficiet. Sin hominem Americanum, hunc ſimiliter primum aggredietur: Ita ut in America Hiſpanis qvaſi qvodam privilegio gaudentibus Tigris aliqvantiſper parcat, & nonniſi ultimis inſultet. Qvod ſi omnes Hiſpani fuerint, ex his primò puſillanimem & excordem trucidabit. Joh. Faber pag. 508. ex fide Gregorii de Bolivar Hiſpani, Monachi Franciſcani, qvi annos XXV. integros in America vixit, & deinde ad Inſulas Moluccas qvoqve, ac in Orientem penetravit. Adde Nieremberg. *l.9. c.15. & 16.* Jonſton. *Hiſtor. Qvadruped. pag.124.* Dapper *Amer. p. 289.* Helbigium *ſupra ex Ephemerid. Naturæ Curioſor. citatum*; Ludolf *Hiſtor. Æthiop. l.1. c.10. n. 46.* Diabolus dormientes primo canes, id eſt, impuros gentiles, deinde Æthiopes, id eſt, Chriſtianos nigros peccatis ſive impios capit & vorat; tandem & pios, ſi ſecuri & ipſi dormiant, adoritur.

Bengalenſes in genua coram ſe procumbentes atqve iram deprecantes, nihilominus laniat & totos devorat Tigris. Diabolus mancipia ſua, qvamvis ipſi per totam vitam ſervierint, qva corpus qva animam ſecum abripit ac in barathrum infernalem recondit.

TY-

II. TYRANNUS, CRUDELIS.

Homo Crudelis, prædo, aut ulciſcendi libidi ne ardens Tigridi ſimilis eſt,addito lemmate: SAN GVINE GAUDET. (n. 4.) Tigres in montibu Chinæ Xuntien ex herbarum paſtu miteſcunt.Ki cheri *China illuſtrata Part.IV. c.10. p.204.* Crude les homines feri magis ſunt tigride: nam in mont Eccleſiæ Sanctæ ſvavisſimis & efficacisſimis verb divini floribus herbisqve paſti incorrigibiles ma nent. Bernhardus in Cantica: *Valde velox eſ* (tyrannus) *ad effundendum ſangvinem, qvi nec in nocentia ſiſtitur, nec patientia retardatur, nec timor frenatur, nec pudore inhibetur.* Tigris manſveſa cta qvamdiu carne recente paſcitur, non facile læ dit; cum caro fumo indurata offertur, non con tenta curatorem etiam ſuum invadit. Mandelsl *Itinerar. pag.167.* Tyrannus placidus eſt & miti erga amicos, qvousqve crudelitatis ſuæ adminiſtro habet; à qvo miniſterio qvi deſiſtunt, aut non ad li bidinem id explent, in eos ipſe furibundus fertur.

III. PECCATOR OBSTINATUS, INVIDUS.

Plutarcho, Æliano, Pierio Valeriano, aliisqv teſtibus, Tigris de (*Aſiatica aut Africana aliter com pertum*) audito tympani pulſu, in immanem fu rorem concitatur; immo nonnunqvam ſonitu it efferatur, ut ſeipſam dilaceret. Unde lemma FIT FERA MAJIS. Ita homines vitioſi, juſt aliqva correptione percepta, mox impatientiæ a

ſtro agitati, ingentes animo turbas cient, & horrenda implacabilis iræ ſigna ſpargunt. Sic Judæi à Chriſto reprehenſi, mox ingenti furore ſunt vociferati, Samaritanus es dæmonium habes Joh. VIII. 48. & à S. Stephano convicti, diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum, Actor. VII. 54. Picinell. *T.I.p.426.* In eadem imagine invidum hominem, qvem juſti felices ſucceſſus exaſperant, conſpicimus. Sic enim Hieronymus ad Pſal. CXII.10. *Peccator videbit (felicitatem & laudem juſti in antecedentibus deprædicatam) & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet,* commentatur: *Peccator videbit, & ad inſtar Tigridis iraſcetur. Sicut enim illa muſico concentu crudelius ſævit & dilaceratur: Sic proſpero juſti eventu peccator iraſcetur, & propriam dilacerabit animam. Vultis tigrim videre? Inſpicite Saulem. Audiverat Saul hanc puellarum odam: percuſſit Saul mille, & David decem millia. Et illico ſacer textus ſubjunxit: iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte.* I Sam. XVIII. 8. 9. Qværit hic idem Hieronymus: *Cur Saul iraſceris, & laus patriæ Salvatoris tibi displicet?* reſpondet autem: *jam cum tigride nobis eſt sermo, non cum homine, & qvi tigris invidia evaſerat, mores illius imitabatur in cantu fæminarum.*

IV. GULA IGNAVIÆ GENETRIX.

In Braſilia magna vis Tigrum eſt, qvæ famelicæ terribili velocitate ſunt, viribusqve tremendis. Eædem paſtæ tanta ſunt ignavia, ut à gregariis canibus confeſtim in fugam agantur. Maffejus *Hiſtor.*

Indic. l. 2. p. 27. Ita cibi potusqve satietas, etiar navos antea homines hebetat.

V. VOLUPTATIS VENEREÆ ILLECEBRÆ.

Hominem, nisi prius ex carne ejus comederit, t met potius Tigris Americana. . Ejus autem ubi s mel sangvinem & carnem degustavit, mirum, qva palato ipsius arrideat, ut ab ea postmodum abstin re non valeat, persеqvatur hominem ad qvadr ginta etiam milliaria, summa cum attentione, v gilantia & patientia, donec tandem incautum n cturno præsertim tempore, & dormientem inv dat. Gregorius de Bolivar apud *Joh. Fabrum p. 50* Similiter adolescentem aliqvando videas, qv qvamdiu veneream voluptatem non percepit, p dicus & castus est, fœminasqve fugit; qvampr mum autem eam gustavit, impudica percitus lib dine ita se gerit, ac si se continere amplius non po sit, persеqvitur fœminam qvotidie summo studio labore clam palamve, donec ea potiatur.

CAP. X.

DE ALCE.

A*lce est animal præcipue Septentrionale*] N. 1. Notum Norwegiæ, Daniæ, Svec Lapponiæ & finitimis, (ubi Elßdier/ Elg, Elgar minatur), itemqve Russis, Lithuanis, Livonib Curonibus, Prussis, Polonis. Qvo vero magis Septentrionem polumqve arcticum deflectimus, rarius aut plane non inveniri probabile sit ex

q

qvod apud Schefferum *in Descriptione Lapponiæ cap. 29. p. 337.* legimus, alces parvo numero in Lapponia comparere, ac in australi duntaxat ejus parte versari. In Silesia cum capitur aliqvando, prodigii fere loco habetur. Sic paulo ante obitum Celsissimi Principis in Silesia Olsnensis Dn. SYLVII captam fuisse alcen, in Concione funebri eidem habita an. 1664. commemorat M. Carolus Ortlob Concionator tum aulicus. Adjicit ibidem in annotatiuncula, ante annos ab eo tempore triginta & amplius Primkaviæ itidem in Silesia visam & captam alcen, non sine omine sinistro subsecutæ sortis ..atis miseræ. Neqve enim peregrina animalia ter..is, qvibus insolenter apparent, facile boni qvicqvam portendere, teste experientia. In Hungariæ & Sclavoniæ silvis magno numero reperiri perhibet Albertus M. *l. 2. de animal. Tract. 1. cap. 3. fol. 37. a. ..l. 1.* De Hungariæ silvis repetit Caspar Schwenckfeld *Theriotropheo Silesiæ p. 53.* Julium Cæsarem ..ib. 6. de Bello Gallico p. 132. scribentem, & in sil..a Hercynia repertas alces, pleriqve reprehendunt ..utantes, aut plane non fuisse ibi alcen, aut si fuit, ..dmodum diversam extitisse ab illa, qvam nunc ..ocamus, ac proinde duplicem constituendam es.., unam veterum, alteram recentiorum. Alii ex..timant alcen veram minus recte & consentanee ab ..so descriptam. In totum voluisse defendere vi..etur Majus *p. 923.* Omnes autem concedunt ..odie non inveniri. Et in Bohemia nunqvam vi..m visam, testatur Balbinus *in Miscell. Historic.. ..gni Bohemiæ l. 1. c. 61. p. 140.* Americanæ alces ..mpratæ à Johanne de Laet *Descript. Indiæ Occi-*

dental. l. 2. c. 12. p. 46. & Dappero *p. 145.* si recte descriptæ sunt ex relatione Josephi Jesuitæ, qvi ex Brasilia an. 1560. rediit, à Simone Majolo *Colloq. Canicular. VII. Tom. I. p. 136. b.* ab Europæis non parum differunt.

Altius & majus est Cervo]

N. 2. In describenda Alce, adeo dissona Cæsar, Pausanias, Plinius, Solinus scribunt, ut indignabundus à lectione eorum discedas. Hinc post eos, qvi ejus feræ meminere, etiam dissentiunt, dum unus Cæsari, alter Pausaniæ, tertius Plinio aut Solino propius accedit. Scaliger, qvi vidit belluam, errores aliorum tollere conatus, ipse commisit *Exercitat. 206. sect. 1. & 2.* notatos ab Apollonio Menabeno, (qvi Medicus Johannis Regis Sveciæ, multos annos in regionibus Septentrionalibus versatus est,) *in Tractatu de Alce*, & Andrea Baccio Medico Romano *in Tractatu de Magna Bestia, sive Alce p. 9* & nuperrime à Peyero *in Commentario de Ruminantibus l. 1. c. 5. p. 33.* Ex Scaligero igitur errorem qvidem hausit Franzius, Helvetiis alcen appellat silvestrem asinum, vel sua lingva Elg; cautior tamen fuit duce suo, qvod Rangiferum, qvem ille aperte etiam qvoad nomen confudit cum alce, distingvat *cap. 15. p. 168.* licet proprietatum aliqvam non evitarit confusionem.

N. 3. Nos, qvæ bene Auctor noster ex αὐτοψ[ίας] scripsit, confirmabimus; qvæ seductus ab aliis, [e]mendabimus, ex D. Johannis VVigandi Episc[opi] Pomezaniensis *vera historia de Alce, Jenæ edita* 1590. Severini Gœbelii Borussi *Historia Brevi de Alce, Venetiis an. 1595. impressa*, Olai VVormii M

ſeo *l. 3. c. 24. pag. 336.* Joh. Schefferi *Lapponia l. c.* M. Uldarici Heinſii, gente Curoni *Diſſertatione Hiſtorico Zoologica de Alce Jenæ 1681. inſtituta.*

N. 4. Altior & major eſt Alce Cervo, eqvique magnitudinem æqvat, aliqvando ſuperat. In Norwegia tam procera viſa fuit, ut ſub ventre ejus qvis ſtare poſſet. Mediam inter cervum & camelum magnitudinem obtinere, refert Eraſmus Stella *in libello de Origine Boruſſorum.* Totum corpus pilis tegitur (crines vocat VVigandus) cineritiis & ſubnigris, digiti fere longitudine, craſſitudine ſetam porcinam æqvantibus, & in parte inferiori caneſcentibus, ut muſcus arborum, hinc nonnullis qvaſi aſinini non male apparuerunt. Non tamen unius coloris ſunt beſtiæ; nam aliæ maculas habent ſubalbeſcentes ſub ventre & in coxis, aliæ non; pleræqve vero cruribus albeſcunt. Pro viciſſitudine anni temporum ſolent etiam colore variare, ita ut hieme magis albæ vel canæ conſpiciantur. In colli ſuperiore parte ſunt capilli altiores cæteris, qvaſi juba aut ſetæ, qvæ per dorſum usqve ad medietatem animalis fere ſe extendunt.

N. 5. Caput habet oblongius cervino, ſed minus decorum aſpectu, qvantitate, figura & colore reſpondens muli capiti. Nares patulæ ſunt & ita amplæ, ut qvis integros pugnos eis facile immittat. Labrum ſuperius craſſius eſt inferiori, propendens & inferius contegens. Qva de cauſa perhibent retrogredi ipſam paſcendo, ne impedimento ſit, ac in priora tendens involvatur. Aliam cauſam retrocedendi attulit Franzius. Sed VVigandus de paſcendi ratione ita referentes decepto

 ait, s

ait, cum non secus ac cætera animalia procedens apprehendat herbas alce. Dentibus instructa est in inferioris mandibulæ parte anteriori octo, semicirculum fere referentibus, ita acutis, ut iis arborum cortices decerpere possit. In superiore, & qvidem anteriore parte oris, nulli prorsus dentes existunt. Mox vero, post intervallum octo digitorum, seqvuntur in mandibula inferiore & superiore, uti in bobus, sex molares duplicati, qvibus ruminat. Lingvam bovis habet, palatum animalium ruminantium. Oris capacitas magna. Barbam habent mares qvidam mox a mandibula dependentem, qvandoqve dodrantalem. Hinc nonnulli putarunt, sub mento Alcis globum carnis conspici palmæ magnitudine, qvali figura depicta est Alce apud Gesnerum. Aures oblongæ & proceræ Cornua æqve ac cervorum solida, immo iis solidiora; eadem qvoqve singulis annis dejicit & recuperat: fæmina itidem cornibus caret. In hoc tamen eadem à cervinis differunt, qvod & latiora & breviora sint, & paucioribus plerumqve ramis constent: duorum palmorum fere latitudinem communiter excedunt, longitudinem duorum pedum vix æqvant. In omnibus alcibus non sunt ejusdem figuræ, sed aut rotunda aut lata, vel ramosa vel sine ramis. Hi palæ (Germanice Schauffel juxta Wigandum) appellari solent, crassitie fere digitorum duorum transversorum. Eos ut in cervis, pro numero annorum augeri, hactenus nemo observavit. Qvo autem grandiores & latiores, majori pretio æstimantur: nam in palatiis suspenduntur ornatus gratia, insertis candelabris.

iisd

iisdem globulos, cochlearia & ſellas confici ſcribit Franzius ex Alberto M. at de ſellis ſive ſcabellis dubitat Heinſius. Pondus cornuum pro feræ ætate atqve corporis mole levius graviusve. Duodecim libras majores communiter aſſignat Apollonius Menabenus. Unum ſeptem tantum librarum Aldrovandus habuit. Triginta libras pendere, qvod aſſervatur in Bibliotheca Sereniſſ. Marchionis Badenſis Durlacenſis, refert Majus p. 927.

N. 5. Collum capiti jungitur ad modum cervorum erectum, magis tamen villoſum, ita ut jubam qvaſi conſtituat, ſed non adeo magnam, ſicut in eqvis. Pectus cum humeris præcipue eſt amplum & robuſtum. Reliqvum corpus non valde longum. Ventre eſt obeſo, cauda brevi, ut cervus. Crura ſunt robuſta, ac priora poſterioribus qvodammodo longiora. Habent flexuras, nodosqve omnino ut cervus, ideoqve alce procumbit humi, ſurgit facillime, dormit recumbens, ut cervus & bos. Fabula ergo eſt veterum a recentioribus incaute accepta, à Franzio pauliſper emollita, qvalem de elephanto commenti erant, crura Alcis ſine nodis articulisqve cohærere, nullamqve ſuffraginibus ineſſe flexuram, ſed perpetuum rigorem, indeqve ſemel prolapſam non poſſe reſurgere, capiqve reſecta arbore, ad qvam ſe dormitura reclinat. Capi autem conſtat nodis, qvo aliæ feræ. Occaſionem figmenti aliqvam licet ex Wigandi p. 42. concludere. Ungulas deniqve habet biſulcas, ceu bos aut vacca, magis tamen acuminatas, qvibus canes, lupos, homines pertundit, fodit, interimit. vid. Olaum M. *l. 18. cap. 3.*

N. 6. Hanc feram Germani vocarunt Elent/ à flebili & miserabili, inqvit Franzius, qvi ipse audivit, voce. Alii à miseria morbi epileptici, qvo sæpius laboret, alii à timiditate nimia, qvod fugiat animalia multo se minora & infirmiora, atqve omni crudelitate vacet, appellatam volunt. Verosimiliorem nos originem cum Schotto Physicæ Curios. l. 8. c. 1. p. 902. repetemus à Septentrionalium gentium voce elg, vel alch/ aut algh, aut ålch/ (Angli scribunt elk) pro qva facile nonnulli pronunciare potuerunt, eleh, eled, tandem Elend/ & deinde in ipsa animalis natura convenientiam nominis investigare. Idem sine dubio ortus est vocabuli latini Alce, -is, aut Alce, -es, & græci ἀλκὴ vel ἄλκη (nam utraq; accentuatione apud Pausaniam extat) qvam qvidem etymologiam cum saltim conjectasset Vossius *in Etymologico*, ei non assensi sunt Heinsius & Majus, ac putarunt petendam à græcæ lingvæ voce ἀλκὴ, qvæ fortitudinem aut remedium declaret. Utram eligas notionem, qvadrare in alcen ostendunt. Nam & robustum est animal & procerum; continuum, nervorum & ungularum magna laudatur virtus. Curoni & Livoni lingva propria, qva in istis regionibus utuntur homines plebeji, Brehdi nominant, qvod vocabulum, interprete Udarico Heinsio, significat robustum, pingve, procerum. Similiter Gallis olim dicta la grande beste, hodie l'lan; Italis etiam vulgo grandem bestiam appellitam fuisse, discimus ex Andreæ Baccii Medici Philosophi Romani tractatu, qvi ex Italica in latinam lingvam conversus à D. Wolfgango Gabchovero, & impressus Stutgardiæ an. 1598. titulu

ger

gerit: *De magna bestia, à nonnullis Alce, Germanis* Ellend *appellata.* Loco generalis illius nominis in Dictionario Levini Hulsii extat: *Cervo, ò capra saltatica.* Albertus M. *l. 2. tr. 1. cap. 3. fol. 37. a.* eqvicervum vocat, qvod cornua habeat ut cervus, jubam sicut eqvus. Infra autem *l. 22. fol. 220. b.* hunc eqvicervum septentrionalem, ab Orientali, qvem Solinus descripsit, distingvit. Majus id nomen non admodum conveniens censet, cum tamen descriptionem ante factam approbet. Olaus M. Alcen & Onagrum, sive Asinum silvestrem usurpat promiscuè, non absqve ratione, si credas Baccio *pag. 13.* male, si assentiaris Erasmo Stellæ *de Origine Borussorum* apud Aldrovand. *de Qvadrupedibus Bisulcis cap. 32. fol. 358.* qvod asini agrestes tantum in Asia & Africa reperiantur. Et omnino confundendæ hæ feræ tam dispares non sunt.

N. 7. An in sacris literis Alcis sit mentio, non satis expeditum est. Dietenbergerus, Lutherus, Munsterus Deut. XIV. 5. זמר *Samar* interpretantur *Alcen.* LXX. Hieronymus, R. Jonas & Kimchius, Arabes interpretes duo editi, Auctor Versionis Persicæ, Gesnerus de Qvadrupedibus pag. 1. Tremellius & Junius, *Camelopardalin* vertunt. Bochart *part. 1. col. 909.* cum Diodato & aliis mavult *Rupicapram* intelligere, dictam ab arabico verbo רמ *ramasa*, vel זמר *Samara*, Salire saltu capreæ. Et Judæi in Germanica Versione habent ein Gembs. At pro Alce disputans Uldaricus Heinsius, putat eam *Samar* appellatam, ex hebræa radice זמר *Samar*, amputavit, præscidit; unde זמורה *Semora*, sarmentum, palmes, qvod cornua habeat bestia far-

mentosa, adeoqve amputanda. Majus *p. 917.* Forsterum & Avenarium *in Lexicis* secutus conjicit, altero vocabulo אקו *akko*, qvod in eodem Deuteron. loco legitur, alcen significari, ab אנק *anak* clamare cum gemitu; qvalem miserabilem ejus animantis vocem esse constat.

N. 8. De virtute antiepileptica ungularum persvasio, non tantum apud vulgus, sed & Medicos altissime hæret. Eam ex eo deducunt, qvod alce morbo comitiali sive epilepsia sæpe infestata, ungula posterioris dextri pedis indita auriculæ sinistræ, facile sibi medeatur. Qvem morbum ejus animalis pariter & remedium adversus eos, qvi suo tempore in dubium vocaverant, ex professo defendit Baccius *p. 16. sqq.*

N. 9. Qvod morbum attinet & medelam propriam, ego crediderim Wigando, Gœbelio, aliisqve, qvos consului fide dignis testibus, inculpatæ sanitatis animal esse alcen. Confer Camerar. *Cent. 2. Emblem. XLVI.* Christoph. Hartknochs alt- und neues Preussen im ersten Theil cap. 3. fol. 215. De virtute ungularum cornuumqve adversus epilepsiam, & nervorum ad solvendum spasmum membrorum, fidem faciunt recentiores Medici, è qvibus Olaus Wormius Medicus Regius Haffniensis *in Museo l. c.* cui tamen suas contrarias observationes opponit Franciscus Redus *in Experimentis Naturalibus p. 142.*

N. 10. Tanta cursus pernicitate Alces pollet propter longa crura, excitante ad fugam insuper timiditate, ut non tantum venatores, sed etiam canes luposqve sibi infestos post se longe relinqvant

pal

aludosa loca celerrime pervadat & eluctetur. Na-
atu instar cervi fluvios, etiam maximos & stagna
ata superat. Cicurari etiam eam, ut jumenti vi-
ce currum trahat, ex Olao M. *l. XI. c. 36.* Gesnero
pag. 3. Aldrovando *p. 359.* Scaligero *l. c.* narravit
Franzius; repetiit Vossius *de Idolol. l. 3. c. 63.* Qvos
Auctores confundere Rangiferum cum Alce, Wi-
gandus, Heinsius ac alii non dubitant asserere. Car-
nium usus est in cibis; sed sapore cedunt cervinis,
mo & bovinis. Coqvuntur sæpius, cum assatæ
non tam bene sapiant. Pellis admodum crassa
majorem impetum arcet, qvam cervina. Unde
ex iis thoraces præparatos primarii milites magno
pretio emunt. Ex eadem pelle balthei & cingula
funt, qvibus onera gravia portantur.

N. 11. Coeunt alces sub finem Augusti, qvo tem-
pore ex densioribus silvis in campos prodeunt pa-
entes. Non ineunt more cervorum prælia, aut
dimicant de fœmina, sed singuli habent suam ad-
junctam sociam. Pariunt tanqvam Cervæ & vac-
æ unum vitulum, qvem uberibus nutriunt, duos
aut tres rarissime. Pariendi tempus incidit in
dies Paschatis. Matrem seqvuntur vituli annos
duos vel tres, cui tantopere adhærent, ut ea traje-
cta globulo bombardæ atqve corruente non aufu-
giant sed consistentes intueantur, donec ipsi trans-
fossi simul concidant.

N. 12. Alci similem bestiam velocissimam in
Moscovia Machlin Franzius aliiq; perhibent, qvam
intelligamus, non docent. Plinius ac Solinus in
Scandinavia natam similem ajunt alci, præter-
qvam cruribus, qvæ machli rigeant, alci inflectan-
tur.

tur. Cæsar alcen cum achli confundit. Qvod n men attinet, habent qvidem impressi libri machli sed Codices qvamplurimi optimi manuscripti, ac lin, uti edidit Harduinus. Confirmat hanc lecti nem Albertus M. qvi, ubi de Alce dixit, deinde Achlin pergit, qvanqvam ea nominà perperan apud ipsum scribantur, *Alches* pro Alces, & *Al* pro achli, in duabus vetustis editionibus, an. 14 Venetiis, & an. 1519. ibid. ac in exemplari Lugdu an. 1651. impressis permutatis literis, Alci pro Ac li. Declarat nihilominus alphabeti series, qva in describendis animalibus seqvitur Albertus, ab litera hujus vocis initium ducendum. Qvid si ig tur achli ex alch aut aelch derivatum ac corruptu sit? Certe machlis Plinii, & alce Cæsaris non disti gvitur, & ipse Plinius ac Solinus machlin similem alci dicunt, nisi qvod illi rigorem crurum affingar Gesnerus qvoqve *pag. 2.* alcen ac machlin unam e se feram arbitratur, duobus nominibus expressar At Peyerus *de Ruminant p. 35.* machlin pro Rang fero habet, qvippe Scandinaviæ peculiariter adsc ptam à Plinio & Solino. Conjicit autem artic lorum in Rangiferis inter ambulandum curre dumve crepitus, ansam dedisse negandi suffrag num flexus.

MORALIA.

I. HUMILITAS UTILIS.

Alce animal in ungula, infima & abjectissi parte corporis vim habet salutiferam, qva mor Epilepsiæ & hystericis malis medetur, qvamobre & am

tamuleti vice gestari solet. Ita in minimis rebus speres magnæ deprehenduntur.

—— Et infima prosunt;
Materiæ ne qvære modum, sed perspice vires.

Manilius *l.4. Astron.* Causin. *Polyhistor.l.7.parab.2.* Camerar. *Centur. 2. Emblem. 46.* Picinell. *Tom. I. pag. 340.*

II. UTI NESCIENTES BONIS ET BENEFICIIS.

Ingenium Alci valde simplex & stolidum. D. Joachim Morlinus Episcopus Sambiensis, Regiomonti pullum alcis cicuravit, qvi in hieme ante fornamen fornacis calefacti consistens, tamdiu calorem ignis excipiebat, donec cutis amburereтur, ex qva læsione exspiravit. Wigandus *pag. 10. b.* Sunt multi homines æqve stolidi, qvi modum in bonorum usu nescientes, se ipsos perimunt. Alios nimia cibi potusqve ingurgitatio, alios immodica Venus, alios favor aulæ abblandiens perdit.

III. BAPTISMUS.

Alce à venatoribus agitata ad aqvas confugit, atqve in iis stans aqvam ore haustam in canes fervidam eructat. Gesnerus *in Paralipomenis ad Historiam Qvadruped. p.1097. ex relatione cujusdam peregrini.* Christiani à dæmone, à tyrannis ad abnegationem fidei tentati, se ad aqvas baptismales cogitatione recipiunt, eas persecutione sua fervidiores redditas exhibent. Ignatius Martyr: *Baptismus Christianorum lorica est.* Dionysia ad Filium

lium Majoricum martyrem inqviebat: *Memento fili, Te in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti esse baptizatum.* Ursini *Acerra Philolog. p. 96.*

CAP. XI.

DE MONOCEROTE ET RHINOCEROTE.

114 UTrum in rerum natura sit unicornis.]

N. I. Μονοκέρατα vi vocis sunt, qvæ unum cornu gerunt animalia. Qvomodo Rhinocerotem Unicornibus annumerant, qvi aut uno itidem gaudet cornu, aut si juxta qvosdam, qvos Franzius seqvitur, præter grandius cornu e nare, alterum minutum habeat super illud, nihilominus à priori illo grandiori, qvo pugnat, nomen accepit.

N. 2. Ast usus loqvendi receptus Unicornes feras nominat, qvæ cornu in fronte unicum habent. Licebit igitur has Frontunicornes, aut Unicornifrontes, Rhinocerotem autem Naricornem aut Nasicornum, Nasen-Horn/ Nasenhorning oder Horn-Naser appellare.

N. 3. Unicornes ejusmodi bestias inter qvadrupedes (de insectis enim, avibus & piscibus, nihil jam attinet commemorare) legimus referri (1) eqvos unicornes in India cervinis capitibus (apud Strabonem *l. 15. fol. 710. D.* ex Onesicrito; Adde Ælian. *l. 3. de animal. c. 41.* Nieremberg. *l. 7. hist. nat. c. 21.* Bartholin. *de Unicornu cap. 19.*) (2) Asinos Indicos seu onagros, eqvo pares magnitudine, albo corpore, capite purpureo, oculis cyaneis, qvibus in fron-

te unum cornu cubitale vel ſesqvicubitale, in medio nigrum, album infra, ſupra puniceum, magni uſus in Medicina; qvorum pedes talos habent nigros, robur & pernicitas ſumma, habitationes in locis deſertis; (vid. Ariſtotel. Ælian. Plin. Pollucem, Philoſtrat. aliosqve à Bocharto citatos *col.933.* Adde Kircher. Mund. Subterr. *Tom. 2. pag. 66. a.*

(3) Boves in India ſolidis ungulis unicornes (vid. Plin. *l. 8. c. 21.* Solin. *cap. 55.*) & in ſilva Hercynia Cæſari *l. 6. de Bello Gallico* memoratos, qvos Biſontes Unicornes Borusſiæ putat Bartholinus *l. c. cap. 16.* qvem verò Stellæ dubiam relationem pro certa arripuiſſe annotat Hartknoch. Des Alten und Neuen Preussen *Part. I. cap. 13. p. 213.*) Vaccas in China veloces, in fronte tereti & oblongo cornu inſtructas (apud Kircher. *China Illuſtrat. Part. IV. cap. 7. pag. 192.*) & in Æthiopia coloris phœnicei, cornu uno è fronte media, longitudine ſupra palmi magnitudinem, in terga reſupinato armatas. (vid. Vartoman. *Navigationum lib. 2. c. 15.*)

(4) Oryges (vid. Ariſtot. *l. 2. hiſtor. c. 7. lib. 3. de partibus animal. cap. 2.*) genus caprarum ſilveſtrium *Plinio*, Cervorum *Columellæ*. vide Bochart. *col. 946.* Talmudicorum קרש monoceros *in Tractatu Cholin ſive de profanis cap. 3.* ſine dubio eſt Oryx. Nam capreis non ſolum ibi accenſetur, ſed & in *Baba Batbra fol. 6. b.* Eorundem bos monoceros, qvem *in Tractatu de Sabbatho fol. 28 b. & in Tract. de Idololatria cap. 1. & alibi*, perhibent à Deo ſingulariter creatum, & ab Adamo ſtatim ſacrificatum, *ex Pſal. 69.* 30. male intellecto eſt confictus. In eundem ſenſum referendum תחש animal unicorne hodie igno-

ignotum, qvod nuſpiam comparuiſſe ajunt, poſt qvam Moſes ex ejus pellibus tabernaculum obtexit *in Tract. de Sabbatho loc.cit.* vid.Bochart.*col.944.*

N. 4. Ad capras ſilveſtres referri poterit Arwe haris Æthiopum, qvod Gregorius Habeſſinus, e regno Amhara, oppido Mecana Selace oriundu Ludolfo deſcripſit (*Hiſtor. Æthiop. I. 10. 78.*) uni corne, capri ſpecie, pernicitate pedum valens, ſæ vum & validum; item Brehis in terra Africæ Ma chikore fronticarne, capræ magnitudine, admo dum ferox apud *Dapper. Deſcript. Inſular. Africa nar. pag. 33.*

N. 5. Cum itaqve Ambroſius *libro de Benedictio nibus Patriarchar. cap.XI. (Tom.IV. Oper. p.270.* neget unicornu animal inter generationes ferarum inveniri, miratur Franciſcus Fernandius de Cordo va Eccleſiæ Cordubenſis Senator & Myſta, *in Dida ſcalia multiplici cap.9. pag. 115.* ac aliis perſcrutan dum relinqvit, cum tot *μονοκέρωτα* à veteribus me morata, ignorare ille non potuerit. Nobis vide tur ſanctus vir, non de Unicornibus omnibus,ſed d famoſo illo, de qvo mox agemus, dubitaſſe. Et verba ejus: *Cornua, qvomodo poſuit unicornuum reqvirendum, cum ipſe Unicornuus inter generatio nes ferarum, (ut periti ajunt) non inveniatur.*

N. 6. Etenim qvi Monocerotem aſſerunt Au ctores, ab hactenus recenſitis omnibus adjectiv appellatis, longe diverſum nobis narrant ſubſtan tive & κατ' ἐξοχὴν nominatum animal, Græcis Μο νόκερως, Latinis Unicornu, Germanis Einhorn Gallis la Licorne, Italis Liocorno, aut, ut mavul Baccius ad evitandam ambiguitatem, Alicorno, A

rab

rabibus, Persis, Tartaris, Indis Carcand, Carcandan, vel Carcaddan, unde Copticum χάρχιν@ pro monocerote descendere potuit. vid. Bochart. *col. 943.* Forte vox ea Orientalium initium debet hebræo קרן *cornu*, unde Arab. קרן *carn* cornu, & קראן *carran* cornutus. Cui si jungas terminationis loco alterum nomen קנה *canna*, hastam, lanceam, significans, prodibit animal unum cornu instar hastæ vel lanceæ gerens; aut adde קנר, procerum, longum. Describunt enim Arabes cornu longum, crassum, cum striis extra gibbosis & intus concavis, qvo etiam elephantum transfixum sursum attollat.

N. 7. Qvod si jam reqviras delineationem hujus feræ, à singulis fere scriptoribus aliam accipies, ut facile intelligas à paucissimis visam, non vane suspiceris, monocerotes asinos, boves, vaccas, visos nonnullis; ac cum monocerote famoso confusos; sane nescias cui credas; merito rideas ab aliqvibus traditam ambiguam, & ex plane disparibus animantibus consutam formam, tanqvam de qvodam errore naturæ ac monstro fabulam facerent.

N. 8. Audiamus primum veteres. Plinio *l. 8. c. 21.* asperrima fera est monoceros, reliqvo corpore eqvo similis, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminente. Solinus *c. 55.* eadem habet, nisi qvod pro cauda apri, suillam posuit, & pro cornu nigro, mirifice splendidum, ac insuper cubitos duos qvatuor pedibus emensus est, & hoc male ex judicio Harduini; conciliat tamen Bartholinus *de unicornu p. 247.* Vix autem dubita-

ri poteſt, eqvum monocerotem in India cervi
capite ex Strabone adductum *n.3.* eandem eſſe
ram, à Plinio & Solino uberius deſcriptam. Æl
nus *l. 16. c. 20.* & Phile *cap.36.* non diſſimilia narra
uterqve tamen de capite cervino tacet, ac cum ju
& pilis fulvis depingit, Phile autem os leonis
fingit. Omnes perhibent animal eſſe Indiæ,
vumqve capi poſſe negant. Aſt Philoſtorgius *l*
c. XI. & Nicephorus Calliſtus *l. 9. c. 10.* ex pictu
Conſtantinopoli conſpecta deſcribunt capite d
conis, cui cornu innatum haut valde magnum
mento undiqve barbato, collo longo ſerpentis ſ
ris ad qvam ſimillimo, reliqvo corpore cervum
cedente, pedibus leoninis.

N. 9. Seqvuntur Recentiorum narrationes.
Paulus Venetus, qvi anno Chriſti 1272. una cu
Patre & patruo in Tartariam abiit, inqve ea mu
tempore verſatus eſt, plurimis in locis reperiri u
cornua apud Tartaros prodit *l. 2. c. 43. l. 3. c. 15.*
c. 28. freqventiſſima autem eſſe in regno Lambr
Inſula Java Majore, *l. 3. c. 21.* ubi formam eorum
hunc modum deſcribit: ***Monocerotes elephantis***
nores ſunt, villo à bubalorum non diſſimili, elepha
nis pedibus, unico in fronte cornu armati, qvo ne
nem unqvam lædunt: eſt illis apri caput, ſemperq
terram pronum, in volutabro luti ſuum more oblc
tur, deformeq; animal eſt, cornu neminem pro
petit, lingva tantum exerta, qvæ pinnis armata
lædit, ac genibus obvia petit, & ſubſtrata premit.
ex citatione Franciſci de Cordova *p. 112.* exſcr
qvem oportet habuiſſe exemplar Pauli Vene
ctionibus non parum diverſum ab eo, ex qvo

c

hartus excerpta verba dedit *col. 934.* cuiqve con-onat ab Andrea Mullero editum. Pater vero Marci Nicolaus Venetus apud Æneam Sylvium *de Asia cap. 3. extremæ Asiæ provinciam nominat, inter Indiæ montes & Cathajum, ubi animal nascatur suillo capite, bovis cauda, unico in fronte cornu, eoqve cubitali, colore & magnitudine elephantis, qvo cum illum continue gerat, cornu veneno mederi, ideoqve in honore esse.*

N. 10. Ludovicus Barthema Bononiensis, aliis Vartomanus Patritius Romanus, qvi plurimas Asiæ & Africæ regiones terrestri ac maritimo itinere perlustravit, *in Itinerario l. 1. c. 17.* retulit, *se vidisse Mecchæ in Arabia duos monocerotes, à qvodam Æthiopum Rege missos Sultano, septis asservatos, qvorum alter major, magnitudine erat pulli eqvini triginta mensium nati, alter minor magnitudine pulli unius anni: color erat eqvi mustelini, (subfuscus habet de Cordoba) caput cervi, collum non oblongum, jubæ rarissimæ perbreves ab altera tantum parte dependentes, tibiæ tenues ac graciles modo hinnuli, cæterum plurimis pilis vestitæ, ungulæ anteriorum pedum bifidæ, capripedes ferme referentes. Cornu prominebat in fronte unicum, sed adultiori longitudine trium cubitorum, minori qvatuor palmorum. Ferum id videtur animal, verum ferociam mansvetudine qvadam temperabat.*

N. 11. Garcias ab Horto *l. 1. histor. Aromat. c. 14.* viris fide dignis accepit, qvi vidisse se affirmabant, *inter promontorium Bonæ Spei & aliud promontorium vulgo de Currentes nuncupatum, terrestre qvoddam animalis genus, licet mari etiam delectetur, qvod*

 caput

caput & jubam eqvi haberet, (minime tamen ma eqvus esset) cornu præditum duos palmos oblongo bili, qvodqve nunc in dextram, nunc in sinistran verteret, modo illud attolleret, modo demitteret, animal cum elephante ferociter præliaretur, eju cornu adversus venena laudaretur.

N. 12. Paulus Jovius *Historiar. lib. 18. pag.* de regno agens Gogiano, qvod supra Nili ortu extrema pene Africa jacet, excelsis montibu densissimis silvis immanium omnis generis be rum plenis abundans: *Monoceros, animal unic à nostris appellatum, pulli eqvini forma, colore reo, jubata cervice, hircina barba, bicubitali c armatam frontem præfert, qvod levore candoreq eburneo & pallidis distinctum spiris, ad obtund hebetandaq; venena, mirificam potestatem haber citur.*

N. 13. Si, qvæ Arabes de monocerote fabu tur pleraqve, nosse cupis, à Bocharto collecta r ries *col. 934.* Nobis recentissima de Unicornu t monia afferre hic placet.

N. 14. Franciscus Marchio de Magellanes, canus, nomine Regis sui Gvinensis ad Curla Ducem Legatus, Haffniæ 1652. mense Octobri s stens, visisqve rarioribus in Technicotheca R inprimis Unicornu nuper ex Groenlandia adv undecim Spithamas longo, miratus est cornu lo tudinem, monuitqve diversum in patria sua cornu reperiri, ex genere qvadrupedum, de Thomæ Bartholino hæc retulit: *Unicornu qva pes Africanis* Tirè bina *vocatur, i. e. cornutum nal: velocissimum & ferum in deserto magno C*

Africa oberrat, unde vivum capi facile neqvit, sed sagittis figitur. Cadaver tamen in deserto reperitur: magnitudine & forma eqvum mediocrem exprimit, capite, cruribus & pedibus pilosis, juba brevi, vixq; spithamam prolixa, cauda eqvina, sed non valde pilosa. Cutis universa glabra, pilis brevissimis. Color in dorso cinereus, linea nigra per medium dorsi excurrente, à maxilla verò inferiori ad abdomen candidissimus. In fronte crinium fasciculus visitur, ex cujus medio excrescit cornu unicum, cui fasciculus ille pilorum semper adhaeret, qvanqvam cornu à fronte animalis sit separatum. Cornu ipsum vix tres spithamas superat, octo vel novem circiter pollices crassum in basi. In apice hujus cornu fasciculus pilorum rufrorum est appensus, pugni amplitudine. Cornu neq; in gyros contortum, instar Unicornu borealis, sed exiguas eminentias habet & incisuras, qvae à fronte ad apicem recta linea producuntur. Color flavescens; flavum circa radicem. Mas solus cornu isto visitur, foemina sine cornu, in reliqvis mari simillima. Magnum huic cornu pretium est: contra venena omnia exhibetur. Fera anteqvam bibat, semper cornu aqvis mergit, qvae exinde plane turbantur. Unde Africani cornu adhibituri, apicem cum fasciculo pilorum aqvis mergunt, ex qvo deinde aqvam salutis gratia exsugunt. Caro non ingrati saporis; recenter cocta & comesta lepram curat. Pili caudae in pulverem cremati, & in vino Hispanico assumti, dysentericis prosunt. Affirmavit Magellanicus ex figuris, qvas Aldrovandus & Jonstonus unicornuum exhibent, nullum propius accedere, qvam eqvum Monocerotem.

Tab. 10. Jonstoni depictum, nisi qvod ungulis sit f[...] dis solidipes: Fassus verò idem est, se nullum mo[...] cerotem vivum vidisse. Bartholin. *de Unicornu [...] 24. p. 217. sqq.* Wormius *Musci l. 3. c. 14. p. 287.* ex ipsis Deusing *in Fasciculo Dissertationum S[...] ctarum pag. 641.*

N. 15. Joannes Gabriel Tribunus Lusitanus, in Æthiopia versatus, vidit apud Agawos in Re[...] Chamatæ animal pulchro in fronte cornu, qvin[...] palmos longo & albicante præditum, mediocri[...] qvi magnitudine & forma, coloris Spadicei, j[...] atqve cauda nigris, sed brevibus & tenuibus, (a[...] tamen visum crassioribus & longioribus.) In d[...] fissimis silvis solitarium vivit, & raro in cam[...] progreditur: cursu velocissimo valet. Hieron[...] Lupi Jesuitæ Portugallensis Comiti itineris, iti[...] de Societate Jesu, anxie cupienti monocerotem[...] oculis videre, incolæ pullum captum attuleru[...] qvi paucis diebus, cum tener admodum esset, n[...] tuus est. Lusitani in rupem qvandam excelsan[...] gionis Naniæ, qvæ Gojamæ pars est, ab Ada[...] Saghedo Imperatore relegati testati sunt, se pl[...] mos tales monoceroces in subjacentibus silvis[...] scentes vidisse. *Ex Hieronymi Lupi Æthiopia[...] per perlustrata Thomas Brovvn Pseudox. Epidem[...] c. 23. p. 664.* Qvæ descriptio Lusitanorum, ex[...] bus habent suam Johannes de Bermuden, Ludo[...] de Urrera Ordinis Prædicator. *in Æthiopiæ de[...] ptione Hispanica an. 1610. Valentiæ edita lib. I. p.[...]* Marmolius *lib. 1. Africa c. 23.* veritati magis [...] gruere videtur Ludolfo *Histor. Æthiop. I. 10.*

Qvæ enim veteres recentesqve auctores de unicornibus scripserunt, tam confusa ait idem, ut qvædam de rhinocerote, qvædam de oryge, qvædam de asinis Indicis, qvædam etiam de ceto Gronlandico Nahrwhal accipi debeant.

N.16. Dapper. *in Descript. America p.145.* In finibus Canadæ aliqvando conspiciuntur animalia, eqvis qvodammodo similia. Habent fissas ungulas, jubas hirsutas, cornu longum & rectum in fronte, caudam incurvam instar aprorum, oculos nigros, collum cervinum. Morantur in desertissimis locis: timent se invicem, ita ut mas nunqvam cum fœmella pascatur, nisi coitus tempore, qvo feritatem deponunt, sed illo exacto non solum alias feras, sed & suum genus invadunt. Idem pag.241. In Qvivira multi eqvi feri in pascuis conspiciuntur, qvi magnum cornu in fronte habent, qvorum caput cervis, pellis mustelæ similis, collum breve, cum jubis ex uno latere deprehendentibus, crura tenuia, & pedes caprini. Confer Della Valle. *Part. IV. pag. 2. b. & 3. a.*

N.17. Otto de Guericke, Consul Magdeburgensis, *in Experimentis de Vacuo Spatio l.5. c.3. fol. 155. b.* Anno 1663. Qvedlinburgi in montis vulgò Zeunickenberg, ex qvo materia calcis effoditur, rupe qvadam repertum est Sceleton Unicornis, in posteriore corporis parte, ut bruta solent, reclinatum, capite sursum elevato, ante frontem gerens longe extensum cornu crassitie cruris humani, atqve ita secundum proportionem longitudine qvinqve fere ulnarum. Animalis qvidem hujus sceleton pri-

mum ex ignorantia fuit contritum, & particulat
extractum, donec caput unà cum cornu & aliq
bus costis, spina dorsi atqve ossibus Reverendissin
Principi Abbatissæ ibi fuit traditum.

N. 18. Tavernier proficiscens Agra Bengalar
obviam habuit Monocerotem in agro miliario v
scentem gramine milii, qvod puer novem vel c
cem annorum porrigebat. Ad ipsum Tavern
rum similiter aristas miliarias offerentem ea besl
accurrebat, & os suum qvinq; vel sexies aperieb
Ingerebat ille ipsi aliqvas aristas in os, qvibus dev
ratis ore rursum aperto plures sibi dandas indic
bat; *Part. II. Itinerum Indicor. pag. 29. a.* Eod
narrante *pag. 189. b.* Rex ab Achen Legatum B
gicum secum ad venandum monocerotes duxit, v
luitqve ut idem unum interficeret. Qvo facto co
nu præfectum Legato donavit. Succenseas A
ctori nihil de forma, qva apparuit ipsi monocer
subjicienti, præsertim cum sua narratione tam cic
rem bestiam prodat, qvam alii feritate insuperab
describunt.

N. 19. Atqve hæ relationum copiæ novæ, an co
junctæ cum veteribus eos, qvi hucusqve monocer
tem ejusmodi esse negarunt, convincere prors
valeant, ut victas dent manus, dubito. Nam si si
gulas lustrare nunc liceret, forte inter se ita co
mitti possent, ut in se ipsæ pugnarent, mutuoq
perimerentur aut dissiparentur. Mihi sufficit nu
Viros aliqvos doctos allegasse, qvi de eo anim
qvasi antesignani qvidam acriter pugnarunt. S
periori sæculo Andreas Marinus libello Italice sc
P

pto contendit, ab Arabibus ficta esse omnia, tam qvæ de monocerote, qvam de cornu virtute circumferuntur. Andreas Baccius contra alio libello Italico vera ea propugnavit. Hunc ex Italico latinum fecit ediditqve Wolfgang Gabelchover, *Stutgard: ann. 1598.* Utrumqve in brevem Synopsin contractum, latinum reddidit, & vulgavit Aldrovandus *lib.1. de Qvadruped. Solidiped. cap.6.* Baccii qvidem argumenta aliqva perstringens, sed tamen ipsam ejus opinionem deinde adstruens. Nostro sæculo pro Marino contra Baccium militavit Joan Baptista Silvaticus Mediolanensis Medicus *in Tractatione de Unicornu, Lapide Bezoar, Smaragdo & Margaritis excusa Bergomi ann. 1605.* Pro Baccii sententia scripsit Laurentius Catelanus Pharmacopæus Montispessulanus, *Discursum Historicum de Unicornu gallice, versum germanicè à D. G. Fabro Castri Fridberg. Medico, impressum Francofurti 1625.* cujus summam exhibuit Zeiler. *Part.I. Epist.68.p. 791.* Alios multos in eandem sententiam, cui ipse accedit, allegat Caspar Reies *in Campo Elysio Qvæst. 67.* Ast Marinum seqvi placuit Paulo Ludovico Sachsio Med. D. *in Monocerologia seu de Genuinis Unicornibus Dissertatione Raceburgi ann. 1676. vulgata.* Medium tenuere Thomas Bartholinus *in Tractatu de Unicornu primum edito Patavii an.1645.* & Filius Caspar *in secunda ejus editione auctiori Amstelodam. an.1678.* Deusingius *in Fasciculo Dissertationum Selectar. de Unicornu n. 48. p. 287.* Brown. *Pseudodox. Epidem. l. 3. cap. 23.* asserentes animal esse, cornu autem virtutem tantopere decantatam

nibus in pretiosa supellectile Regum & Principum asservatis, ac auro contra æstimatis, in Thesauro Hispaniarum Regis, Windsoræ in Anglia, in templo S. Dionysii prope Lutetiam Parisiorum, Frederici Burgi in Dania, Dresdæ in ἐξωτικοθαυματουργηματοταμείῳ (*voce Vechneri in Breviario Germaniæ*) Romæ, Venetiis ad S. Marcum, Florentiæ, Trajecti ad Rhenum, Argentinæ, Metis, Cracoviæ, Pragæ, alibiqve etiam in privatorum museis. Habent scil. ea aut pro cornu, aut ut qvidam malunt, pro dente balænæ Groenlandicæ, aut pro cornibus onagrorum aliorumve animalium. vid. Francisc. de Cordova *l.c.p.124.* Bartholin. *de Unicornu cap. 27.* Kircheri *Mundum Subterran. Tom. II. lib. 8. Sect. 2. cap. 5. p. 66.* Deusingium *de Unicornu num. 38. p. 276.* Brown. *Pseudodox. Epidem. l. 3. c. 23. p. 670.* Bochart. *Part. I. col. 955.* Sachsium *cap. 7.* Stalpartium vander Wiel *l. c. p. 498.* Atqve huic cornu vel denti Balænæ Septentrionalis easdem vires, qvas monoceroti qvadrupedi vulgo adscripserunt, vendicant. Olaus Wormius *l. 3. Musei c. 14. p. 287.* Bartholin. *l. d. c. 29. p. 299.* Sachsius *cap. 9. & 10.* attestante experientia, in bestiis etiam facta, pollere insigni vi alexipharmaca, & in febribus malignis sudorem potenter efficere. Adde Deusing. *num. 34. pag. 271.*

N. 23. Iidem Auctores monent, ne agyrtis fidamus, vel elephantum dentes & ossa, vel cetacei generis costas arte mollitas, in striatam formam reductas & politas, vel sæpius cornu fossile care vendentibus pro unicornu vero. Cornu enim istud, qvod in Germania passim & in Italia effoditur, minerale

nerale eſt in viſceribus terræ elaboratum, non contemnendarum etiam adverſus morbos nonnullos virium. Vide Bartholin. c.37. Qvare hoc corpus Subterraneum eorum opinionem juvare non poteſt, qvos putaſſe memorant Voetius *pag.731.* & Harsdorffer *Secretar.Germ. Part.II. Sect. VI. Epiſt. 35. p.679.* Reies *in Campo Elyſio Qvæſt.67. num. 12. & 14.* Speciem monocerotum diluvii aqvis aut alio caſu periiſſe integram, qvorum ſubinde ſub arena, aut ſub aqvis, qvæ ſilvas inundarunt, cornua reperiantur.

Cum Scriptura Sacra imagines paſſim ex natura Monocerotis ſumtas uſurpet.

N. 24. Animal, qvod Scripturæ Sacr. appellant רים *rem* Job. XXXIX. 9. aliis 12. freqventius ראם *reem*, unde plurale ראמים *reemim*, & defective רמים *remim* Pſal. XXII. 22. eſt (1) procerum, Num. XXIII. 22. & XXIV. 8. Balaam de Iſraele: ראם לו כתועפות tanqvam altitudines *reem* ipſi ſunt. Sic Pſalm. XCV. 4. ותועפות & altitudines montium ipſius ſunt; Job. XXII. 25. & argentum תועפות לך altitudines tibi erit, i. e. in cumulos exſurget. (2) ad ſaltum habile Pſalm. XXIX. 6. Facit (vox DEI) ut exſiliant cedri ſicut vitulus, Libanus & Sirjon (id eſt, Hermon Deut. III. 9.) ut filius (ſeu hinnulus) *reemim.* (3) validum, ferum, indomitum, Job. XXXIX. Num volet רים *rem* ſervire tibi? num pernoctabit apud præſepe tuum? num ligabis *reem* in ſulco fune ſuo? num occabit valles poſt te? Num fides ei, qvod magnum robur ejus ſit, ita ut committas ei labo-

laborem tuum? Num credes ei, qvod reportabit fruges tuas, & in aream tuam colliget? (4) cornutum, & celso cornu, aut celsis cornibus terribile, Psalm. XCII. 11. Et attolles, ut *reem* (id est, ut *cornu reem*) cornu meum? Deut. XXXIII. 17. de tribubus Ephraim & Manasse: Primogeniti bovis decor est ei, & cornua *reem* sunt cornua ejus, qvibus populos pariter feriet ad terminos terræ. Psal. XXII. 22. *Serva me ex ore leonis, & à cornibus* remim *exaudies me*. Hinc ut magnates cum juvencis & tauris, ita & cum *reemim* conferuntur Principes Idumæorum Jes. XXXIV. 7. & hostes Christi crudelitate ferocissimi ac plane insuperabiles, qvi cornibus suis veluti directe ad ipsum collimabant, undiqve incurrebant, feriebant, perterebrabant, pessumdabant, Psalm. XXII. 22. Istis de *reem* locis male adduntur Psalm. XXXVII. 20. & Psalm. LXXVIII. 69. perperam enim sunt translata. Vide Bochart. *col. 950*.

N. 25. In qvibus Scripturarum sententiis, qvæ bestia intelligatur, aut nesciunt aut hariolantur Interpretes. Primo Paraphrases Chaldaicas frustra consules. Nam in Pentateucho invenies רומנא *ruma*, in Jobo רימנא remana. Similiter in Arabica Erpeniana Pentateuchi ريم *rim* seu *rem* occurrit. Versio Psalmi Arabica Psalm. XXII. 22. habet, *à cornu elato super humilitatem meam*.

N. 26. Secundò LXX. μονόκερως verterunt ubiqve, nisi qvod Jesaiæ XXXIV. 7. ad sensum attendentes explicarunt, ראמים *reemim*, οἱ ἁδροὶ robusti. Scilicet cum Græcos asino Indico vel monoco-

nocerori eadem fere tribuere cognoviſſent, neſciverunt ſibi ignotum animal convenientius interpretari. Attamen contradictionem in adjecto, ceu vocant Philoſophi, proferunt Deuter. XXXIII. 17. κέρατα μονοκέρωτος τὰ κέρατα ἀυτοῦ. Arabica Saadiæ verſio l. c. Devteron. & Pſalmorum editio Savariana *reem* explicat *Carcaddan* i.e. monoceros. Perſica interpretatio Pentateuchi habet *Kerck*, qvod nomen à Lexicographo Perſa, Paraphraſi Turcica exponitur, magnum animal, qvod in India reperitur, magnum juxta frontem cornu gerens, ac tanti roboris, ut cornu ſuo elephantem attollat, ac donec illi diffluat pingvedo, ſuſtineat. Vide Deuſing. *de Unicornu num. 5. & 6.* Æthiopicus interpres ubiqve reddit, (Beſtiam) *cui unum cornu.* Habuerunt igitur qvos ſeqverentur, Interpretes Scripturæ recentiores, tam Latini Munſterus, Caſtalio, Mercerus, Mollerus, Junius, Tremellius, Oſiander, Piſcator, Druſius, qvam Germani, Galli, Belgæ, Itali, Hiſpani, aliiqve tantum non omnes.

N. 27. Qvibus opponit Bochartus *col. 958.* (1) merito dubitatur, an vere extet monoceros, hoc eſt, unicornu animal, qvale ſub hoc nomine deſcribitur à veteribus. (2) eſto, in aliqvo Indiæ aut extremæ Nubiæ angulo, verſus Nili fluvii fontes, latere monocerotem: id non potuit eſſe Judæis compertum ante Salomonis tempora. At David & multo ante Job & Balaam, & Moſes ſimilitudines ab eo, tanqvam noto animali ſumſerunt. (3) Recentis ævi Judæis qvidem *Reem* eſt monoceros, non in Prophetarum & veterum Hebræorum ſcriptis. Nam

Nam Devter. XXXIII. 17. non solum τῷ *reem* tribuuntur duo cornua, sed & cum his duobus cornibus conferuntur duæ tribus, Patrem agnoscentes Josephum, Ephraim & Manasse. Et Psalm. XXII. 22. cornua duali numero nominantur. R. Eliezer *Capitulo* 19. *ad Psalm. XCII.* 11. Exaltabis cornu meum, ut רא *reem*, supplet cornua, dicens, cornua *reem* voluisse Prophetam afferre, qvod altiora qvam bestiæ cujuslibet sint, & feriat (*reem*) cornu tam sinistro qvam dextro. Talmudici in *Zebachim cap.* 14. *fol.* 113. *b.* disputantes, qvid diluvii tempore factum sit de *Reem*, qvi cum montis instar fuerit, non potuerit in arcam ingredi, respondent à Noacho arcæ alligatum fuisse cornibus (juxta glossam marginalem) duobus. Vide Beresch. Rabba *section.* 3. 1.

N. 28. Tertiò Aqvila per Rhinocerotem vertit, qvem seqvuntur Oleaster, Steuchus, Forerius, Mariana, Deusingius n. 12. Huc referendi, qvi cum monocerote confundere accusantur Tertullianus, & ejus Scholiastes Pamelius, Gregorius, Isidorus, Albertus M. Arias Montanus, aliiqve apud Schottum *Physica Curiosæ l.* 8. *c.* 58. *pag.* 1074.

N. 29. Objicit Bochartus *col.* 958. (1) Judæis veteribus rhinoceros fuit incognitus, & apud Arabes altum de eo silentium, nisi qvod in monocerotis descriptione nonnulla inferciunt, ex historia rhinocerotis, puta in elephantem immane odium, & qvod ex India & interiore Æthiopia volunt advehi. (2) Ex verbis Davidis, *exaltabis cornu meum, ut* τῷ *reem*, supple cornu, vel cornua, apparet agi de fera, cujus

cujus cornua sunt valde celsa, ut notavit Aben Esra. At contra depressissimum est cornu rhinocerotis situs ratione, & breve ratione molis.

N. 30. Qvarto vulgatus Interpres Latinus, inter secundam & tertiam sententiam medius, modo monocerotem aut unicornem reddit, modo rhinocerotem. Unde suspicio nascitur Schotto, eundem qvoqve eas bestias commiscuisse. Sed Rhinocerotem apud Jobum *cap. 39.* & forte etiam in locis Scripturæ, ubi monocerotis exstat vox, intelligi debere volunt Pineda & Sanctius, auctoritate Versionis illius inducti, qvam omnino seqvendam ibi esse, diserte inculcat Franciscus de Cordova *p. 121.* Nimirum arbitrantur *Rem* esse nomen commune, qvod & rhinoceroti & monoceroti qvicunqve sit ab illo distinctus, æqve conveniat. Hinc nominatus *de Cordova* a confusionis culpa Patres *n. 28.* allegatos & omnes cæteros, qvotqvot rhinocerotem unicornem appellarunt, purgaturus, *inqvit*, non intellexisse ipsos unum atqve idem animal esse illud, qvod proprie Unicorne dicitur, & qvod Rhinoceros, sed eo qvod unicum etiam cornu habeat rhinoceros, generali & aliis etiam animantibus communi nomine appellare illud voluisse. Enimvero nullibi in locis Scripturæ rhinocerotem commode intelligi argumenta *n. 29.* contra tertiam sententiam adducta militant. Franzius cum pariter doceat ראם Unicornem & Rhinocerotem denotare, argumentum qvod ex Scriptura S. petit pro monocerote, ipse enervat.

N. 31. Qvinto Arnoldus Bootius in Animadversionibus Sacris l. 3. c. 1. repudiatis aliorum opinionibus, putat *reem* esse speciem bovis feri, eumqve u-

rum; qvia (1) in multis Scripturæ locis bos & reem ſimul junguntur, ut cognata animalia; Pſalm. XXIX. 6. *Subſultare fecit eos ſicut vitulum, Libanum & Saronem veluti pullum reemim.* Deuter. XXXIII. 17. *Decorem habet, qvalem bos primogenitus, & cornua qvalia reem: iisqve (cornibus taurinis ac reemim) populos impetet.* Jeſaiæ XXXIV. 7. *Dejicientur cum ipſis (i. e. cum arietibus & hircis) reemim, & boves una cum tauris.* Inprimis ad rem facit Pſalm. XXII. ubi juvencis prægrandibus ac tauris baſanicis (i. e. validis, magnis & obeſis, qvales ſunt tauri montis illius paſcuoſi) v. 13. reſpondent v. 22. reemim, ſicuti canibus v. 15. canes v. 21. & leoni v. 14. & 17. leo v. 22. (2) Reem eſt animal ferum, indomitum, cornibus ingentibus & prævalidis metuendum, ut patet ex locis citatis Deut. XXXIII. Pſalm. XXII. maxime ex Pſalm. XCII. 11. Qvæ proprietates in urum a Cæſare, Plinio & Solino deſcriptum optime conveniunt.

N. 32. A qua veriſimili admodum ſententia ex judicio etiam B. Geieri *in Pſalm. XCII. 11.* Bochartus diſſentit ob hanc potiſſimum cauſam, qvod urus ævo Moſis, Jobi & Balaami Judæis non innotuit, cum non conſtet uros alibi fuiſſe, qvam in Hercynia ſilva, aut locis parum ab ea remotis.

N. 33. Sexto Bochartus *col. 961. ſqq.* Arabum, Chaldæorum, Syrorum, & veterum Hebræorum communi ſuffragio conatur perſvadere, ראם *reem*, vel רים *rem*, non eſſe in boum, ſed in caprearum cenſu. Itaqve in Scriptura notari ea voce aut capream bicornem, quam aſſerit ſtatura cervo ſimilem, longis & acutis cornibus, admodum feram, aut potius capreæ ſilveſtris ſpeciem, orygem candidum, valde pinguem,

pinguem, longis & acutis cornibus, qvandoqve unicornem,& non solum Æthiopiæ, sed & Ægyptiis adeoqve Judæis notissimum. Bene etiam in locis Scripturæ nonnullis cum bobus conjunctum, qvod animalia cervini generis cum natura bovis silvestris aliqvid habeant commune. Atqve tales Orygas arbitratur col. 955. vidisse Vartomannum *(citatum supra n. 10.)* neqve enim eos fuisse monocerotes solidungulos, aut pedibus ἀδιαρθρώτοις, qvales asini & eqvi, & elephantes habent, sed bifidos caprarum aut cervorum modo. Subjungit ibidem formam eorum ex veteri Tabula in Italia, ut putatur reperta, & ab Huetio sibi communicata, in qva oryges plures vario situ depicti cernuntur. Qvam Bocharti dissertationem copiosius excerptam invenies in Poli *Synopsi Crit cor. ad Num. XXIII. 22.*

N. 34. Cum itaqve Bochartus neget dari Monocerotes, de qvibus veteres, sed fateatur tamen esse Oryges, hac tantum in parte a monocerotibus differentes, qvod Monocerotes veterum solidis ungulis seu pedibus ἀδιαρθρώτοις fuisse dicantur, Oryges autem bifidos pedes habuerint caprearum aut cervorum modo, præstitisset ex sententia Joannis Clerici *in Annotationibus ad Qvæstiones Sacras Stephani Clerici patrui sui pag. 296.* dicere, fuisse qvidem monocerotes, sed male a veteribus descriptos, qvam semel negatam rem, nonnihil immutatam affirmare. Pergit laudatus Clericus: Si tales Oryges unqvam fuerunt, nihil verosimilius est, Veteres ea animalia monocerotes appellasse, qvamvis in eorum descriptione aliqvatenus peccaverint. At neqve Vartomanni testimonio, neqve Tabulæ a Bocharto prolatæ

multum tribuit. Stalpartius vander Wiel. pag. 515. adversus Bochartum urget, Orygem non esse *Rem*, tum qvod bina plerumqve feratur gerere cornua, tum qvod timidior sit dometurq;, ac lautas luxuriosis præstet epulas Oryx.

N. 35. Nobis Scripturæ loca considerantibus videtur ראם esse Taurus silvestris, validus, ferox, cornibus proceris, pugnax, bisonsne an urus definiri non potest; qvicqvid enim amplectaris, occurrent ex defectu & incertitudine historiæ Naturalis de bestiis in nonnullis regionibus difficultates tam insuperabiles, qvam Remim ipsi domabiles non sunt.

116 *Rhinoceros etiam est grande animal, & ferme tam altum qvam longum.*]

N. 36. Etsi Ælianus *lib. 17. hist. animal. c. 44.* nimis frigidum censuit describere figuram rhinocerotis, ut pote Græcis & Romanis suo tempore notissimam, tamen nec in ea omnimodus consensus est Auctorum. Vide Plin. *l. 8. c. 20.* Solinum *c. 33.* Agatarchidem apud Photium *in Biblioth. cod. 250. fol. 1362.* Diodor. *l. 3. Biblioth. p. 167.* Strabonem *l. 17 Geogr. p. 774.* Oppian. *l. 2. Cyneget. v. 552.* Damianum de Goes *qvinta parte Chronici Rerum gestarum Emanuelis Regis Lusitan. c. 18. fol. 276.* Paulum Jovium *in Elogiis militar. lib. 4. fol. 231.* Scaliger. *Exercit. 205.* Joachimum Camerar. *Cent. 2. Emblem. 4. pag. 9.* Philip. Camerar. *Subcis. Cent. 1. c. 25. Cent. 2. c. 92. p. 394.* qvi ex Jovio sua excerpsit. Inter hos oculatos testes belluæ diserte profitentur se fuisse Strabo ac Damianus de Goës, ex pictura eam cognoverunt Scaliger & Camerarius, forte etiam Jovius. Nos ad descriptionem Rhinocerotis a Jacobo Bontio (qvi millies illum vidit) *l. 5. Histor. Natural. & Med. cap. 1.* factam, a Nieuho-

Nieuhovio *Part. Ult. Legat. Batav. c 16. p. 109.* ac Dappero *in Descript Africa pag. 20.* repetitam, reliqvas narrationes expendemus. Ita autem illa habet: *Rhinoceros,* Indis *Abada, colore subcinericio est instar elephantorum, corpore glabro & depili. Pellis rugosa & segmentata tanta duritie, ut vix Japonico acinace diffindi qveat. Non enim sqvamis (ut vulgo pingitur) ornatus est, sed hæc segmenta & plicaturæ sqvamas tales & qvasi clypeos repræsentant. Ore suillo, sed acutiore, cornu in nare gerens nigrum vel cineritium, raro album, qvod pretiosius cæteris. Prout ætas, ita & cornu majus minusve est. Mole corporis parum ab elephante distat, sed brevior pedibus est, unde etiam minus spectabilis. Nulli noxam infert illæsus: si vis fiat, non in illum modo, qvi prior læsit, immaniter sævit, sed obvia qvæqve, etiam integras arbores prosternit. Prostratum hominem necat lambendo; lingva enim ejus aspera & aculeata est, qva cutem & carnes usqve ad ossa dilaniat. Pascitur aculeatis frondibus ac spinosis ramusculis, qvi lingvam ob membranæ crassitiem non offendunt. Ei innata cum elephanto antipathia est, cujus abdomen cornu prius ad silicem exacuto dilacerat, unde subseqvente hæmorrhagia interit. Porcum grunnitu æmulatur. Mauritani ejus carne vescuntur, cujus substantia tendinosa, & adeo compacta, ut ad concisionem dentes ferrei reqvirantur. Vinum, in qvo Rhinocerotina pellis per noctem macerata est, adversus malignas febres præstans remedium: ut & ejus cornu adversus venenum certa antidotus.*

N. 37. Qvod *Primo* attinet colorem, elephanto similem consentit Strabo: at buxeum reliqvi o-

mnes asserunt excepto Oppiano, cui rufa frons, & dorsum maculis purpureis distinctum. Verum Oppianus hic qvidem non curandus, qvi & alia aperte fabulosa suo carmini de rhinoceroite immiscuit; cæteros facilius ad concordiam redigemus; possunt enim rhinocerotes juxta ætatem & regiones esse colore diversi. *Secundo* os veluti apri esse, assentitur Strabo. *Tertio* consensus est longitudine parem prope elephanto, altitudine paulo humiliorem: non dissentit Strabo magnitudinem tauri illi qvem vidit adscribens. Oppianus Oryge non multo majorem perhibuit.

N. 38. Qvarto de cornu, unum an geminum, rectum an curvum gerat, haut levis dissensus. Plinius, Solinus, Agatarchides, Diodorus, Strabo, Oppianus, Damianus de Goês, Jovius, Camerarius, Bontius, Nieuhov unius meminere supra nares eminentis. Unicum itidem cornu exhibent Domitiani Nummi veteres ac picturæ ex Alberti Dureri prototypo expressæ. Vid. Bochart. *col. 931.* Id figura rectum instar tubæ linea nigra transcurrente apud Aldrovandum quidam dixerunt, sed Strabo, Diodorus, Agatarchides rectius incurvum, sive modice inflexum, tanti nihilominus acuminis & duritiæ, ut ferrum & saxa penetret. Qvi præter illud cornu adhuc altero minori instruunt rhinocerotem, de loco ubi situm sit, non conveniunt. In naribus reponunt *Auctor Geographiæ MSS.* in Bibliotheca Medicea, (qvem, qvi excerpsit Bartholinus conjicit Monachum fuisse in Æthiopia aliqvamdiu versatum) Sanctius *ad Jobi XXXIX. 9.* aliiqve. Allegant pro se Pausaniam *in Boeoticis sive libro 9. pag. 297.* scribentem: *Vidi etiam*

itiam Æthiopicos tauros, qvos ἀπὶ τῶ συμβεβηκότι ex re ipsa (ut vertit Sylburgius) *rhinocerotas nominant, qvod illis e nare extrema cornu prominet, & paulo superius alterum, non sane magnum, in capite nullum prorsus habent.* Ast Pausaniam interpretantur Angelus Politianus *Miscell. c. 56.* & Franciscus de Cordova *p. 120.* locutum, non de rhinocerotibus proprie dictis, sed de tauris Æthiopicis, qvi ex forma & analogice Rhinocerotes dicuntur, eo qvod cornu etiam in naso habeant. Contra tamen Bartholinus *p. 163.* cornu rhinocerotis duplex ex Museo Schvvammerdammii, & aliud simile ex pharmacopolio Augustano Lucas Schröckius Junior in Ephemerid. Natur. Curios. Germ. Dec. II. An. V. Observ. 245. exhibent. Cum vero supra dicti cornu majus inferius, minus superius collocent, contra faciunt Bodinus & Rittershusius.

N. 39. Fronti cornu alterum affigunt Scaliger *Exercit. 205.* Franzius, Bartholinus *p. 162.* Scaligero, qvi nonnisi ex pictura cognitum habuit cornu, opponit Bochartus *col. 932.* ἔκτυπα ex Alberti Dureri prototypo rhinocerotis, anno Christi 1515. ex India in Lusitaniam advecti expressa, & per totam Europam sparsa, qvæ cornu nullum exhibent in fronte rhinocerotis, sed supra cornu, qvod est in nare infima, qvatuor tubercula, qvorum summum attingit in ima parte frontem cætera glabram. Qvæ tubercula pro cornibus si habuerit Scaliger, jam rhinocerotem non gemino, sed qvinqve gemino cornu animal fore. Bartholinus inter alia ad nummum provocat *p. 255.* Patavii visum, in qvo duobus cornibus rhinoceros dare sculptis conspicitur.

N. 40. Alii, inter qvos Domitius Calderinus, Theodorus Marcilius, Deusingius *n.7.* Dapper. *Amer. p.20.* Bochartus *col. 931.* alterum cornu in dorsum, vel humerum dextrum, aut cervicem transferunt. Sane imagines in Aldrovando, Jonstono, Schotto, Bartholino respondent. Ast mirum est de eo Strabonem, Bontium & alios oculares testes tacuisse. Cæterum describitur bestia Æthiopica etiam, sub nomine Abada, a Dappero *in descriptione Africæ pag. 600.* qvæ, præter alia qvædam cum rhinocerote similia, habet unum cornu incurvum in fronte, alterum in cervice. An hujus cornu in rhinocerotis dorsum fuerit translatum, disqviri potest. Bochartus vero videat, qvid Pausaniæ respondeat, qvem post Gesnerum *de Qvadruped. p.143.* accipit de rhinocerotibus proprie appellatis *col. 958.*

N. 41. Conciliare has adversas sibi relationes voluit Aldrovandus *lib. 1. de Qvadrupedibus Bisulcis cap. 33. fol. 363. a.* existimans, qvibusdam rhinocerotibus esse duo cornua, sed non omnibus. Qvam pacificationem, explorata nondum satis re, præpropere nimis factam qvidam forte æstimabunt. In eandem tamen opinionem propendet cum Gvaltero Scoutenio Cornel. Stalpartius vander Wiel de Unicornu p. 479. & Lucas Schröckius l. c. Bartholinus videtur concedere, aut e naribus geminum cornu, aut unum e naribus, alterum e fronte prodire posse. Scilicet, qvibus contingit bestias peregrinas oculis tueri, non possunt esse nimium diligentes in delineandis & depingendis, si opiniones passim disseminatas extirpare volunt. Qvodsi alicui conjecturis se delectare placeret, qvousqve experientia nos indubitatos facit, diceret,

diceret, cum ſupra cornu, qvod eſt in nare infima tubercula prodeant,qvorum ſummum attingit frontem in ima parte, fieri potuiſſe ut tuberculum illud ſupremum,in aliqvo rhinocerote inſignius & magis notabile, pro corniculo peculiari ſpectantibus appareret, ac dum inter naſi nobile cornu & hoc parvum aliqvod ſpatium interponeretur, e fronte ob attingentiam, qvam diximus, prodire judicaretur. Pictores verò qvod opinarentur hoc cornu parvum, viſum nullum præſtare poſſe ad urſum aut taurum extollendos in ſublime, qvod in ſpectaculis Romanorum factum conſtabat, id fronti ſuperiori, aut qvi magis adhuc idoneum locum cogitabant, cervici forte appinxiſſe. Sic enim ſuper duobus cornibus commodius pondera ſuſtinere ac fulcire rhinoceros videbatur.

N. 42. At enim hæc conjectura talis non eſt,ut ſtatim adhibeatur ad dirimendas lites, qvas Critici agitant in Martialis *Epigramma 22. in libro Spectaculorum.* Legitur in Poeta de Rhinocerote:

Namqve gravem gemino cornu ſit extulit urſum,
Jactat ut impoſitas taurus iu aſtra pilas.

Qvod teſtimonium, ut iis qvi duo rhinocerotis cornua illa aſtruunt, evertant unius cornu propugnatores, aut in dorſo id reponentes, ubi ad extollendum nihil faciat, varia ratione conantur efficere. Qvidam gemino cornu interpretantur, forti & vehementi. Politianus putat urſum dici gravem gemino cornu in caſu dativo, i.e. animalibus bicornibus, qvales tauri &c. Janus Douza, Hadrianus Junius, Petrus Scriverius, De Cordova, Gerardus Joh. Voſſius pro urſo legunt urum, qvem gemino cornu gravem tam facile ſuſtulerit rhinoceros, qvam taurus objectas pi-

 las.

las. Qvas explicationes cum recensuisset Bochartus *col. 932.* alias suas conjecturas profert, ex qvibus maxime ipsi placet, si legamus,

gravi vel brevi geminum cornu sit extulit ursum i.e. duos ursos extulit unum post alterum simul oblatos. Sed Bocharti emendationes exagitat & explodit Peyer *de Ruminantibus pag. 44.* Douzæ crisin probans. Frustra hic evolves Vincentium Collesium J.C. recentissimum Martialis Interpretem in usum Serenissimi Delphini Parisiis anno 1680. impressum. Is enim de duobus cornibus tam securus est, ac si nulla lis fuerit ab eruditis mota.

N. 43. Qvinto deniqve cornu Rhinocerotis virtutem ad depellenda & indicanda venena, prædicant Medici experientia celebres. Dentis virtutem non absimilem alii laudant. vid. Bartholin. *de Unicornu p. 173.* Sed cornu cervinum, præsertim qvod prima vice junioribus cervis, qvos Spitz-Hirschen nominamus, absqve internodiis vel ramis erumpit, præfert D. Johannes Crato trium Imperatorum Medicus citatus Camerario *Cent. 2. Subcis. c. 97. p. 375.* Franciscus Redus *in Experimentis Natural. p. 140. sq.* testatur, se sæpius pellem, cornu, dentem adhibuisse, ac ne minimum qvidem virium prædicatarum observasse.

N 44. Ex qvibus hactenus dictis concludimus, rhinocerotes non esse tantum qværendos cum Bootio *l. 3. Animadvers. Sacrar. c. 1. n. 5.* in remotissimis Orientis partibus trans Gangem, sed & in Æthiopia alibiqve in Africa reperiri.

MORA-

MORALIA

I. IRA MODERATA.

Iram rationi ac prudentiæ ſubjici debere, Saavedra *Symbolo VIII.* e Monocerote demonſtrat, qvi in frontis medio prope oculos oblongum cornu præferens, eo veulti firma lancea vindictam exercere ſolet; Epigraphen addidit: PRÆ OCULIS IRA. S. Jacobus monet I. 19. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loqvendum, & tardus ad iram.* Bernhardus *Serm. 13. in Pſalm. Qui habitat: Ira hominum affectio naturalis eſt; ſed abutentibus bono naturæ, gravis perditio eſt, & miſeranda pernicies. Occupemus illam, in qvibus expedit, ne forte ad inutili s illicitaqve prorumpat.* Picinellus *Tom.* I. *p.* 410.

II. PANIS QVOTIDIANUS QVÆRENDUS, CUPIDITAS PECUNIÆ FUGIENDA.

UNicornu obolum in aqva natantem fugat, micam panis attrahit. Frater Baſilius Valentinus *in Curru triumphali Antimonii p. 67. 68.* Idem cornu cervi aliaqve alexipharmaca facere, expertus eſt D. Salomon Reiſelius *in Ephemerid. Naturæ Curioſor. Decur.* I. *An. II. obſervat. CXI. p. 182. ſqq.* ubi ſimul rationem phænomeni ſpeculatur. Sic animus Chriſtiani hominis panem qvotidianum corpori qværit & acqvirit, cæterum alexipharmacus eſt, i. e. nummos aut opes irritamenta malorum tanqvam venenum & peſtem a ſe pellit.

III. SATYRICORUM SCRIPTORUM AMATORES.

Lingvi

Lingua rhinocerotis aculeata est,& palatum tam asperum, ut frondes, qvo magis aculeatæ, & spinæ qvo longiores, eo gratius ipsi sapiant. Ita multi inter homines sunt ejusmodi rhinocerotes, qvibus nulli libri æqve grati, ac ii, qvi satyricis aculeis ac spinis alios pungunt.

CAP. XII.

DE EQVO.

124 N. 1. Hebræi sex habent eqvi nomina. Primum & vulgatissimum est סוס *sus*, Chaldæis & Syris סוסיא *susa*, vel *susja* ex Arabico verbo סוס *sus*, regere, moderari, item docilem esse; qvod eqvus & docilis admodum sit, & flexilis, ita ut non fræno solum, sed & virga, immo umbra virgæ (*ceu apud Curtium l.7. c.4. n.18. Cobares ad Bessum loqvitur*) & verbis regi se patiatur.

N. 2. Alterum nomen est אביר abbir, qvod qvidem robustum, potentem denotat, ac bobus magnis & validis qvasi proprium est, nihilominus & eqvis aliqvoties tribuitur, robore corporis & animæ generositate præstantibus. De robore & fortitudine eqvorum legitur Job. XXXIX. 22. Psalm. XXXIII. 17. Psalm. CXLVII. 11. Qvo referunt multi interpretes אמצים *amûtzim* Zachar. VI. 4.7. reddentes *fortes* seu *validos*. Qvod epitheton tamen de colore accipit Bochartus. Ipsa autem vox אבירים de eqvis occurrit Jud.V.22. Jerem. VIII.16. c.XLVII. 2.3. c.L. 11. Nam (1) סוסים eqvi & robusti ponuntur ut Synonyma Jud. V. Jerem.VIII. (2) tribuuntur מצהלות hinnitus Jerem.VIII.& L.(3) competunt ungulæ

ungulæ Jud. V. Jerem. XLVII & (4) דהרות i. e. cursus, saltus, incessus eqvis peculiaris. Jud. V. Attritæ sūt ungulæ eqvorū מדהרות דהרות אביריו cursibus, cursibus inqvam, robustorum ejus. Latine: Eqvorum ungulæ cursibus illorum attritæ sunt. Ita exponunt ex hebræis R. Salomo, R. Levi, R. Kimchi in Lexico. Radix est דהר dahar, ut Nahum. III. 2. סוס דוהר eqvus saltans vel currens. Arabs, eqvus καλπάζων, Syrus, eqvus subsultans.

N. 3. Tertium nomen פרש Interpretes qvidem fere omnes ubiqve transtulerunt eqvitem, attamen & aliqvando pro eqvo accipitur. 1. Sam. VIII. 11. *Filios vestros capiet, & ponet sibi in curribus & eqvis suis* i. e. sibi eliget ex filiis vestris aurigas & eqvites. 2. Sam. I. 6. *currus & domini* happaraschim *eqvorum* sive eqvites assecuti sunt eum, qvomodo Syrus, Arabs, vulgatus recte expresserunt, ubi LXX. habent ἵππαρχοι domini eqvitum. Jes. XXI. 7. *currus* tzæmæd paraschim *duorum eqvorum*, i. e. biga, non eqvitum, qvi curribus non junguntur. v. 9. *Ecce autem venit currus viri duorum eqvorum.* cap. XXVIII. 28. *& eqvis suis* (agricola) *non conteret illud* (frumentum.) Alluditur ad morem triturandi de qvo Varro *de Re Rustica l. 1. c. 52. E Spicis in aream* (oportet) *excuti grana, qvod fit apud alios jumentis junctis, & tribulo &c. apud alios exteritur grege jumentorum inacto, & ibi agitato perticis, qvod ungulis e spica exteruntur grana.* Apud Arabes etiam & Æthiopes *pharas* eqvum notat. Rationes appellationis a Bocharto *col. 98. sq.* ac Forstero *in Lexico* traditas attulit Majus *p. 350. sqq.* Cui placet eqvos & eqvites *paraschim* nominatos a *parasch* separare qvasi separa-

tos

tos ab aliis vulgaribus, robore corporis atqve animi fortitudine insignes. Inde Persis nomen fuit ab eqvitatu egregio, qvo maxime valebunt. Postqvam enim Cyrus eos ea disciplina imbuit, atqve lege sua, teste Xenophonte sanxit, turpe esse, si qvis eorum, qvos eqvis instruxerat, pedes iret, qvicunqve a vulgo se separans honestioris sortis videri volebat, eqvo vehebatur & Persa vocabatur, i. e. eqves. Itaqve qvi ante Cyrum Cuthæi & Elymæi dicebantur, post eum פרשים Persæ seu eqvites dici cœperunt. Sed & Persem vel Perseum, eqvitem interpretatur Bochartus, eo nomine dictum, postqvam eqvitandi artem didicisset a Phœnicibus; Talaria, qvorum ope per aerem volasse fertur, calcaria esse dicit: Pegasum explicat eqvum fræno assvetum, ab Hebræo & Syro פג *pag* vel פגנא *pega* frænum, & סוס *sus* eqvus. Majus etiam Germanorum Pferd derivat ex Hebræo & Phænicio vocabulo פרד separare, ita ut ratione originis notet non qvemcunqve, sed separandum & nobilem.

N. 4. Qvartum nomen est רכב *ræchab*, significans qvidem sæpissime currum, sed & aliqvando eqvos currui junctos, ducta ratione nominis ab usu, qvem illi præstant. 2. Sam. VIII. 4. 1. Paralip XVIII. 4. *Subnervavit David omnem* ræchæb *currum*, i. e. omnes eqvos curruum, ut vulgatus recte vertit. 2 Sam. X. 18. *occidit David septingentos currus* i. e. eqvos septingentorum curruum. Psalm. LXXVI. 7. *Dormiit* ורכב וסוס *& currus & eqvus*, i. e. tam eqvi curules, qvam qvi eqvitantur. LXX: ἐνύσαξαν οἱ ἐπιβεβηκότες τοῖς ἵπποις. Ita etiam Syrus & Arabs.

N. 5. Qvin-

N. 5. Qvintum nomen רכש *rachæſch*, qvod Elias dromadem, alii mulum, Kimchi ignotum jumenti genus exponunt, Bochartus eqvum reddit, aut eqvum velocem. Eſther VIII.10. diplomata ſua mittit Aſſuerus *per manum curſorum in eqvis, eqvitantium rachæſch* i.e. eqvis expeditiſſimis. v.14. de iisdem curſoribus omittitur vox בסוסים in eqvis, & הרכש utramqve ſupplet. 1. Reg. IV.28. *hordeum & paleam afferebant eqvis & τῷ rachæſch*, i.e. etiam eqvis præſtantibus, qva figura in titulo Pſalmi XVIII. David liberatus dicitur de manu hoſtium, & de manu Saulis; & Actor. I. 14, Apoſtoli leguntur in precibus perſeveraſſe, cum mulieribus & Maria. Michæas I. 13. *Liga currum τῷ rachæſch*, nempe ut celeri fuga te proripiens mala impendentia vites.

N. 6. Sextum nomen רמך *ramach* occurrit tantum Eſther. VIII. 10. ubi muli vocantur filii *rammachim*, eqvarum. Nimirum in Arabica lingua *remacha* eſt eqva, a verbo juxta Majum p.357. *ramacha* tenuem & gracilem corpore eſſe; unde *rammachim* eqvi graciles corpore, ideoqve celeres.

N. 7. Septimum nomen addit Bochartus *col. 107.* ex Proverb. XXX. 31. זרזיר מתנים i.e. vertente Junio & Tremellio, accinctus lumbis. Qvo vocabulo eqvum appellari declarat, aut propter Zonam, aut a conſeqventi robore, qvia jumenta lumbis adſtricta firmiora ſunt. Dubius tamen ipſe eſt Bochartus tum l.c. tum alibi in Hierozoico de recta verborum interpretatione. Vide Geier. *in Proverbia*. Qvod ſi vero de eqvo accipiamus illa peculiariter, qvæ beſtiam qvamcunqve, cujus robur in lumbis, comprehendunt, erit tamen non tam nomen eqvi, qvam periphraſis.

Animal

Animal hoc Americani ante a non viderant.]

N. 8. Cum ergo hominem eqvo insidentem unum animal simplicissimi illi mortalium, veluti Centaurum fabulæ repræsentant, ac insuper sævum ac carnivorum sibi imaginati essent, viso eo ita consternabantur, ut tres eqvites, pedites barbarorum mille in fugam verterent, & eqvites sedecim aliqvot mille funderent, nec aliter qvam ovium greges interficerent. Benzo *Histor. Novi Orbis l.2. c.12.* Petrus Martyr *de rebus Oceanicis & novo orbe* apud Camerar. *Cent.2. Subcis. c.92. p.353.* Nunc tanta lascivia terræ valde aucti sunt eqvi; greges discurrunt liberi per montana, concurrunt interdum turmatim, ac obvios homines sternunt & trucidant. Egentiam eqvorum olim supplebat, qvanqvam imparibus & ineptis viribus ad bellum, copia & vis ovium, qvæ jumentis magnitudine pene pares, & cætera forma, præter torosi pectoris strumam, camelis persimiles. Nieremberg *l.9. hist. nat. c.53.*

125 *Job. XXXIX. 22. sqq.*]

N. 9. In hac pulcherrima hypotyposi describitur Eqvus *Primo* ab animositate cum corporis robore conjuncta. Nam גבורה utrumqve notat; utrumqve in seqventibus eqvo adscribitur. Coccejus non male interpretatur *κράτος*, præpollentiam & animi elationem. *vide supra n.2.* Juxta Bochartum hic non tam corporis robur, qvam animi fortitudo commendatur, qvi Poetarum testimonia subjicit, qvæ fortes eqvos, non validos aut robustos agnominant.

N. 10. *Secundo* a juba. *Num vestis collum ejus juba?* Nam רעמה *raama* hic non tonitru,

qvo-

qvomodo pleriqve vertunt, per id intelligentes fremitum & hinnitum vehementem, ſed jubam ſignificare, probatur, (1) ex ſcopo præſentis periochæ, qvi eſt præcipuas generoſi eqvi notas ob oculos ponere. Cum autem inter eas tam a Philoſophis qvam a Poetis freqventiſſime juba largior ac fuſior commendetur, qva ille ſuperbit, qva ſpoliatus mœrore conficitur, & libidine laſcivire ceſſat, parum veroſimile eſt Jobo jubam præteritam (2) ex vocibus & phraſibus. *Raama* juba dicitur a ſitu in ſumma parte colli & capitis. Nam רעמה *raam* Syris non ſolum tonare, ſed & altum eſſe notat. צואר proprie collum, לבש veſtire aut induere eſt. Facillima ergo & planiſſima erit verſio, qvam dedimus: at cumulata eſt catachreſis, qvæ ex ſacro idiomate vix adſtrui poteſt: *num veſtis, aut circumdas collum ejus tonitru?* Inſolens eſt dictu, collum veſtiri hinnitu, cum is e gutture exeat, tranſeat, evaneſcat; inſolens eſt hinnitus acutum ſonum tonitru aſſimilare. Ad noſtrum ſenſum flectit Bochartus *col. 119.* Græcos & Syrum. Cum enim illi habeant, *ἐνέδυσας τραχήλῳ αὐτοῦ φόβον; Induiſtine collo ejus timorem?* ait, niſi pro רעמה legerint illi רעדה i.e. tremorem, vel timorem, corruptam videri verſionem, & levi mutatiuncula, legendum φόβην, i.e. jubam: In Syro autem Interprete, qvi reddit: *Et induisne tu collum ejus* זינא *armis*, unius literæ mutatione putat reſcribendum בינא coma. Adde Bootii *Animadverſ. Sacr. l. 3. c. 6.*

N. 11. *Tertio* a ſubſultatione: *an facis eum exilire ſicut locuſta?* i.e. ut ſe pleno ſaltu inſtar locuſtæ in altum tollat. Cum autem geminum ob finem eqvus ſaliat, ſcilicet vel ob neceſſitatem, quando foſ-

ſa, aut rivus aut vallum trajiciendum; vel ad pompam, ut agilitatis ſuæ ſpecimen edat, & detineat ſpectantium oculos, & mereatur applauſum, poſteriorem in eqvo generoſo verba textus reſpiciunt. Franzius vulgatæ verſionis verba retulit: *nunqvid ſuſcitabis eum qvaſi locuſtas*, i.e. facies, ut inſtar locuſtarum meticuloſarum loco cedat. vid. Pſalm. CIX. 23. Aſt הרעיש nunqvam ſignificat excitare aut ſuſcitare. vide Bootium l. c. c. 7.

N. 12. *Qvarto* a flatu narium ſonoro & terribili. הוד נחרו אימה *vehementia fremitus ejus terror*. הוד non ſolum notat dignitatem & decus, ſed & vigorem ac robur. Dan. X. 8. Prov. V. 9. XXXI. 3. jungitur cum קול Eſaiæ XXX. 30. ad notandam DEI vocem claram & luculentam, qvæ efficiat ut fatearis, eam eſſe DEI vocem. Confer Pſal. 29. 4. נחר *nachar* autem, aut נחרה *nachara* eſt ſonus ab eqvis factus, ut patet ex Jerem. VIII. 16. & qvidem non ungularum, vel gutturis, ſive hinnitus, ſed per nares emiſſus, ſive fremitus, das Schnauben. Nam cognata vox נחיר *nechir* nares ſignificat, qvod ex Jobi XLI. 11. Chaldaica & Syriaca Paraphraſi manifeſtum eſt. Itaqve fremitui eqvino tribuitur הוד h.e. claritas, vehementia, qvæ digna ſit animali generoſo. Inde eſt, qvod a Poetis eqvi bellici frementes deſcribantur. Putat tamen Boot נחר vel נחרה Synecdochice ipſum hinnitum indicare, qvomodo Latini qvoqve fremitum pro hinnitu ſæpiſſime dicant. Qvare hemiſtichium noſtrum ſic reddit: *vehementia hinnitus ejus terrifica eſt*; vel *hinnitus ejus vehemens eſt terribilis*. Solent etenim eqvi generoſi in prælium vadentes hinnire, ad declarandam

qvaſi

qvasi suam animositatem, & hostibus terrorem incutiendum. Sed si hinnitus, qvem sine dubio in eqvi bellici descriptione non omisit Sacer Scriptor, in aliis verbis inveniatur, non erit necesse Synecdochen hic cogitare. Franzius vulgatum & alios multos secutus est, qvi convertunt: *gloria narium ejus terror*, i. e. decor naris ejus, vel decora naris ejus terrori est. Sane decoræ nares in eqvo sunt patulæ, qvæ & ad spirandum sunt faciliores, & præ ira diductæ terribiliorem ejus aspectum exhibent. Hæc igitur versio licet sit eqvo generoso conveniens, non tamen ita est verbis hebræis, ut nostra ex Bocharto ac Coccejo.

N.13. *Qvinto* ab alacritate: יחפרו בעמק וישיש בכח. Ad verbum: *Fodiunt in valle, & exultat robore suo vel virtute sua.* Vulgatus: *Terram ungula fodit, exultat audacter.* Nimirum in יחפרו *fodiunt*, enallagen numeri agnovit, organum autem, qvo fodiat qvasi omissum supplevit, adjiciendo *ungula.* Ac enallage illa hebræis familiaris est, maxime cum qvod de uno dicitur, extenditur ad plures, ut Psalm. XIV. *Dixit insipiens in corde suo non est DEUS; Corrupti sunt &c.* eademqve ab aliis interpretibus in nostro textu observata. LXX. ἀνορύσσων ἐν ποδὶ fodiens pede, si vera est hæc lectio communis: nam in Londinensi editione ex vetustissimo MSS. expressum est, ἐν πεδίῳ in campo. עמק vulgata reddit terram, sine necessitate generalem admodum vocem adhibens, & præfixum negligens. Significantius est, *fodit in valle sive in campo*, qvia eqvorum ad bellum usus est in planis & campestribus locis, in qvibus qvietis impatientes ungulæ crebro motu terram fodiunt atqve atterunt. Qvi nullam numeri e-

nallagen in יחפרו i. e. fodiunt, ponunt, ſenſum aliter complent. R. Salomo in ſenſu metaphorico accipiens יחפרו i. e. explorant, qvo modo ſumitur Deut. I.22. refert ad eqvites, qvi in vallibus inſidiantur. Coccejus exercitus caſtrametantes ſubintelligit, qvaſi dicatur: qvando exercitus in campo fodiunt ad metandum caſtra, tum gaudet robore ſuo. Utraqve expoſitio longius petita videtur. D. Seb. Schmidius ſubaudit (1) conditionalem אם, *ſi foderint*; (2) caſum verbi *fodiunt* facit אותו vel הו *eum*, ſcil. eqvum; unde (3) colligit nominativum antecedentem ſubintelligi ſeſſorem ſeu ſeſſores. Ex qvibus emergit ſententia: *Si ſeſſores ſeu eqvites foderint eum calcaribus, tum lætabitur.* Ingenioſa ſane hæc eſt expoſitio, niſi qvod ellipſes accumulat, fodiendi verbo catachreſticam notionem imponit, & eqvum generoſum calcaribus fodi aſſerit, qvi vehementiorem inſtinctum nec deſiderat, nec fert, levi autem calcarium attactu ſeſſoris regimini obtemperat. Malumus ergo ſimplicem verborum expoſitionem retinere, qvæ etiam Luthero placuit: Es ſtrampfet auff den Boden. Qvod reliqva verſionis Vulgatæ verba concernit, exultandi voce aptior adhiberi non poterat. Nam Ebræum ישש omninò (Confer. Pſalm. XIX 6. Pſal. LI. 10. Jerem. VII 34. c. XVI. 9. &c.) & eleganter exprimit. Sic Cicero l. 1. de offic, *eqvos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultare ſcripſit.* Et Græcorum Interpretum γαυριᾷ convenientiſſimum eſt, qvo verbo Græci Scriptores in hoc argumento paſſim utuntur. Aſt adverbium Latini Interpretis *audacter* probari neqvit non modo, qvia כח audaciam non ſignificat, ſed & qvia

qvia בכחו non modum exultationis, ſed cauſam ac ſubjectum denotat. Qvamobrem cum כח vires & robur, dotes, habilitatem aut facultatem innuat (vid. Dan.I.4.) commodiſſime interpretabimur, in robore vel in virtute ſua. Nimirum eqvus ſuæ virtutis conſcius lætitiam & Spiritus ſumit, totius corporis habitum in decorem componit, ac irreqvieto pedum, capitis corporisqve motu alacritatem indicat.

N. 14. *Sexto* ab imperterrita aggreſſione armatorum & omnis terroris: *Immo exit adverſus arma* i.e. armis occurſat, in media arma & acies ruit. *Ridet pavorem, neqve conſternatur.* Ridet, per catachreſin etiam onagro, ſtruthioni & Leviathani tribuitur, Job.XL.7.18. cap.XLI.20. Latinus recte: *Contemnit pavorem.* Seqventia verba idem omiſit cum Græcis, qvæ tamen in hebræo velut exegetica priorum ſubjecta leguntur, ut intelligeremus, qvo ſenſu rideat eqvus pavorem. Augent ſimul emphaſin, qvaſi diceretur: Etſi pavor in acie occurrens terrere conatur eqvum, tamen pro nihilo habet, & non conſternatur. *Non revertitur a faciebus gladii,* i.e. non retrocedit metu gladiorum, uti Levit.XXVI. 37. Jeſ. XXI. 15. XXXI.18. & alibi. *Et pharetra in eum ſonantis, mucronis, haſtæ & lanceæ in eum ſtridentis* metu non retrograditur. Ita Boot & Bochart connectentes verſum 26. cum præced. 25. D. Seb. Schmid v. 26. ſeorſim legit & vertit: *Super illo ſonat pharetra, fulgor haſtæ & lanceæ,* i.e. ſuſtinet eqvus ſine timore, ut ſonet ſuper ipſo pharetra, ſtrepant & fulgeant haſtæ & lanceæ colliſæ. *Cum motione & concusſione ſorbet terram,* i.e. eqvus cum impetu in prælium ruens, campum interjectum qva-

tit & vorat qvaſi, ſcil pernicitate ſua tam rapide decurrendo atqve emetiendo, ut devoraſſe videatur, & uno hauſtu abſorpſiſſe. Sic Bochartus cum Hieronymo, Symmacho, Mercero, Piſcatore, Druſio, R. Levi, R. Kimchi, aliisqve multis. Probat (1) qvia גמא tam in Scriptura, qvam in Chaldæo paraphraſte, in Talmude & Rabboth perpetuo notat ſorbere & deglutire. (2) Arabibus *lahim* ac *liham* eſt eqvus velox & acer, qvaſi deglutiens terram, a verbo *labama* cito deglutire, devorare, ſorbere. Et Poetæ ſimiles locutiones habent. Nemeſianus: *latumqve fuga conſumere campum.* Virgilius: *acri carpere prata fuga.* Silius: -- *campumqve volatu cum rapuere, pedum fruſtra veſtigia qvarat.* (3) eqvi bellici cum aqvilis, aliisqve velocitate præſtantibus animalibus comparantur, immo iis perniciores & leviores eſſe dicuntur, Jerem. IV. 13. Habac. I. 8. (4) nihil eſt in bello freqventius, qvam pugnas curſu aggredi. vid Jerem. VIII. 6. Apoc. IX. 9. & profanos ſcriptores a laudato Bocharto adductos *Col. 143.* E contra Boot & Coccejus ſecuti Chaldæum, Pagninum, Munſterum, Tremellium aliosqve interpretantur: *cum motione & concusſione fodit vel excavat terram,* i. e. eqvus iracundus, & moræ impatiens terram pedibus percutit, & fodit aut excavat. D. Schmidius in hunc ſenſum con ſentit, niſi qvod commotionem & concuſſionem exiſtimet non eſſe eqvi, ſed aliorum circa eqvum, & יגמא exponit non per fodere, ſed exhaurire tropice: Prodit ergo hæc paraphraſis: *Aciebus in prælium inſtructis & ſe commoventibus ad concurſum, dum omnia iras, minas, atq; cædes ſpirant, exhaurit i. e. excavat terram & ſcrobem facit.* Exhaurit enim

nim eam terram, qvam pedibus e loco suo ejicit, ut locum ejus vacuum reddat. Seqvitur in textu Jobi: ולא יאמין כי קול שופר. Pleriqve reddunt cum R. Salomone & Aben Esra, *non credit, cum est tubæ sonitus*, qvasi dicatur, eqvum bellicum ad tubæ clangorem ita affici, ut præ gaudio non credat tubam sonare. Aptius Vulgata loqvitur: Non reputat tubæ sonare clangorem, & Lutherus: Und achtet nicht der Drommeten Hall. Nam non credit, accipi potest pro non curat, ut antecedens pro conseqvente positum intelligatur, observante D. Schmidio. At Piscator, Tremellius, Boot, Deodatus, Coccejus, Bochart malunt vertere: *Neqve consistit firmus, vel neqve manet, cum tuba sonitus auditur*, uti Job. XV. 31. impius אל יאמן non stabilis, non firmus erit. Qua ratione nostri textus duo hemistichia sunt *ἀντίστοιχα*, & qvod in priore dictum fuerat verbis affirmantibus, *cum motu & concussione sorbet terram* scil. præcipiti cursu suo, in posteriori verbis negativis exprimitur: *& non consistit audito clasico.* Accommodatum est ad rem præsentem illud Virgilii lib. 3. Georg.

—— tum si qva sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit ——

N 15. *Septimo* a desiderio vehementi pugnæ instantis: *Ad tubæ clangorem dicit* האח *heach*, i.e. ex versu præcedente, non curat, aut ut alii, non consistit, cum sonum buccinæ horribilem audire incipit, immo contra sonum buccinæ perseverantem exultat, & hinnit. האח & interjectio hic lætantis & exultantis, uti Jes. XLIV. 16. & cum de bello

sermo sit, se excitantis insuper ad concurrendum. De cætero parum refert qvomodo vertatur. Latinam & ad affectum exprimendum idoneam vocem putant Boot & Bochart *Evax.* Lutherus Germanicam posuit Hui; qvam approbavit Schmidius. Neqve enim eqvus ita loquitur, sed per metonymiam signi pro signato eqvus dicit *Evâx*, i.e. gestit & exultat audito tubæ sono, qvomodo homines cum dicunt, *Evax.* Declarari phrasis potest ex Æthiopica versione Jacob.III. 3. juxta qvam equis frena injiciuntur, ut *Obo* dicant nobis, pro, ut nobis obseqvantur. Nam *Obo* Æthiopice est affirmantis, vel assentientis. Sic cap.V.6. *Obo* non dicit vobis, i.e. non subjicitur vobis. Itaque ut Æthiopum phrasi Eqvus *Oho* vel etiam dicit, cum freno morigerum se præbet; sic hebræis Eqvus dicit *heach*, seu *Evax*, cum classico audito gestit. Bene autem adjiciunt Boot & Schmidius, comprehendi simul hinnitum, quem eqvus ex desiderio prælii, præque lætitia ob ejus propinquitatem ex sono buccinæ perceptam emittit, quo quasi dicit, *Hui.* Ultima periochæ verba sunt: *Pugnam eminus odoratur vel præsagit ex clamore Ducum & ululatu militum,* i.e. percipit ex clamore militari, quo se invicem pugnaturi animare, hostes terrere conantur, mox futuram pugnam, fremit naribus, ardet ad nutum equitis incurrere agmen hostium.

N. 16. Ex quo commentario ad descriptionem equi in Jobi libro, similitudines nonnullæ ab equis desumtæ in sacris scriptoribus recte declarantur, v.g. Zachar. X.5. *Ponet eos tanqvam eqvum majestatis suæ in bello.*

Salomon aliqvot millia habuit eqvorum.]

N. 17. 1.Reg.IV.26.c.X.26. 2.Par.I.14.& IX.25. legimus

legimus Salomonem habuisse eqvitum duodecim millia. Quare apud Joseph. *Antiq. l.8.c.2.* nimius est numerus viginti millium, si modo verba incorrupta sunt. Nam ante capite eodem duodecim millia & ipse numeravit. Eidem potentissimo Regi fuere currus mille & quadringenti 1.Reg.X.26. 2 Paral.I.40. Quos currus bellicos partim fuisse bigas, partim trigas, aut quadrigas pro more illorum temporum, verisimile est. Si bigæ omnes fuissent, currules eqvos habuisset. Salomo bis mille octingentos; si omnes quadrigæ, quinquies mille & sexcentos; intermedius fere numerus erit quatuor millium. At quorsum pro hoc eqvorum numero, parum majori aut inferiori 1.Reg.IV.26. assignãtur ארבעים ארבם ארות *quadraginta millia stabulorum*, aut, ut habet Josephus, *præsepium*? Recte responderi putat Bochartus *col.155.* ארורן hoc loco non esse stabula vel præsepia, sed in stabulis aut præsepibus loculos singulis equis destinatos, quomodo appellat Vegetius l.1. c.56. Nempe a verbo ארה carpere, dicuntur ארורן loculi in stabulis distincti, ex quibus singula jumenta carpunt sibi pabulum destinatum. Sic Rex Ezechias 2. Paral. XXXII.28. *struxit* ארורת *omni jumento, & jumento*, i.e. loculos singulis jumentis vel unicuique jumento, uti Esther.IX.21. legitur, *in omni anno & anno*, i.e. singulis annis; & v.28. *in omni ætate & ætate*; i.e. singulis ætatibus vel unaquaque ætate. Enim vero quæstio iterum redit, quorsum currules equi circiter quater mille habeant in stabulis loculos decuplo plures, & quomodo alter locus concordet 2. Paral.IX.25. ubi convenientissime ארבעת אלפים quater mille leguntur?

tur? Quem nodum cum alii aliter ſolvant, ut videre eſt in Harmonia Waltheri, Bochartus opinatur *col.157.* aut corruptos eſſe numeros *1.*Reg.IV.26. & pro אלפ ארבעים legendum, uti in Paralipomenis אלפים ארבעת, vel cum Jacobo Cappello dici debere, ארבעים eo loco qvatuor ſignificare, non quadraginta. Quæ interpretatio ne exemplo carere videatur, allegat Cappellus Jud.III.30. ubi שמנים שנה, quibus terra quieviſſe legitur, vult eſſe annos octo, non octoginta. Addit etiam loca ex Talmude & Bereſchit Rabba.

N. 18. Ne autem tot currus & equites urbi regiæ graves eſſent, collocavit eos partim in urbibus curruum, & partim ſecum Hieroſolymis. 1. Reg. X. 26. 2. Paral.I.14. & IX.25. Si Joſepho credimus, equitum dimidia pars cum Rege Hieroſolymis commorabatur, curruum pauci ibi aſſervabantur. Ad oppida illa aſſervandorum eqvitum & curruum cauſa condita vel apparata 1.Reg.IX.19. 2.Par.VIII.6. hordeum & ſtramen, equis & veredis convehebatur, 1.Reg. IV.28. Nam hordeum apud veteres equorum fuiſſe pabulum etiam ex Homero, Polluce, Plauto, Juvenale, Luciano, aliisqve auctoribus Bochartus confirmat *col. 158.*

N. 19. Equi illi, quibus carebant Judæi in deſerto Exod. XII. 37. & in Theocratico ſtatu Jud.XX. 1.2. Salomoni adducebantur ex Ægypto & ex omnibus terris; ſcil. ex quibus etiam ſatis remotis, mercatores fama de Principis tanti ſtudio in equis coemendis alliciebat, 2.Paral. IX. 28. Commemorat autem Scriptura equorum genera, ad meridiem Judææ Ægyptios, ad Septentrionem Thogarmæos, ad orientem

tem Assyrios, ad occasum etiam Italos si Rabbinis credimus.

N. 20. Ægyptios equitatu & curribus valuisse legimus Exod. XIV.6.7.9. c.XV. 1.19. Jos.XXIV. 62.Paral.XII.3.Jerem.XLVI.4..9.2 Reg.VII.6,2.Reg. XVIII.24. Jes.XXXI.1.3 Ezech.XVII.15. Pulchritudinem, alacritatem, celeritatem eorum colligere etiam licet ex Cant.I.9. ubi juxta communem interpretationem, ecclesia a Sponso comparatur cum eqva, vel cum eqvitatu inter qvadrigas Pharaonis regias. Nam Sanctius plane alium verborum sensum facit. Profanorum Scriptorum testimonia de equorum in Ægypto abundantia superaddit Bochartus *col.170.* Quod ergo Oppianus, Nemesianus, Vegetius aliique exquirentes, quibus terris nascantur equi nobiles, de Ægyptiis sileant, argumento est, eqvos alendi studium apud eam gentem posteris sæculis in desvetudinem abiisse, tum qvod a Persis vel Macedonibus servili jugo pressa belli curam nullam haberet, tum quod Ægypti magna pars eqvis & curribus facta esset inaccessa, Nili alveis pluribus quaqua versum diductis. Hodie quoque in eadem regione paucos equos, sed valde pulchros & bonos commemorat Della Valle *Part.*I, *p.94.b.* putans eam paucitatem causam esse, ob quam non liceat incolis aut advenis ibi equitare, nisi Spahis aut majoribus militiæ Ducibus, ne scilicet vulgari usu vires bello unice destinatorum infringantur.

N. 21. Cum autem Pharao eqvos ab aliis gentibus avide expetitos, e regno suo non pateretur educi, nisi gravi tributo exacto, nempe in singulos equos siclorum 150. aut 600. in singulas quadrigas (est autem

autem vulgaris ſiclus qvarta pars unciæ, & 150. ſicli vulgares, ſunt argenti libræ duæ cum unciis qvinqve & ſemi); Salomo, ut a tam gravi tributo ſe qvoqvo modo eximeret, a ſocero ſuo Pharaone per mercatores ſuos totum illud jus certo qvotannis pretio redimebat. Unde fiebat, ut ſolo Salomone immuni ab illo vectigali, cæteri omnes illud ſolverent, Hethæorum ſcil. i.e. Chananæorum & Syriæ Reges. Neqve enim Ægyptios eqvos, qvorum erant maxime cupidi, aliter nanciſci poterant, qvam per mercatores Salomonis, in qvos Ægypti Rex accepto pretio, de qvo convenerat, totum jus ſuum transſcribebat. Hunc ſenſum verborum 1. Reg. X. 28. 29. & 2. Paral. I. 16. 17. qvæ diverſis trahuntur expoſitionibus, tradit Bochartus col. 171. explicans nimirum vocem מקוה vectigal, per qvam vulgo pretium eqvorum ſingulorum indiſcriminatim, LXX. & Hieronymus Coam urbem Ægypti, intellexerunt.

N. 22. Thogarmæorum eqvorum meminit Ezechiel, XXVII. 14. Eſt autem Thogarma Cappadocia, ut probat Bochart *in Phaleg. l. 3. c. 11.* de cujus regionis nobiliſſimis eqvis apud Nemeſianum, Oppianum, Solinum, Claudianum, aliosqve exſtat. Pertinent huc eqvi Henetici olim æſtimati. Sunt enim Heneti Paphlagones in ora Cappadociæ.

N. 23. In Aſſyriis eqvis Eſaias V. 28. Jerem. IV. 13. Habac. I. 8. commendant (1) *ungulas duras, ac petræ inſtar firmas*, qvæ viæ aſperitate & itineris longitudine non atteruntur, cujusmodi eqvos Homerus χαλκόποδας æripides appellat: (2) velocitatem; *Impetus eorum, qvaſi turbinis.* Sic apud Sophoclem, Smyrnæum, aliosqve Poetas Græcos, eqvorum

eqvorum pedes turbinis instar feruntur; apud Apollonium, Q. Calabrum, Homerum, Virgilium, ventos æqvant, aut antecunt; ventosos cognominat Ovidius. *Leviores sunt aqvilis*; *volant ut aqvila, qvæ properat ad escam*; nimirum velox est aqvilæ volatus, summa autem velocitas ruentis in prædam. Homero passim equi volant, Virgilio & Ovidio sunt alipedes. *Levioris sunt pardis*, de quorum velocitate egimus *cap.8. n.9.* (3) ab acumine visus וחדו מזאבי ערב Quæ communiter vertunt: *Et acutiores erunt lupis vespera*, scil. visu. Utut autem de lupinorum oculorum acie in tenebris scribant Auctores, attamen quomodo ad eqvum id pertineat non satis liqvet Bocharto, ideoque mallet acutum pro veloci, quomodo vulgata reddit, accipere, aut pro acri vel alacri. Sed receptam expositionem suffulcit Majus Part.2. p.795. tum ex significatione vocis חדד, tum ex serie prædicatorum apud Habacucum. Sententia ergo hæc emergit: Assyrios equis insidentes instar pardorum pernicissimis, in Judæam involaturos, omniaque rapturos, nec qvicqvam fore quod oculos illorum fugiat; tanta quippe videndi acie præditos, ut lupis etiam nocturno tempore acute cernentibus, acutiores sint in investiganda & rapienda præda. Cæterum Equi Assyrii a Prophetis celebrati, non erant nati in Assyria, sed in vicinis regionibus, Armenia, Media & Perside, ac inter eos Nisæi eminebant in Mediæ campo Nisæo nati, valde proceri, celeres, pulchri, plerumque flavi, rarius candidi aut nigri. Bochart. *col.163.*

N. 24. Italos eqvos, peculiariter Tyrrhenos vel Tuscos esse משכים Jerem. V.8. existimavit Abē Ezra. At licet in Tuscia natos prædicet fortes Oppianus

pianus, hebræa tamen vox non eſt nomen gentis; ſed exponenda; *mane ſurgentes.* Senſus enim eſt iſte: ut equi bene paſti, cum mane ſurgit unusquisque, ad uxorem proximi ſui adhinniunt. Bochart. *col.167.*

N. 25. Quæſtio ſupereſt; an Salomo comparando ſibi tam multos equos, eosque ex Ægypto adductos, peccaverit contra Legem DEI Deut XVII.16. Aſſerunt non ſolum Hebræi plerique cum R. Moſe Nachmannide *in l.c.* R. Salomone *in 2. Paralip.* IX.25. Kimchio *in 1. Reg. IV.26.* ſed & Chriſtiani Interpretes, cum qvibus haut absque ratione placuit ſentire Franzio. Alii cum Bonfrerio *in Deuteron.* & Bocharto *col.175.* putant non peccaſſe Regem, qui multos equos congerebat, modo ne iis ad pompam, aut tyrannidem abuteretur, ſed vel ad vecturas neceſſarias, vel ad hoſtium inſurgentium impetus propulſandos; adduntque inſuper in Salomone aliqvid fuiſſe peculiare; quem DEUS externo ſplendore illo voluerit eminere ſupra reliquos Reges, tum quia ſic promiſerat; tum ut in illo Meſſiæ typum haberemus expreſſiorem. Aſt his Salomonis defenſoribus ſimul removendæ ſunt graves accuſationes, quod commercia cum Ægyptiis inſtituerit interdicta divinitus; quod populus poſt mortem ejus de exactionum gravitate apud Filium conqueratur. Nec vecturarum, nec belli uſus apud eum populum tantum numerum equorum poſtulabant. Splendorem Salomoni DEUS magnum conceſſit, contra legem ſuam efferri noluit. Accenſebitur ergo non absque cauſa, equitum & curruum pompa iis exceſſibus, quos ſummam Regis illius fortunam comitatos eſſe novimus.

Sed-

Sed valde magnus posset institui catalogus talium 127
exemplorum]

N. 26. Unicum recentius amentis ἱπποφιλίας exemplum recensemus verbis Francisci Petrarchæ *lib. 1. de Remediis utriusqve Fortunæ Dialogo 31. p. 131. Ne qvis priscam tantum, non modernam amentiam suspicetur, redeat ad memoriam nec longe seu loco, seu tempore reqvirendus, adhuc enim vivit, nec dum senuit, & in terra Italica vobiscum degit is, quem nominare non est necesse, fortunæ utiqve vir ingentis, nec parvi ingenii, consiliiqve vir, alioqvi magni animi, nec insulsi; ubi qvid serio agendum incidit; qui tamen ægrotanti eqvo, qvem amabat, aureum pulvinar, ac sericum cubile substravit. Cumqve ipse interim podagra vinctus, atqve immobilis, Medicorum legibus regeretur, nihilominus tamen, aut servorum vectus manibus, aut eqvo altero vix injectus, & suos Medicos secum ducens, eqvum ægrum suum bis terq; cotidie visitabat, illi suspirans, atqve anxius assidebat, illum leniter manu tractans, blando murmure solabatur. Qvid multa? Nullum medicinæ genus intentatum, nil languenti amico debitum prætermissum fuit. Fabulam fortasse posteritas vocet: vera res, & magno in populo nota est. Sic vir fortis curam eqvi gessit, ut propriam, sic extinctum luxit, ut filium.*

N. 27. Uti vero Philippi illi omnes admodum ridiculi fuere, ita abominabiles magis extitere, Rhodii, Spartani, Æthiopes, Armeni, Persæ, Massagetæ, qui Soli currus & eqvos consecrarunt, atque immolarunt. Auctores adduxit Vossius *l. 2. de Idol. c. 9.* Bochart. *col. 167.* Quibus idololatris, pudendum dictu,

ctu,

ctu, annumerandi Judææ Reges, quos legimus 2. Reg. XXIII. 11. currus,& equos vivos (non sculptas aureas, vel argenteas, vel æneas solis quadriga vecti statuas, ut pleriqve recentiores existimarunt) dedisse, i.e. consecrasse, ac aluisse in statione inter templi fores & domum Nathan melechi in Parvarim (qui locus forte est Parbar ad occasum templi 1. Paral. XXVII. 18.) Soli mactandos. Rabbini Salomo, Kimchi, Levi sentiunt, mane cum pompa deductos fuisse versus Orientem Solem. Id quod Solenne erat incolis Haulam vel Zeilam, teste Benjamine *in Itinerario*, & Indis Occidentalibus, credentibus occumbentem Solem haut unquam exoriturum, nisi curribus instructis sub diluculum ei obviam processissent. vid. Petr. Martyris *hist. Indiæ Occident. c.8. pag.7. & c.56. pag.42.* Equos eosdem Josias cessare fecit i.e. abstulit, destruxit, & currus Solis combussit igne. Origo superstitionis refertur ad antecessores Josiæ, Manassen 2. Reg. XXI. 3. & Amonem, ibid. v. 21. Primam occasionem turpissimæ idololatriæ petit Chrysostomus *Tom. I. homil. III. de Elia*, ex historia ejus Prophetæ, ad cujus igneo curru, cui ignei equi juncti erant, vecti exemplum, Poetæ ac Pictores ἥλιον sive solem effigiaverint, qui curru atque equis fulgentibus ipse rutilans radiansqve e fluctibus Oceani sublevatus, inter præruptos montium scopulos evadens, quasi ad cælestia videtur adscendere in similitudinem luminis ejus. Confirmat eam conjecturam Bonifacius *Histor. Ludicr. l.17. c.7. pag.697.* ex eo, quod nullus Poeta vel fabulator hac de re qvicqvam scripserit, antequam Helias in cælum raperetur.

128 *Eqvus est animal admodum docile & intelligens*]

N.28. Com-

N. 18. Comprobant exemplis Scaliger *Exercit.209. sect.I.* Lipsius *Cent.3. ad Belgas Epist.56.* Salmuth ad Panciroll. *Part.I. Tit.48.* Camerar. *Cent. I. Subcis. c.20. p.107. cap.23. p.122. Cent.2. cap.80. p.315. cap.92. p.352.* Zeiler. *Part. I. Epist. 40,* Engelgrave *Lucis Evangel. Part.*I.*p.340.* Digbæus *de Immortal. Animæ rational. Tract.*I.*cap.37. n.2.* Schoock *de Anima Belluar. p.136.198.* Francisci Geschicht-Spiegel *p. 1381. sq.*

Bucephalus regiis phaleris ornatus, neminem nisi 130
ipsum Dominum &c.]

N. 29. Idem de eqvo non solum Julii Cæsaris legitur, sed & de eqvo Bogislai X. Ducis Pomeranorum prædicat Auctor, qvi iter ejus maritimum ad sepulchrum S. descripsit. Vid. Micræl. *l.3. Descript. Pomeran. p.481.* Eqvus Johanni I. Pontifici Maximo dono datus Corinthi, sessione Pontificis ita ferox evasisse fertur, ut Dominam, qvæ illo antea mansvetissimo usa fuerat, postea semper excusserit. *Haut aliter cor tuum*, (verba sunt Engelgravii Lucis Evangel. Part. 2. p. 391.) *ut generosus eqvus, & ut jumentum DEI factum, ejus solius suave jugum admittat, eum rectorem seqvatur*, omnemqve alium excutiat.*

Lacrymas ipsi exprimunt] 131

N. 30. Utut de lacrumis Eqvorum non solum Homerus, Qvinctus Smyrnæus, Virgilius aliiq; Poetæ, sed & Plinius *l.8. c.47.* Cardanus *de Rer. Variet. l.14. c.75.* habeant, & Isidorus *lib.12. Orig. cap. 1.* iis solis in bestiarum genere vendicet, tamen nec stillantes ex oculis ipsorum guttæ pro lacrymis proprie agnoscendæ sunt, nec iis solis, verum etiam canibus,

 leonibus,

leonibus, asinis Mauritanis, crocodilis similiter sti lare oculos referunt. vid. Vossi *l.3.de Idol. c 47.& 58* *Institut. Orator. l.1. c.5.* §.32. Harduin. *ad l.c. Plini* Schotti *Phys.Curios. l.7.c.19. p.867.* qvi tamen p.88c sqq. pro lacrumis brutorum proprie dictis disputat

Libidinis stimulis & furiis maceratur eqvus & e qva &c.]

N. 31. Eo respexerunt Sancti Prophetæ. Ezech XXIII.,20. de Judææ & Samariæ sceleribus, ac no minatim impudicitia: *& insanivit libidine super cōcu bitum eorum, qvorum carnes sunt ut carnes asino rum, & sicut fluxus eqvorū fluxus eorū.* Scilicet signifi cat, eos æqve lascivos esse ac eqvos plurimo semin abundantes, & inde libidinosissimos. Jeremias V.8 Judæos libidine insana æstuantes appellat *eqvos sa ginatos matutinos*, i. e. qvi ex fomite saginæ, colle cto per noctem semine, existunt mane libidinosiores; *qvorum unusqvisqve in uxorem alterius adhinnit*; i.e. uti eqvi saginati visa tantum eminus eqva, aut percepto duntaxat ejus odore, libidinis stimulis ex agitantur, & ad coitum præcipites feruntur, idqve su um desiderium crebro hinnitu testatum faciunt: ita Judæi fœdis cupiditatibus se adeo mancipaverunt, ut vix conspicere fœminam possint, qvin statim fu roris œstro sollicitentur, ac veluti amentes in illic tos amplexus ruant (*Repete paulo ante n.24.*) Ca XIII.27. *hinnitus* Synonymum scortationis aut a ulterii, rabiosum impetum, qvalem hinnitibus test ri eqvi lascivientes solent, indicat. Cap.L.11. Bab lonii ex rerum abundantia elati, atqve inde voluptat bus dediti, præcipue libidine promiscua æstuant dicuntur *hinnire sicuti caballi.* Invenimus etia

api

apud Latinos Scriptores, Ciceronem, Apulejum, Arnobium, Hieronymum, Augustinum, Prudentium *adhinnire* pro *exardere in voluptatem*, ac inprimis *veneream* usurpatum vid. Boot *Animadverf. Sacr. l. 3. c. 4. n. 9. cap. 5. n. 7.* Elmenhorstii *Indicem in Apulejum.*

Fabulosum est qvod aliqvi referunt de Portugallia] 132

N. 32. Eqvas Lusitanas Favonio flante obversas concipere, gignereqve deinde eqvos pernicissimos, qvanqvam ultra triennium non viventes, non solum Poetæ, Virgilius & Silius Italicus cecinere, qvos licentia sua excuset, sed etiam Philosophi pro certo scripsere, Varro *l. 2. de Re Rust. c. 1.* Columella *l. 6. c. 27.* Plinius *l. 8. c. 42. l. 16. c. 25 l. 4. c. 22.* Solinus *c. 26.* alii, qvibus falso Ælianus annumeratur *l. 4. hist. animal. c. 5.* Simile de Cappadociæ eqvis affert Augustin. *l. 21. de Civit. DEI c. 5.* procul dubio ex Solini *cap. 47.* Licet vero Trogus Pompejus homo Hispanus, eoqve talium inprimis gnarus, in Justini epitome l 44. cap 3. fabulam illam jamdudum prodiderit natam ex eqvarum fœcunditate & gregum multitudine, qvi tanti in Gallecia & Lusitania, ac tam pernices visantur, ut non immerito vento ipso concepti videantur; nihilominus nimiam audaciam esse veriti fidem tot Auctoribus illis demere, subscripsere Ludovicus Cartio *Emendat l. 1. c. 17. & l. 2. c. 4.* Florianus de Ocampo *Hispan. histor. l. 1. c. 4. & 43.* Eduardus Wetonus *(forte Wottonus)* apud Nieremberg. *de miraculosis Naturis in Europa l. 1. c. 66.* Rittershusius *ad Oppian. l. 3. Cyneget.* Ipse Nierembergius Madritensis e Societate Jesu, qvanqvam *l. 6. histor. Na-*

tur. c.2. inter fabulas recensuisset, loco tamen ante adducto priscam illam immaritatam eqvarum fœcunditatem credit, qvam hodie cessare fatetur. Ejus non leve vestigium se invenire existimat in L. Andreæ Resendii, gente Lusitani, *Antiqvitatibus Lusitanicis lib.1. cap. de monte Tagro pag.55.* (edit. Coloniæ Agripp. an.1600.) Is enim narrat, *se inqvirendæ rei gratia apud colonum agri Beneventani juxta Tagum divertisse, & cum ab illo qværeret, ecqvid de hujuscemodi conceptu aut sciret ipse, aut ab aliis auditum accepisset, ab hospite suo responsum retulisse: Neqve se, neqve vicinos, qvi eqvarias haberent, de ea re unqvam fuisse sollicitos; tantum ut eqvire fæminas animadverterent, admitti eas curare: se tamen, cum pulchram eqvam haberet, cuperetqve bene vendibilem in proximas nundinas efficere, ante binnitum in Insula, qvæ in medio Tago est, solam inclusisse, ut abundantia pabuli saginaretur: post duos menses reperisse gravidam, miratumqve, eo qvod illuc nunqvam accessisset admissarius, eventum exspectasse: septem fere jam menses cum tulisset uterum, ei ixam, non qvidem animal, sed concreti sangvinis informem materiam, abortumqve se suspicatum.* Adjicit autem Resendius, de ea eqvarum genitura sibi aliud nihil constare. Ast recte Franciscus Fernandius de Cordova, & ipse Hispanus *in Didascalia multiplici cap. 48. p.382.* narrationem de eqvabus Hispanicis vento concipientibus esse commentitiam, & auctoritate, & ratione, & experientia docet. Auctoritate qvidem Aristotelis, qvi hominem & eqvum coitu duntaxat generari ait *in Problem. Sect. XI. (aliis X.) probl. 64.* cujus rei etiam rationem ex eodem annectit;

(confer

(confer. Joh. Benedicti Sinibaldi Archiatri Romani *Geneanthropeiam lib.1. Tract.3. cap.7.*) Experientia vero, qvoniam nullus unqvam se id vidisse affirmavit, qvin ipse Franciscus de Cordova, totum illum tractum Olyssiponensis urbis oculis perlustrans, nihil unqvam simile ab aliqvo homine, qvantumvis urbano, quantumvis rustico audivit. Illud autem, qvod narravit Resendius, (si modo vera ipsi retulit hospes) accidere potuisse suspicatur nominatus de Cordova, vel equi alicujus admissione, qui parum observatus flumen tranarit, vel sangvinis ipsius eqvæ pabuli copia saginatæ abundantia; partum enim illum fuisse, nec ipsum hospitem Resendii certo asseruisse. Adde Voss. *l.3. de Idolol. c. 54.* Wovverii *Polymath. cap.11.* Gassend. Physicæ *Sect.3 membro poster. l. 4. c.2. p.267.* Schotti *Phys. Curios. l.7. c.7. §.IV.* Anton *le Grand Histor. Natur. Part.VIII. art.I. n.X.* Lactantius igitur *l.4. Instit. divinar. c.12.* scribens: *Qvod si animalia qvædam vento, aut aura concipere solere, omnibus notum est; cur qvisqvam mirum putet, cum spiritu DEI, cui facile est qvicqvid velit, gravatam esse virginem dicimus*; sine dubio tam ad eqvos Lusitanos, qvam ad ostreas aliasque animantes, de qvibus eadem fama est, respexit. Qvæ si omnino vana sit, nihilominus argumento ad hominem validissimo contra gentes, qvibus fœcunditas illa immaritata persvasa fuit, suum robur manet. Posses *Eqvis illis, e vento favonio concipere atqve partum edere evanidum creditis, assimilare jactacundos ac vane gloriosos homunciones*, qvi favonio blandientium opinionum gravidi, serium nihil pariunt, sed ut

tumidi utres ventos tantùm inanium sermonum, fabularum & mendaciorum evaporant.

Tanta est in eqvis libido, ut etiam cum matribus & filiabus coeant]

N. 33. Ita Aristoteles hist. animal. *l. 6. c. 22.* qvam opinionem seqvitur Ovidius ferente sic argumento in X. Metamorph. v. 324.

—— Coëunt animalia nullo
Cætera delicto; nec habetur turpe juvencæ
Ferre Patrem tergo; fit eqvo sua filia conjux.

Adstipulatur Aldrovandus *lib. 1. de Qvadruped. Bisulcis c. 34. p. 367.* Ast uti in Camelo, ita in eqvo esse cognationis sensum, exemplis qvidam adstruunt ex Aristotele *l. 9. de hist. animal. c. 47.* (Scaligero 73.) qvi tamen ex relatione aliorum scripsit, Varrone l. 2. *de Re Rust. c. 7.* Æliano *l. 4. c. 7.* Plinio *l. 8. c. 42.* Oppiano Cyneget. *l. 1. v. 239.* Adjiciunt ex historia superioris sæculi, a Johanne Lupo Hispano *in Tractatu de matrimonio & legitimatione* tradita, a Nicolao Boerio *in Tract. matrimoniali Decis. 318. n. 2.* Lipsio *Cent. 3. ad Belg. Ep. 56. p. 736.* aliisqve passim repetita, eqvum in Hispania Bætica generosissimum, qvi ungventis & lenociniis inductus ad matrem incestandam, cognito crimine, morsu sibi ipse genitalia, cum magna adstantium admiratione abrupit. Hæc Aldrovandum in assensum trahere prius potuerunt, *lib. 1. de Qvadruped. Solidiped. c. 1. pag. 34.* qvem postea dissensisse ex dictis paulo ante patet, nisi malimus collectoribus operum ejus illam dissensionem imputare. Qvi itaq; reverentiam illam naturalem assensione sua comprobant, habent, qvæ inter alia commentarii loco adscribant, tum illis Senecæ *in Hippolyto v. 910:*

Feræ

Feræ quoque ipſæ Veneris evitant nefas,
Generisque leges inſcius ſervat pudor;

tum Juſtiniani *Novella* XII. *cap.1. de inceſtis & nefariis nuptiis*, ubi ad fœditatem & turpitudinem illicitorum & contrariorum naturæ congreſſuum monſtrandam, plurima etiam irrationabilia animalia eos amovere dicuntur.

Eqvus & Ovis tam variis morbis affligitur] 134

N. 34. Inter multos morbos ac defectus eqvorum, cum remediis adductos a Dn. de Hohberg. *Georgica Curioſ. Part.*II. *lib.8. c.67. ſeqventibus*, & D. Simone Pauli Archiatro Regio Haffniæ, *in Anatomica & Medica Conſideratione Equi Regii*, equinæ ſpeciei proprius eſt, docente Helmontio *in Tumulo Peſtis, ſub rubrica, Peregrina Lues nova (pag. mihi 222.)* quem Belgæ den Worm / Galli le farcin vocant, cujus purulenta carie equi ſenſim pereunt. Ex commixtione nefanda ſceleratiſſimi hominis, cum jumento ea lue infecto, in obſidione Neapolitana, luem, quæ primum tunc emerſit, Gallicam, in homines juſta DEI vindicta transplantatam, idem ſuſpicatur Helmontius. Multos etiam in equis morbos originem ex bile habere, ſentit Thomas Brovvn *Pſeudodox. Epidem. l.3. c.2. p.563.* Nam, etſi veſicula fellis, qualis in aliis animalibus qvadrupedibus reperitur, careat eqvus, non deficit tamen, eodem teſte, & longe ante eum Abſyrto Hippiatro inter Græcos vetuſto apud Aldrovand. *de Quadruped. Solidip. l. 1. c.1. pag.13. b.* bilis ejusque receptaculum in cava & inferiori parte epatis, ubi veſica illa alias eſt, cavus, longus & membranoſus ſacculus, in quem humor ille per meatus ſuos confluit, & ex quo per ductum ſu-

um apertum & liberum, in intestinum duodenum fertur. Et quoniam in eo sacculo bilis non ita, ut in vesica aliorum animalium conclusa est, aut minimum non tamdiu in eo asservatur, fit, ut equi flatus & excrementa sæpius emittant præ aliis bestiis. Cum ergo Aristoteles *l. 2. histor. animal. c. 18. l. 4. de partibus animal. cap. 2.* & Plinius *l. XI. c. 37.* carere ajunt, etiam equos felle, accipi debent de felle in vesica; Nam ipse Plinius *l. 28. c. 9.* eqvinum fel damnari tantum inter venena refert, & camelis, quibus fel negaverat, tribuit *ibid. c. 8.* In quem sensum & nostra verba, quæ superius scripsimus *cap. 2. pag. 14.* interpretamur.

Varii coloris equos, quos Schecken *vocant*]

336 N. 35. Colores equorum præcipui quatuor numerantur. Primus Castaneus, *Puniceus, Spadiceus, Badius*, braun-roth/ Castanienbraun/ sub quo badius inauratus licht-und gold-braun/ badius obscurus seu Piceus dunckel-und schwartz-braun/ rosatus pallidus seu male coloratus, aliæque differentiæ continentur. Secundus est albus, Schimmel/ & quidem vel intensus & candidus ut cygneus, niveus, gantz Schnee-weiß/ quales equos Hispani Blanquillos, Itali Armelini vocant, vel remissus ut canus seu griseus, cujus varia discrimina Germani exprimunt vocabulis, weiß-grau-Schimmel/ Schwartz-Schimmel/ Roth-Schimmel/ Apfel-grau-oder Spiegel-Schimmel/ rc. Tertius est rufus, πυῤῥός, inde antiquis latinis burrus, ein Fuchs oder Roth-Fuchs/ quo refertur ein Dunckel-oder Schweiß-Fuchs/ rc. Quartus est niger, & quidem vel intensus sive pressus kohl-schwartz/ Rappe/ vel lucidus, licht-schwartz/ vel murinus, Mäußfarb-schwartz.

Inter-

Intermediorum & mistorum colorum eqvi dicuntur (1) varii vel discolores, Schecken/ inter quos, qui multos habent colores mixtos, Hoveri vel Hoberi Mauritanorum vel Arabum lingua vocantur. (2) fulvi, gilvi, melini, ἀπὸ τῶν μήλων, a colore malorum, fahlen / falben; qvorum qvidam lucidi seu inaurati, qvidam cervei, qvidam lupini, qvidam murini & alii.

N. 36. Ex qvibus coloribus Judicium de eqvis generale hoc fieri solet: (1) Spadicei seu Badii sunt sangvinei, sani, durabiles, dociles. Præferuntur ergo reliqvis. (2) Albi non ita validi atqve robusti, sicut cæteri, pulcherrimi tamen, imprimis nivei vel cygnei, ideoqve ad pompam magis, qvam bellum & duros labores adhibiti. Unde legimus apud Poetas Historicosqve, deos & triumfantes eqvis albis vectos. Apocalypſ. VI. 2. c. XIX. 14. Christus & Sancti eqvis albis insident, in signum tum victoriæ ab hostibus reportatæ, tum puritatis. Apud Prussos adhuc gentiles plurimos, non licebat usibus familiaribus adhibere eqvos albos, utpote diis sacros. Petrus de Dusburg *Part. 3. Chron. Pruſſ. cap. 6.* apud Hartknoch *Part. I. veteris & Novæ Prusſiæ cap. 9. p. 158.* Pontifici Romano Rex Hispaniæ Vasallus, ratione regni Neapolitani qvotannis in vigilia S. Petri nobilem album eqvum Asturconem, cum decem millibus coronatis offerre per legatum tenetur. Sprenger. *Roma Nova l. 5. c. 9. p. 349.* Della Valle *Part. IV. Itiner p 229. b.* Galli colorem album etiam in eqvis pro regio habent: nec cuiqvam antehac permissum albo eqvo in urbem ingredi. Qvamobrem cum Carolus V. Imper. Lutetiam Parisiorum ingrederetur,

& Franciſcus alias ipſum variis honorum argumentis proſecutus fuiſſet, atro tamen eqvo ad ingreſſum donavit, ſolo interim Franciſco Eqvo albo incedente. Ex Bellaji lib.XIV. Becman. *Hiſtor. Orbis Terrar. Part.*II. *cap.*III.*n.18. pag.549.* Meliores tamen & robuſtiores eqvi albi putantur, quo magis à candore remittunt. (3.) Rufi cholerici ſunt, ſed & molles; labores non diu perferunt. Præſtant in hoc genere in fuſcum rutili, die Schweiß-Füchſe/ qvosHiſpani in proverbio dicunt prius mortuos qvam fatigatos. Turcæ vicinæqve iis gentes arte rufos reddunt, ad terrorem hoſtibus ſangvineo colore faciendum. Apocalypſ. VI. 4. eqvus rufus copioſum ſangvinem acerrimis præliis fundendum indicat.(4.) Nigri judicantur tardi ac pigri, indociles, iracundi, infidi, ad exultandum ferociter proclives (werden leicht kollericht/) Qvo plus a nigrore recedunt, ut murini vel lucidi, eo minus æſtimantur. Nigri preſſi contra nonnullo ſunt pretio, qvamvis debiles plerumqve viſu. Hiſpani eos magnifaciunt. Hungari amant dicere: nihil adverſi accidiſſe generoſo eqviti in eqvo nigro. Itali habent proverbium: *Cavall morello, o tutto buono, o tutto fello:* i. e. Eqvus morus vel niger, aut totus bonus, aut totus malus. Æthiopes & Mauri eo colore valde delectantur, & ut majorem hoſtibus incutiant formidinem, concoloribus ſibi eqvis in bello utuntur. Apparatum ipſorum deſcripſit Silius Italicus *lib.7.* Hinc Elmacinus *Hiſtoria Saracenica l.1. c.17.* narrat, Cyriacum Nubiæ ſeu Habeſſinorum Regem, Chriſtianis in Ægypto Chriſti nomine gravia perpeſſis, contra Saracenos opem laturum, duxiſſe exercitum centum mille eqvitum

tum nigrorum, centum millibus eqvis nigris insidentium. Gentiles, sicut Jovem superum candidis eqvis, sic inferum Plutonem atris vehi fingebant. vid. Scheffer *de Re vehicul. l.1. c.18. p.245.* In Apocalyps. VI. 5. eqvus niger indicat denigrandas facies ex fame subsecutura. Conf. Thren. IV. 4. 7. 8. (5) Vario colore eqvos multi cum Palladio *l.14. Tit.13.* censent stolidos, dolosos, infelices, vecordes, tumidos & obstinatos. Ast etiam in hoc genere optimos deprehendi, Joachimi Camerarii judicio *in Hippocomico p.1.* (qvod Franzius ex Filii Horis subcisiv. *Cent.* I. *c.23.* adduxit, repetitumq; est *Cent. 2. c.91.*) assentiuntur Dn. Baro a Stubenberg *libro infra nominando pag.34.* Dn. Baro de Hohberg *l.c. pag. 129.* Eosdem Parthicos, Thracicos vocatos adjicit Camerarius, item Marones, ab urbe forte Thraciæ, cujus Suidas meminit, Marone. Græcis ψαροὶ, i.e. exponente Hesychio, ποικίλοι. Unde psaronium, lapis variegati coloris apud Plin. *l.36. c.22.* Cum autem ψὰρ vel ψαρὸς sit sturnus, avis nigra albis distincta maculis, ψαροὶ ἵπποι proprie eqvi erunt sturnorum maculis insigniti, albis scilicet vel cinereis; Et hos fortasse veteres non magni æstimarunt. Nam & λευκοψάρους seu μάρονας asinos vocarunt, qvorum color ex candido in cinereum vergit, qvosqve ad admissuram improbarunt. (5) Eqvi fulvi *cervei & inaurati* laudantur; *lupini* laboriosi sunt, non tamen durabiles, *murini* pigri, debiles, melancholici æstimantur.

N. 37. Nec tamen solum ad colores generatim, sed etiam ad signa alia de eqvorum indole judicaturi respiciunt; nimirum partim ad maculas

faciei

faciei & crurum, atqve circinos pilofos, feu pilorum turbines, partim ad partes corporis, partim ad greffum geftumqve, de qvibus notis ipfe Franzius fub finem capitis agit.

N. 38. Solent etiam non parùm differre inter fe eqvi juxta folum natale. Olim celebratos Ægyptios aliosqve recenfuimus n. 19. fqq. Hodie in ore Philipporum & Marenholdorum circumferuntur Perfici, Turcici, Tartarici, Arabes, Hifpanici & Portugallici omnibus Europæis præferendi, Neapolitani, Frifii, Oldenburgici, Polonici, inter qvos Podolici præftantiffimi: qvi omnes, qvibus dotibus fint, aliiqve alios præcellant, ex Scriptoribus rei eqveftris, fub finem capitis citandis, petendum.

Eqvi oderunt urfos, camelos, Elephantos & Santaractam]

N. 39. Lupos merito addimus *ex cap.20.p.225.* vid. Plinium *l.28. c.10. & 20.* Pamphilum *in Geopon. l.15. c.1.* Ælian. *l.1. hift.anim.c.36:* Pierium *l.XI. Hieroglyph. c.X.* Camerar. *Cent. 1. Subcif. c. 23.* Σανδαράχη, σανδαράκη, Sandaracha, five Sandaraca eft inter minerales fuccos concretos venenis annumerata. Eam a longinqvo fentire & averfari eqvos, alibi non legi.

Augetur amor ex præftita ipfi benevolentia]

N. 40. Hinc Turcæ pullos eqvorum, veluti ex numero liberorum effent, omni lenitate educant, manibus demulcent, in conclavia fua introducunt, fufte nunqvam, nifi magna cogat neceffitas, percutiunt. Unde evadunt illi hominum amantiffimi, neqve tamen calcitrofi, aut mordaces, aut refractarii exiftunt. Ita affvefiunt, ut juffi in genua procumbant, feffo-

sessoremqve hoc modo recipiant; bacillum, clavam aut ensem mordicus humo attollant, insidentiqve domino porrigant. Apud nos eqvorum curatores, truci voce in eos intonant, fustis sæviunt: unde ad curatorum ingressum in stabulum, eqvi toti cohorrescunt, & ipsos perinde oderunt atqve metuunt. vid. Busbeckium vel Busbecium *Epistola III*. Ita enim appellandum, non Busbeqvium, qvomodo Miræus, Svvertius, & editores epistolarum communiter vocant, ex propriæ Busbeckianæ manus testimonio evincit Petrus Lambecius *Commentar. de Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi lib. 1. segm. 39. pag 37*. Imaginem hic intueri licet educationis liberorum ingenuorum, qvos Præceptores prudentes blandè ad obseqvia flectunt, & omni doctrinarum genere virtutibusqve imbuunt; cum contra, qvi durius habent discipulos, ac nonnisi increpationibus horridis, & plagis assiduis ad officia compellunt, metu omnia extorqveant, sibi discipulisqve graves & exosi.

Zachar. I. 8. *& seqq*.]

N. 41. Apparet Prophetæ vir insidens eqvo 137
rufo, idemqve consistens inter myrtos, qvæ sitæ in profundo. Ejus comitatus erant Eqvi, i.e. Synecdochice eqvites non unius generis eqvis vecti. Primi describuntur rufi; secundi שרקים *serükim*, i.e. juxta Græcos, vulgatum, Syrum, Arabem, *varii*, juxta Bochartum, *flavi*, *subflavi*, *gilvi*, melini. Nam lina שריקות *serikot* Jes. XIX. 9. sunt bene pexa, & colore suo flavescente præstantia; & שרקים *serükim* dicuntur vites præstantes Jes. XVI. 18. & alibi, qvæ uvas aut vinum ferunt fulvi coloris, der eine gold-gelbe Farbe hat. Columella *l. 4. c. 2.*

uvas

uvas narrat helvolas, qvas nonnulii varias appellant, neqve purpureas, neqve nigras, ab helvo forte colore. Est autem helvus color Varroni *l. 2. de Re Rust. c.5.* inter rubeum & album. Apud Gellium *l.13. c.30.* tria genera vini recensentur, nigrum, album, medium (alii melinum legunt), qvod vocant gilvum. Confer Plinium *l.14. cap.2. & 9.* Tertii eqvi erant albi.

N. 42. Cujus visionis sensum interpretes varie reddunt. Duos præ reliqvis afferemus. Tarnovius ita exponit: *Vir eqvo rufo insidens Christus est, celer ad auxilium accurrens, igne calamitatum ecclesiam purgans, ultionis hostes consumens; consistit ad juvandum promtus inter myrtos, qvæ sunt in profundo ad lacus alicujus ripam, in loco humili sitæ, fluctibus & procellis exposita; h.e. inter vera & viva suæ Ecclesiæ membra, qvæ qvidem virent, florent, fructumqve edunt ac odora sunt in Christo, verum in mundo multis calamitatibus oppressa, velut in profundo latent submersa. Eqvi vel Eqvites insidentes eqvis diversi coloris, sunt Angeli boni, aliiqve ministri majestatis divinæ, qvi Christo Regi, ut instructi ac cataphracti eqvites suo Monarchæ terreno alacriter inserviunt, prompte parent, & celeriter jussa exeqvuntur. Eqvi rufi significant regna, qvibus præfuerunt, fuisse sangvinea & cæde madentia ex bellis seditionibusqve: varii (vel fulvi) denotant statum regnorum mixtum, qvæ nunc bello insurgant, nunc facta pace qviescant; albi deniqve regna tranqvilla & læta adumbrant. Hos DEUS Pater per filium suum misit ad perambulandam terram, ut ad ipsum referrent, qvid rerum in terra geratur. Reversi omnium provinciarum Angeli nunciant totam terram*

ram pace ac felicitate frui, cum sola Ecclesia afflictionibus prematur. Qua sanctorum Angelorum relatione & condolentia audita, Christus pro Ecclesia Israelitica reduce ex Babylonia apud DEUM Patrem intercedit.

N. 43. Cocceji hic est commentarius: *Filius DEI eqvum gentium qvendam rufum & multo cruore madidum insidet, & cogit stare qvietum, uti erat tempore Darii Nothi, qvem Rex populi Christus ita frenavit, ut conatibus populi ædificantis templum minime obsisteret. Stabat ille inter myrteta in profundo, i.e. Israelitas tum non in alto monte, sed in profunda valle collocatos, ubi virebant & odorem proferebant inter mundi regna, qvorum unum post aliud emergit. Post Christum sunt eqvi rubri, spadicei, albi, h.e. ejus nutibus alligati & astricti angeli mali, qvibus traditus est mundus a DEO, una cum terra sancta, ut gentes varias excitent, agitentqve, per qvas eam terram conculcent, qvarum gentium alia crudeles atqve sangvinaria, alia punicea medii generis, alia etiam pacifica populo & æqva, ut Alexandri Macedonis imperium. Postqvam enim terra tradita erat gentibus, Filio DEI erat cura populi sui, potentiaqve sua frenabat crudeles gentes, ac Diabolo non permittebat, ut grassaretur pro libitu, sed omnia ita gubernabat, ut populi & dynastiæ ad grassandum ab angelis malis excitata, essent partim ad judicium, partim in terrorem, partim in refrigerium & laxamentum populo suo. Hi igitur Angeli mali missi ad concitandos populos, ubi a functione sua redierunt, obmurmuratione sua de qviete in terra, animum suum nocendi cupidum nudant,*

& tan-

& tantum non accusant filium DEI, quod ipsos non fineret grassari, & terræ quietem daret, ipse equum illum rufum, cujus illud tempus erat, veluti insidens & continens. Murmurationi illi respondet Angeli intercessio.

N. 44. Accommodationem piam Franzii ad Christum; Apostolos atqve ministros verbi non aspernamur. Eandem concisius verbis Balduini in Commentar. ad l. c. damus: *Vir ille apparens Propheta est Filius DEI, promissus ille mundi Messias: hunc misit DEus, & etiamnum mittere solet in subsidium laborantis Ecclesiæ. Insidet is eqvo ruf, hoc est, paratus est ad vindicandam injuriam Ecclesiæ suæ illatam. Stat inter myrtos in convalli, hoc est, in exiguo catu piorum, qui cum post captivitatem supererat, qviqve juxta dictum Christi Luc. XII. pusillus grex manebit usq; ad finem mundi:* Subseqvuntur alii eqvi, *hoc est, Ecclesiæ doctores Christum archiducem fortiter seqventes:* nonnulli eqvis rufis, *hoc est, vitam pro Christi gloria & confessione veritatis fundere parati:* alii varicoloribus, *hoc est, variis suis donis Ecclesiæ servientes, & pro salute ejus decertantes:* alii deniqve albis; *h. e. certitudinem fidei doctrinamqve veritatis integritate vitæ & candore morum cohonestantes, qvales sunt omnes illi, qvi Evangelio Christi digne ambulant.*

N. 45. Verba Habacuci c. III. 8. qvæ cum Zachariæ loco congruere vult Noster, iterum in sensu accommodatio accipi debent. De sensu literali consule præ aliis commentatoribus Tarnovium, Joh. Schmidium, Coccejum.

N. 46. Alia visione Zachariæ *VI. cap. 1. vers. & seqq.*

& seqq. offeruntur qvatuor qvadrigæ, prodeuntes ex ſpatio inter duos montes æneos: qvadrigæ qvatuor notant qvatuor regna medio tempore, qvo duo regna valida & inconcuſſa a DEO conſtituta perſiſtunt, ſcilicet regnum Davidis & regnum Chriſti, exoritura. Qvadrigæ primæ juncti erant eqvi אדמים *adümmim*, rufi ſangvinis inſtar; ſecundæ eqvi atri; tertiæ eqvi albi, qvartæ eqvi ברדים אמצים *Berüdim amützim*, grandinati, (albis maculis vel punctis grandinis inſtar reſperſi) rutili. Significant qvatuor illa regna, partim ſangvinem effuſura in terra Iſraelis, partim ei gravia futura & triſtitiæ cauſam, partim mitia & clementia, partim truculenta. Eædem qvadrigæ mox qvatuor ventorum, i.e. populorum impetum facientium nomine veniunt. Inter eos ad nutum aut permiſſionem DEI atri, (Medi & Perſæ) prodeunt in terram Aqvilonis, (Babylonem & Aſſyriam) populo DEI non qvidem ſangvinarii, ſed tamen graves & moleſti? Albi (Græci ſub Alexandro) exeunt poſtea in eandem regionem, commodi Iſraeli: Grandinati exeunt in terram Auſtri; (Succeſſores Alexandri M. turbis etiam Ægyptum involventes, erga Judæos aliqvando mites, aliqvando crudeles.) Rufi indicant Romanos, Judæis in poteſtatem acceptis, ſangvinarios & exitiales. Ita *Coccejus*. At Balduinus cum B. Luthero, de prædicatione Evangelii in omnibus mundi partibus, intelligit. Licebit ſaltem ad eam pulchre applicare contextum integrum.

N. 47. In utraqve Zachariæ viſione, Cap. I. a v. 8. ad 12. & VI. a v. 1. ad 8. tempora N. T. præfigurari, ex repetitione ejusdem Apocalyptica Cap. VI.

1. sqq. colligit argutus Chronotaxeos Apocalypticæ concinnator Matthæus Hoffinannus, Primus apud Svidnicenses in Silesia Invariatæ Confess. August. ad SS. Trinitat. ædem Pastor. Docet autem, Eqvitem primum eqvo albo insidentem, significare Christum, prima ætate sive periodo Ecclesiæ N.T.ab.an. Chr.33. usqve ad an.375. moriendo Diaboli, peccati & mortis victorem, adscendendo in cælos triumfatorem, & rursum per prædicationem Apostolorum gentes sibi subjiciendo victorem. Per eqvitem alterum in eqvo rufo, prædicta esse secunda ætate ab an.375. ad an.718. funestissima bella & clades, a barbaris gentibus Imperio Romano, hospitio Ecclesiæ illatas. Sub tertii eqvitis in eqvo nigro imagine, latere famem spiritualem seu corruptelas doctrinæ & superstitiones, tertia Ecclesiæ ætate, ab an. 719. ad an. 1061. exortas. Qvartum eqvitem in pallido eqvo, symbolum esse, in qvarta ætate ab an. 1062. ad an. 1404. nigredinem præcedenti periodo grassantem, hoc tempore aliqvali mixtura albedinis pallidam esse effectam. Etenim tunc corruptelas, superstitiones & idololatrias superioribus sæculis exortas, a pluribus multis in locis, & ore & calamo reprehensas esse: at dum nihilominus accumularentur illæ indies, & contra testes Jesu fideles vi & injuria defenderentur, Mortē & infernum eam secutum, potestatem accepisse interficiendi qvartam partem Christianorum *gladio*, i.e. bellis inter Imperatores, Reges, Pontifices aliosq; *fame & morte* spirituali, i.e. per malitiosam & refractariam veritatis impugnationem, qva sibi mortem ipsam æternam accersiverunt &c. Dolendum autem summopere Hoffmannum morte præventum, non potuisse

isse integram Apocalypsin explanare. Ipse forte animadvertisset, & componere suscepisset dissonantiam inter visiones Zachariæ & Apocalypticam, partim in ordine, qvo se subseqvuntur, partim in numero eqvorum.

Josuæ II. 9. & alibi ex mandato divino subnervantur eqvi hostium]

N. 48. Mandatum legitur ibid. v.6. executio v 9. Id observans David, bello captos currus, i.e. curruum tractores eqvos enervavit, exceptis centum, qvos ad usus necessarios sibi selegerat, *2.Sam. VIII.4. 1. Paral. XVIII. 4.* In hebræo est עָקַר *akar*, qvod verbum cum significet, evellere, eradicare, extirpare *Eccles.* III. *2. Dan.VII.8. Sophon.*II.*4.* qvid ad eqvos translatum indicet locis citatis, dissensus est inter Interpretes. Vero similior est expositio LXX. Interpretum *νευροκοπεῖν*, & vulgati *subnervare*, i e. nervis crurum gladio aliove instrumento præsectis, eqvos inutiles plane efficere & destruere. Sic boves etiã subnervatos fuisse colligitur ex *Gen. XLIX.6.* qvos scilicet abigere non poterant aut nolebant deprædantes urbem Sichem *cap.XXXIV. 25. 28.* vid. Bochart. *col.178.* Majum part.2. p.398. In ratione præcepti divini Franzio consentiunt Rabbini, *Kimchi, & Levi Ben Gerschom.*

N. 49. E contra eqvos expeditiores fieri, tum splenis excisione, tum pedum excavatione vetus est traditio. Chaldæus Paraphrastes Esther.VIII.10. *Et misit literas per manum cursorum currentium super eqvos, & eqvitantium veredos nudos, & eqvas, qvibus ablati fuerant splenes, & excisæ fuerant particulæ plantæ pedis ipsarum.* Talmudici *in Gemara*

Sanhedrin cap. 2. sect. 9. & in Avoda Zara cap. 3. tradunt Adonijæ cursoribus qvinqvaginta *1. Reg.* I. 5. *splenem fuisse ablatum, & plantas pedum excavatas.* Et splenem qvidem impedimento esse currentibus non solum bestiis, sed & homini, atqve utiliter & innoxie eximi, aut inuri ferro, aut medicamentis paulatim consumi, olim persvaserunt sibi veteres. vid. Plin. *l.XI.. c.37. l.26. c.13,* Plautum *Curculione act. 2. Sc. 1. in Mercatore act. 1. sc. 1.* & ipsos medicos a Bocharto adductos *col. 180.* Turcis cursoribus adhuc hodie lienem inuri, fama est. Recentiores Anatomici adstruunt in canibus, felibus, aliisqve similibus innoxie eximi, an in homine eadem facilitate procedat, dubitant. vid. Bartholin. *Anatom. Renovat. l. 1. c. 16.* D. Bohn *Circulum Anatomico-Physiolog. Progymn. XV*III. An eqvus qvoqve bonæ notæ periculo sectionis subjici debeat, judicent iidem. Jam olim Absyrtus *l. 1. veterinariæ c. 40.* ustionem dissvasit. Particulam autem plantæ, qvam ex eqvo exscindi dicunt Hebræi, ad ungulam refert Bochartus; Ea enim detrita circumcidenda est. Turcæ istum defectum cavent soleis, non ita ut apud nos apertis, sed pene continuis & solidis vid. Busbeck. *Epist. 3.*

Joachimi Camerarii de eqvis scriptus liber]

N. 50. Impressus Lipsiæ an. 1556. 8vo. Philippis vel Marenholdis hic commendandi, tum veteres Palladius *in libris de Re Rustica,* Absyrtus *in Hippiatricis;* tum recentiores, *ex Italis* Pasqvale Caracciolo Eqves Neapolitanus, *in libris Gloria del Cavallo Venetiis 1589. 4to;* Augustino Gallo Nobilis Brescianus *in libris de agricultura Venetiis 1603. 4to;* Pirro Antonio Ferrara Hippodida

scalu

ſcalus Regius Neapolitanus *in Cavallo frenato*, Federico Griſone Neapolitanus *de arte eqveſtri*; Joh. Battiſta di Galiberto *in Cavallo del Maneggio*; *e Gallis* Brevilius Pompejus, Gabriel Naudæus *in Syntagmate de Studio militari lib.*I. *cap.*XXII. De Solleyſell Le veritable parfait Mareſchal, oder warhafftig vollkommener Stall-Meiſter / Del campe de nobili arte eqveſtri, *e Germanis* Marcus Fugger *in libro de eqvis generoſis alendis & imbuendis*, Georg Simon Winther de Re Eqvaria ſive von der Stuterey/ Johan Wilhelm a Stubenberg *in norma Armentorum eqvinorum inſtituendorum*, Dn. ab Hohberg *Georg. Curioſ. Part.*II. ubi ex pleriſqve laudatis Actoribus optima ſelegit, & ſua experientia auxit. Rei Oeconomicæ ſcriptores alios notiſſimos non opus erit hic commemorari.

MORALIA

I. ECCLESIA, SANCTI.

Cant. I.9. *Eqvitatui in curribus Pharaonis comparo te, amica mea.* Eccleſia comparatur *Primò* eqvo (1) *ob promptitudinem ſummam obſeqvendi.* Eqvus ſe facilè duci, & non calcaribus duntaxat & fræno, ſed & virgula, immo umbra virgæ, & ſolis verbis ſe regi patitur. Qvam ob cauſam Hebræis סוס. *Sus* vocatur: (*vid. ſupra n.1. hoc capite.*) Pii cum propriæ renunciaverint voluntati, ad minimum DEI juſſum dociles ductilesqve ſe præbent, dicentes: *Loqvere modo Domine, nam audit ſervus tuus,* 1. Sam. III. 10. (2) *ob robur.* Eqvus robuſtus admodum eſt; (inde אביר *abbir* nominatur, n. 2.) *Pii cunt in omnimoda fortitudine Domini DEI* Pſ. 71. 16.

Omnia valent per eum, qvi illos corroborat, Christum Philip. IV. 13. eaqve faciunt in superando mundo ac debellando peccato, qvæ cæterorum hominum valentiam longe excedunt. (3) *ob generositatem.* Generosum animal est eqvus, & ut fortitudinis bellicæ emblema, illustri encomio ab ipso DEO exornatur, *Job. 39. 22. &c.* (supra n. 9 sqq.) Piis heroicum qvippiam inest, qvod, qvotiescunqve Christi, & salutis ac pietatis negotium agitur, iis se prodit indiciis, qvæ in stuporem dare aspectantes potuere. Et emeriti senes, & imberbes pueri, & imbelles puellæ, tam fortiter sæpe pro Christo dimicare, tantoqve animo dirissimas qvasqve mortes pro pietate obire visi sunt, ut majorem homine Spiritum eos agere constaret. Fuerunt illi similes *potentibus conculcantibus lutum platearum in bello, cum præliabantur, qvia Jehova cum ipsis erat, & pudefecerunt eos, qvi insidebant eqvis* Zachar. X. 5.

Secundo comparatur Eqvis Ægyptiis præstantibus pulchritudine, alacritate, celeritate, generositate (*supra n. 20.*) Inde Ægyptiis Leo qvidem roboris & virium Symbolum erat, fortitudinis autem & audaciæ eqvus. Clemens Alexandr. *l. 5. Stromat. p. 567.* Talibus eqvis pii assimilantur, ad indicandam generositatis præcellentiam. Neqve hoc tantum, sed &

Tertio eqvis currulibus Regis Pharaonis, qvos sine dubio præstantissimos, & ex universo regno selectissimos habuit. Nam, uti currus regius eminebat, ita & eqvi cæteris omnibus præstiterunt. Qvæ omnia ad exaggerandam Christianæ pietatis generositatem faciunt. Immo

Qvarto, ne hic qvidem subsistit DEUS, qvasi justo

justo minus esset pios eqvitio curruli Pharaonis comparare, pollicetur se eos dispositurum sicut eqvum majestatis suæ in prælio, *Zachar.X,3.* Qvo nihil dici potest augustius. Homo Sanctus est Eqvus dispositus ad prælium Jehovæ, & Eqvus summi Imperatoris, divinæ majestatis, qvi propter fortitudinem generositatemqve suam ab ipso dignus est insideri cælorum Rege. Qvapropter etiam is, qvi in veste ac femore suo scriptum habebat nomen, Rex Regum & Dominus dominantium, visus est Johanni insidens Eqvo albo *Apoc. XIX. 11.* qvo denotantur veritatis candidi professores, & Sanctitatis sinceri Sectatores, qvibus pugnat Jesus, & in qvibus reqviescit ac glorificatur.

Hæc ex Hermanni WitsI Theologi Ukrajectini *Oeconomia Fœderum DEI cum Hominibus l.3. c.12. n 63.* transumta, juvare possunt Lipsium, qvi inaudita Majo *Part.II. p.362.* scripsisse visus est *Cent.3. ad Belgas Epist.56. ob pietatem, miramqve ac promtam Eqvi obedientiam, in ipsis sacris literis, Eqvis & eqvitatu piorum animas significari, qvæ Dominum videlicet, Sessorem Rectoremque acceperunt, neqve ex sua libidine, sed ejus arbitrio flectuntur.*

II. S. PAULI CONVERSIO.

EQvi pavidi, qvem vel umbræ terrent, Curator oculos velo obducit, ut timere ille dediscat. Tali epigraphen dabis: UMBRIS ADIMIT UMBRAS. Hoc artificio DEUS Saulem exterritum adortus, ut mentis Judaicæ umbras excuteret, paucis diebus illum oculorum luce privavit. Augustinus *Serm.35. de divers. Cæcus sane factus est, ut interiore luce fulge-*

 ret.

ret. *Exterior lux ad tempus subtracta est persecutori, ut redderetur prædicatori.* Picinell. *T.1. p.378.*

III. TIMIDUS, SCRUPULOSUS.

HOminem timidum & scrupulosum, in virtutis assеqvendæ decursu assiduo turbatum & inqvietum, eqvus militaris repræsentat, qvi ad obvias qvasqve umbras exterritus, refugit, trepidatqve cum lemmate: EXTERRITUS UMBRIS. De iis qvi rebus qvibusvis inanibus sese terreri patiuntur, pronuncies Psalm.XIV.5. *trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Ne vero ob timoris hujus umbras, a directo legis divinæ tramite unqvam abripiare, consilium suggerit Augustinus in Psalm.63. *Eum timere debet homo, a qvo factus est homo. Qvod supra homines est time, & homines te non terrebunt.* Picinell. l. c. p.379.

CAPUT XIII.

DE BOBUS.

145 *Bos apud Græcos & Latinos comprehendit simul taurum & vaccam*]

N. 1. Varro *de Re Rust. l. 2. c.5. In bubulo genere primus ætatis gradus est* vitulorum, *secundus* juvencorum, *tertius* boum novellorum, *qvartus* vetulorum. *Discernuntur in prima ætate* vitulus & vitula, *in secunda* juvencus & juvenca, *in tertia & qvarta*, taurus & vacca.

N. 2. Qvæ discrimina etiam Hebræi suis vocibus exprimunt. Nam Primo עֵגֶל *egbel* vitulum,

lum, & fœmin. עגלה *eghla* vitulam dicunt. Chaldæi, Syri, & Arabes retinent. Derivatur vox *juxta Bochartum* ab עגול *agbbol*, rotundus, qvia præ cæteris pecudibus formæ est maxime teretis, præcipue cum saginatur; *juxta Majum* ab Arabico עגל *agela*, festinare, properare, ob incitatum festinatumqve motum aut cursum, ab ipso S. Codice eis adscriptum; *Psalm. XXIX.6. & exsilire fecit eas* (cedros) *sicut vitulum.* Ita Chaldæus, Syrus Erpenii, Aqvila & Symmachus. Male pro exilire Vulgatus, Syrus & alii, *comminuere* vel *dispergere* habent. Nimirum in terræ motu, (ut cum Lex promulgata est in monte Horeb) DEUS facit, ut cedri, ac ipsi montes, in qvibus consitæ sunt, exiliant atqve subsultent. Proinde hi montes arietibus & agnis conferuntur *Psalm.CXIV.4.* & cum vitulis hoc loco, qvorum est σκαίρειν & σκιρτᾶν salire, saltiare & saltu lascivire. Unde LXX. Jerem.L.11. ἐσκιρτήσατε exiliistis, ut juvenci in herba; Malach.IV.2. σκιρτήσετε exilietis ut vituli. Homero qvoqve & Theocrito saltus iste cantatus. Alias Hebræi & Arabes generatim appellant vitulum, *filium bovis* ex Levit. IX. 2. Deut. XXI. 3. 1. Sam. XIV. 32. at עגלת בקר *eglat bakar* 1.Sam.XVI. 2. & Jes. VII.21. speciatim est vitula bovis. Qvoto tempore ætas vituli contineatur, non conveniunt hebræi, qvod vox עגל aliqvando strictiori, aliqvando ampliori significatu occurrat. Maimonides vult עגל esse bovem anniculum, פר bovem bimum. Nam Levit.IX.3. & Mich.VI.6. vituli filii anni dicuntur. Alii vitulum putant esse, donec generat aut jugum fert. Siqvidem *Jerem XXXI.18.* Ephraim qveritur se a DEO castigatum, ut vitulus

nondum institutus, i. e. qvi nondum subacta ferre jugum valet cervice, sed multis plagis & verberibus instituitur, ut incipiat jugum pati. Sed neutra acceptio perpetua est. Nam Hos. X. 11. עגלה vitula dicitur vacca jam instituta, & triturare amans Similiter Jerem. L. 11. pingues eritis, sicut vitula דשה triturans: Jes. VII. 21. 22. vitula bovis est distenta lacte, ex quo fiat butyrum: Gen. XV. 9. Abraham DEO jubetur offerre עגלה משלשת vitulam triennem, ut exponunt Jonathan, Græci, Hieronymus, AbenEzra, Abarbanel, Kimchi *ad Es. XV. 5.* Alii tamen cum Onkelo, Maimonide, Salomone, Kimchio (in Lexico enim aliter is sentit) triplicem vitulam seu tres vitulas intelligunt. Pro qua interpretatione Grotius urgens vocem משלש in significatione trini non reperiri alibi, sed in significatione rei triplicis, ut Ezech. XLII. 6. Ecclesiast. IV. 12. in eandem sententiam adduxit Majum p. 197. Apud hunc & Bochart. *col. 275.* aliorum insuper in illum locum cogitationes leguntur. Qvæ tamen omnia non impedire laudatus Majus censet, quo minus עגל magis proprie vitulum indicet salientem adhuc lascivientemque; unde & vitulari Latini dicant: Id ipsum Germani de ineptiis petulcorum juvenum sua lingua efferunt.

N. 3. Secundo פר *par* juvencus est, qvi vitulus esse desiit, & coitu fœcundas reddere juvencas potest; פרה juvenca est, qvæ vitulæ ætatem excessit, & fœcunda esse cœpit, dum concipit, & uterum fert. Patet significatio, quia (1) פר Scripturæ locis minimum triginta nominatur filius bovis; & פרה Num. XIX. 2. vacca adhuc integra quæ non-

dum

dum subiit jugum (2) פר est cornutus Psalm.LXIX. 32. & פרדה partu fœcunda Job.XXI.10. vitulos lactans 1. Sam. VI.7.10. Sub qua ætate Maimonides bovem bimum, Kimchius trimum comprehendit. Juxta Varronem *l.2. de Re Rust. p.386.* non minores oportet inire bimas, ut trimæ pariant, eo melius, si quadrimæ. Aristoteles tradit *l.5. hist. anim. c.21.* incipere mares inire, & fœminas iniri primo jam anno, maxime autem biennes generare. Attamen cum bos septennis Jud.VI.25. פר vocetur, annorum numerus præcise definiendus non erit, sed intelligendus ea voce bos in optimo ætatis flore, pulcherrimus, & fœcundissimus. Vigere autem quinquennem maxime, vivere quindecim vel viginti annos ad summum, Aristoteles perhibet. Cæterum in voce פר originem cognoscimus germanici vocabuli Farr.

N. 4. Tertio שור *sor* cujusvis quidem ætatis & sexus bovem notat, ut vitulum, Levit.XXII.27. Psalm.CVI.19 20. sæpius tamen ad maturam ætatem refertur; v.g. *sor* triturans Deut.XXV.4. cornupeta Exod.XXI.28. speciatim Vacca Exod.XXXIV.19. Levit XXII.28. Quo pertinet Job.XXI.10. juxta Bocharti *col.291.* & Maji *p.202.* versionem consentaneam Græcis LXXII. Symmacho, Hieronymo, Chaldæo, AbenEsræ, aliisque Hebræis præter Salomonem & Kimchium: *Bos (taura) ejus concipit, & semen non ejicit: parit juvenca ejus, & non abortit.*

N. 5. Quarta vox בקר *bakar*, Chaldæis etiam, Syris & Arabibus recepta, bovem marem & fœminam in plena ætate proprie significat, Levit.III.1. Gen.XXXIII.13. Deut.XXXII.4. 2. Sam.XVII.29. Hinc vitulus & juvencus passim appellantur filii

bakar.

bakar. vid. 1.Sam.XIV.32. Tamen *bakar* vocantur 2.Paral.XXIX. 22. qvi prius פרים *parim* juvenci. Et *for* & *bakar* ſæpe promiſcue ſumuntur.

N. 5. Qvinto אלפים *alophim* vel אלופים *alluphim* commune maſculis æque ac fœminis nomen Pſal.VIII.7.8. Pſal. CXLIV.14.Deut. VII. 13. XXVIII. 4. indicat vi etymologiæ a verbo אלף *alaph*, diſcere, aſveſcere, boves jugum ferre doctos atque aſſvetos, Græcis συζυγεῖς; Inde nuſpiam apud hebræos in ſingulari occurrit.

N. 7. אבירים *abbirim*, tauri in ſuo genere maximi, & viribus validi dicuntur, ab אביר *abbir* vel *abbir* fortis, robuſtus, potens. Equorum quidem id nomen eſſe, ſed tamen bobus magnis & validis quaſi proprium, monuimus *cap. præced. n. 2.* Pſal.XXII.13. *Circumdederunt me juvenci multi; robuſti Baſan cinxerunt me.*. Robuſti Baſan. i. e. tauri robuſtiſſimi, quales in regione Baſan trans Jordanem paſcuis feliciſſima præcipue reperiebantur, ubi & homines proceritate corporis alios excedebant; unde terra Gigantum Deut.III.13. appellata. Pſalm. L. 13. *An veſcor carne robuſtorum*, i. e. taurorum? Pſal. LXVIII. 31. *Perde catum robuſtorum*, (i.e. taurorum) *cum vitulis populorum.* Eſ.XXXIV. 7. *Juvenci cum robuſtis*, i.e. cum tauris. Sunt, qui volunt Apis, præcipui Ægyptiorum deaſtri, forma bovis culti nomen ex אביר permutatis, ut paſſim fieri ſolet, literis R. & S. deductum eſſe, cum LXX. Interpretes verba Jerem. XLVI.15. *qvare abductus* eſt abbiracha *fortis tuus*, converterint: διάτι ἔφυγεν ἀπὸ σου ὁ Ἆπις; ὁ μόσχος ὁ ἐλεκτός σου οὐκ ἔμεινεν; Cur a te fugit Apis? vitulus electus tuus non manſit.

mansit. At Bochart. *col. 282.* suspicatur, ibi vocabulum Apis male deflexum, ex vocibus ἀπὸ σοῦ, aut, ex adverbio, quod alii codices pro iis habent, ὀπίσω, retro. Infra tamen *Part. II. H.eroz. col 62.* ab illa derivatione non alienus est, eamque ex adducta versione LXX. roborat. Pro eadem Hammondum *Annotat. in Psalm. XXII. 12.* allegat Spencerus *de Legibus Hebraor. Ritual. l. 3. c. 4. Sect. 4. p. 782.* Alii cum Kirchero *Tom. I. Oedipi Ægypt. p. 197.* vocem origine Ægyptiacam, bovemque significare perhibent.

N. 8. Septimo מריא *meri* etsi varie reddatur ab Interpretibus, videtur esse genus boum optimorum, saginatorum in usum sive sacrificiorum sive ciborum, & pinguedine crassorum, in his Scripturæ locis: 2. Sam. VI. 13. *& sacrificavit bovem &* meri 1. Reg. I. 9. *mactavit oves, boves, &* meri, v. 19. & 25. mactavit boves & *meri*, oves magna copia. Es. I. 11. *Satur sum holocaustis arietum, & adipe* meriim, *& sangvinem juvencorum, & agnorum & hircorum non volui.* Confer Jes. XI. 6 & 7. Amos V. 22. Confirmatur hæc sententia (1) quod *almari* Arabibus sit bos corpore pleno, compacto, nitidiore, adeo compto & levigato, ut splendere videatur (2) apud Talmudistas מרא *mara* significat saginare. (3) Chaldæus מריא *meri* constanter exponit פטים *pattim*, pingue, saginatum. (4) Græcis Interpretibus, Syro, Arabi est taurus Es. XI. 6. (5) radix Ebræa *mara*, eodem sensu legitur de urbe Hierosolymitana, Zephan. III. 2. *Væ* מוראה *crassæ* (pingui, saginatæ) *& pollutæ.* Licet autem sæpius *Meri* ejusmodi bos sit, ob etymologiam tamen usurpatur etiam de ani-

malibus

malibus aliis pinguibus & ſagina diſtentis. Sic Ezech.XXXIX.18. *Et ſangvinem Principum terræ bibetis, arietum, agnorum & hircorum, juvencorum, qvi* meriε Baſan *erunt omnes*, i.e, animantes pingues, veluti in paſcuis Baſan ſaginatæ. Ubi Syrus, Arabs, Hieronymus, & Græci recte *altilium & pingutum* voces adhibuerunt. Nec culpandi ſunt Interpretes, qui in ſupra adductis locis nomine certo non vocarunt *meri*, cum nullum ſatis aptum invenire potuerint. vid. Bochart. *col. 282.* Majum *p. 172.* Cocceji *Lexicon Hebr. & Chald.*

N. 9. Octavo a plerisque Lexicis omiſſum nomen Bovis antiqvum כרוב *Cherub*, poſt Joſephum Medum, Lud. de Dieu, Gaffarellum, Bochartum, Coccejum annotavit Spencer. *l. c. c. 3. Sect. I.* Qvam notionem probat (1) ex collatione Ezechielis I. 10. & X. 14. ubi פני שור vultus bovis, & פני הכרוב vultus *Cherub* ſibi reſpondent. (2) ex affinitate Syræ & Chaldaicæ dialecti, in qua *Cherab* arare ſignificat. Inde colligit cum citatis Viris doctis, Cherubinos fuiſſe quidem multiformes, formam tamen præcipue vitulinam repræſentaſſe. Porro cum bos ſit ſymbolum roboris, vox *Cherub* ad fortem, potentem, validum ſignificandum, traducta eſſe illi creditur, ut Ezech. XXVIII. 14. *Tu Cherub*, i.e. potens, magnus *eras, ex qvo unxi te* &c. vide D. Pfeifferi Dubia vexata Scripturæ Cent. IV. Loco 55. ad Ezech. I. 5. & 10.

Sub ejus genere comprehenduntur Bubali &c.]

N. 10. Per Bubalum cum Geſnero Franzius ſine dubio intelligit bovem illum ſilveſtrem, ab Africano, Uro, Biſonte & Bonaſo diſtinctum, qvem

vulg.

vulgo bufalum, Germani Büffel / Itali Bufalo, Galli Buffle nominant. Id genus boum silvestrium in Italia, præsertim prope Neapolim vagatur passim in pratis, agris & silvis magna multitudine. Irritati illi truculentissimi sunt & celerrimi, ut ii, quos insequvuntur, difficulter effugiant. vid. Camerar. *Cent.1. Subcis. c.25. Cent.2. c.98.* Ut ut autem ferocissimi sint, ductorum tamen atque magistrorum suorum imperio facile audientes se præbent, fœminæ præsertim, quibus nomina sua imponunt propria. Ubi enim a curatoribus suis, nomine quævis sibi indito ad mulctra vocatur, illa dicto obœdiens, ex numeroso etiam grege discedit, accurrit illico, & se mulgeri patitur. Ex quo lacte caseoli concinnantur. Johan Faber Lynceus *in Expositione Nardi Antonii Recchi p. 595.* De aliis Vocis Bubali acceptionibus, confusionem in historia animali facientibus, lege Gesner. *de Qvadruped. lib.1. p.139.* Aldrovand *l. 1. de Quadruped. Bisulcis c.5. & 6.* Jonston *de Quadruped. p.58.* Schotti *Phys. Curios. l. 8. c. 13. p.940.* Bochart. *P. I. col. 284:* Voss. *l. 3. de Idol. c.56. & in Etymolog.* Harduin. *ad Plin. l. 8. c.15.*

N. 11. Bonasus fera in Pœonia, monte Messapo, Pœoniæ & Mediæ contermino, equina juba, quoad molem vocemque tauro similis, cornibus aduncis & in se inflexis, eoque pugnæ inutilibus Quare dum adversus venatores fuga sibi auxiliatur, fimum ejaculatur ad quatuor orgyias, cujus contactu sequentes canes, ut ignis aliquis amburit. Aristot. *l. 9. hist. c.45. (juxta Scaligeri distinctionem c.71.)* At Plinius *l. 8. c. 15.* & ex eo Solinus *c. 43.* per trium jugerum longitudinem ab illo egeri fimum scribunt.

Quanta

Quanta ejaculatio cum incredibilis sit, alii textum Plinii corruptum restituere conantur, alii interpretatione quadam ei subveniunt. Vide præter Gesnerum, Aldrovandum, atque Plinii commentatores, Balbinum *in Miscellan. Histor. Bohemiæ Decad.I. l.1. c.61. p.140.* ubi Gesneri suspicioni, in altissimis silvis Bohemiæ, quondam inventos fuisse Bonasos, parum tribuit.

N. 12. Urus, Germanis Uhr-Ochs / i.e. princeps, & tum magnitudine, tum robore præcellens, Svevis ac Bavaris Aur-Ochs / tauro multo major, robustior ac velocior, cornibusque longe amplioribus, adeo ut in capite ejus duo homines sedere queant, & ipse eqvum cum sessore in altum ventilare & arbores mediocri crassitudine evertere possit. Digna est referri Urorum descriptio apud Hartknoch. Des alten und neuen Preussen. *part. 1. c.13. p. 211.* ex Hennebergeri *Commentar. ad Tabulam Geographicam Prussiæ p. 251.* Sie sind grausam und grimmig / rauch umb den Kopff und Halß / vorn hoch-schülterig / hinten niedriger / groß und starck / an der Farbe fahlechtig / halten sich in grossen Wildnüssen auff / aber zu Winters-Zeiten / wann grosser Schnee gefallen/gehen sie herauß auff das Räume / wo die Bauren Höltz gefället haben; da fressen sie die Knoten ab / daß sie sich erhalten. Eben derselbe Henneberger hat die Grösse eines Aur-Ochsen / der im Jahr 1595. erleget / beschrieben / daß derselbe in der Höhe / von dem vordern Fuß biß auff den Rücken gewesen / vierthalb Ellen hoch; von der Stirn zwischen den Hörnern / biß an den Schwantz / fünff Ellen

und ein Vierthel lang/ und habe neunzehen Centner und fünff Pfund Nürnbergisch Gewicht gewogen. Reperitur bestia in silva Hercinia, Podolia, Samogitia, Mazovia, præprimis Prussia. Nunquam assvescit ad homines, aut mansvescit, ne parvulus qvidem exceptus. Etsi dorsum ejus invulnerabile tradat Franzius, tamen reliquis partibus corporis a venatoribus vulneratum concidere referunt. B. Lutherus post alios, inter munda animalia in versione germanica recensuit Deut. XIV. 5. verum Bochartus *P.* I. *col.973.* ibi per תאו *Theo* orygem mavult intelligere cum LXX. aliisque Interpretibus.

N. 13. Bison, Germanis Wisent/ Visent/ seu Bisent/ itidem bos silvestris, quem multi cum uro, aut aliis bestiis confundunt. Plerique dicunt ab uro præcipue juba armorumque villis differre. Hinc nullus dubitat Peyerus *de Ruminant. p.30.* quin urus jubatus Jonsteni, *Tab.* XIX. depictus, nec non *Taurus Mexicanus*, quem Joh. Faber Lynceus *l. c.* prolixe descriptum, ab omnium silvestrium boum genere secernit, optimo jure possit ad bisontes discretionis ergo referri. Iisdem affinem omnino censet *Taurum Floridæ in America*, quem barbari sua lingua *Butronem* vocant. vid. Aldrovand. *l. c. cap.3.* Schott. *Phys. Curios. l. c. cap.* XI. Ast Henneberger majorem fidem merebitur, cujus hæc est descriptio apud Hartknoch *l. c. p.213.* Er siehet anders aus als ein Aur-Ochs/ ist nicht so groß/ ist auch nicht rauch umb das Maul; hatt nur ein wenig rauhe Haar zwischen den Hörnern/ sonsten ist es glatt-härig uber den gantzen Leib; sind alle schwartz/ allein das sie einen fahlen streiffen

über den Rücken die länge aus haben/ am Halß und Leibe gleich / lassen sich was zahmer ansehen/ werden zu zahmen Kühen gebraucht / doch sind die Kälber nicht tauerhafftig von ihnen. Solche/die unter den zahmen Kühen gewesen/ dürffen unter die andern nicht mehr kommen / dann sie solche erstossen. Dieselben sollen nur in der Masau gefunden werden. Dubitat ergo Henneberger, an in aliis regni Poloniæ regionibus, quam in Mazovia hodie bisontes quærendi sint. An in aliis septentrionalium regionum maximis silvis, in quibus eosdem esse tradunt scriptores, deprehendantur, testimonia indubitata non habemus.

N. 14. Bos silvestris vel Bubalus Syrus & Africanus, quem Bellonius *Observat. l. 2. c. 50.* a se visum descripsit bovem parvum, politum, bene compactum, fulvum & splendidum, cornibus instar Lunæ crescentis armatum, altis & supra erectis, mugitu bovino, sed minus alto, Bochartus pro hebræorum *meri* agnoscit; Harduinus pro fera, quam Anatomici Parisienses opere singulari delineatam ac descriptam appellarunt Vaccam Barbaricam. Confer Dapper. *Africam p. 22.* At Plinio, aliisque veteribus memorati bubali Africani congeneres videntur bestiæ cervis, damis, capreis.

N. 15. Denique sunt & boves feri alii, vel propriis nominibus destituti, vel a regione in qua morantur, aut populis, quibus familiares, nominati.

146 *Adhibebatur in plerisque victimis*]

N. 16. De quibus utiliter consulentur Franzius Noster, Joh. Saubertus, Joh. Cloppenburg, Guiliel

mu

mus Outramus *in libris de Sacrificiis*, Bochartus *Hieroz. P.I. l.2. c.33. toto*, Ludovicus de Compeigne de Veil, qui non tantum Maimonidis tractatum de Sacrificiis, & Abarbanelis proemium Commentariorum in Leviticum, idem argumentum tractans, ex hebræo latinum fecit, sed & notis additis difficilia explicavit, & omissa supplevit; Majus *Histor. Animal. P.I. p.253.* Inter eos inprimis Bochartus erudite monstrat, gentes a veri DEI cognitione alienas, prava quadam *κακοζηλίᾳ* id affectasse, ut stercoreis diis suis eundem cultum exhiberent, quem vero DEO Israelitæ. In cujus dissertationis fine, remittit lectorem ad Dilherri tractatum de *κακοζηλίᾳ* Gentilium, ex quo ingenue agnoscit, se non pauca didicisse. Quæ meditationes, uti plerisque Theologis hodie piæ judicantur, ita contrariæ sunt instituto H. Grotii, Johannis Marshami, Johannis Spenceri, Guilielmi Outrami, qui Patres nonnullos & Judæos secuti, contendunt sacrificia eorumque ritus, DEUM sapientissimo consilio ad imitationem Syrorum Ægyptiorumque populo suo præscripsisse. In compendio ipsos refutatos leges in D. Joh. Benedict. Carpzovii *Dissertatione altera de Vacca Rufa cap.3. §.21. p.183. sqq.*

N. 17. Alter usus sacer boum fuit in pangendo fœdere, quando inter bovem aut vitulum in duas partes sectum, ii qui fœdere se juncturi erant, transibant, conceptaque formula jurabant, se fidem servaturos utrinque, ac nisi id facerent, Deum fore perfidiæ vindicem, easdemque pœnas, quas cæsus bos sustinuerit, ab illis repetiturum. Origo moris hujus ad Abrahami tempora refertur, quem legi-

mus Gen. XV. 9. 10. 11. ad mandatum DEI vitulam triennem, capram triennem, & arietem triennem dissecuisse medios, & partes singulas singulis ex adverso opposuisse; tum post Solis occasum oborta caligine, fumidum incendium, facemque igneam (DEUM isto symbolo significatum) per segmenta transiisse, atque hoc modo eum Abrahamo pepigisse fœdus. Qui ritus deinde ad varias gentes manavit, de quibus agit Bochart. *col. 325. sqq.* Rupti sacri ejusmodi fœderis accusantur Israelitæ a DEO, cum denunciatione gravissimæ pœnæ *Jer. XXXIV. 18. sqq.* Ad eandem consvetudinem alludunt formulæ, fœdus icere, ferire, percutete, & apud hebræos כרת בריה ferire fœdus. Quod idem verbum occurrit, cum violatores divini fœderis feriendi & exscindendi dicuntur. vid. Majum *P.* I. *p. 267.*

N. 18. Simile ex parte est, quod Saul par boum membratim lacerabat, & eorum particulas ad Israelitas mittebat, minis additis fore, ut sic fieret eorum bobus, qui se prostridie cum Samuele ad bellum profecturum, sequi abnuissent *1. Sam. XI. 7.*

Item olim in triturando, quia circumductus in area, solebat granula extorquere ex culmis]

N. 19. Quatuor modis grana veteres excusserunt vel extriverunt. *Primò* virgis & baculis, qui flagella vulgo appellantur, *Jud. VI. 11. Ruth.* II. *17.* postero tempore debiliora semina, ne attererentur, tantum baculis excutiebantur *Jes.* XXVIII. *27. Secundo* tribulo facto ex tabula lapidibus aut ferro asperata, quæ imposito auriga aut pondere gravi, trahebatur jumentis junctis, *Esaiæ l. c. 2. Sam. XXIV. 22.* quod rusticanum instrumentum adhibebatur inter

suppli-

supplicioriun genera, quibus homines excruciati necabantur, 2. Sam. XII.31.1. Paral. XX.3. Jes. XLI.15. Amos I. 3. *Tertiò* plaustri onerati, atque jumentis circumacti rotis, Jes. XXVIII.27.28. *Quarto* boum ungulis, Jerem. L.11. Oseæ X.11. Deut. XXV. 4. Qvi mos non apud Judæos tantùm, Syros, Arabes, Ægyptios, Græcos, sed etiam apud Latinos, qui inde boves triones, quasi teriones a terendo vocarunt, olim obtinuit. Hodie eundem observari in Asia, Leunclavius *in Turcicis p.234.* & apud Tartaros circa Astracan, Olearius *Itiner. l. 4. p.583.* attestantur. Apud Hebræos tamen & Arabes, non grex jumentorum, ut Varro de Romanis, Leunclavius de Asiaticis scripsit, in sparsos per aream manipulos frugum immissus, sed tres aut quatuor boves, vinculo, quod *marbeck* sive *ribbka* appellatur copulati, & ad areæ palum aut columnam collo alligati ac circumacti, ex spicis grana exterebant, quo modo ad palos alligatis & circumactis bobus aut equis, Tartari nominati grana triturant. Ad quem morem DEUS allusit Mich. IV.13. *Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum* (pedes corneos) *ponam ferreum*, (efficiam ferreos) *& ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos.*

Suo fimo pinguefacit terram]

N. 20. Fimo arefacto pro lignis utuntur Ægyptii (Della Valle Part.I. p.94. a.) Tartari (Olear. Itiner. Pers. p.375.) Frisii (Erasmus in Proverbio, Boliti pœnam). Ad qvem usum respexit DEUS Ezech. IV. ubi symbolice repræsentaturus rerum inopiam, quam passuri erant in captivitate Babylonica Israelitæ tantam, ut immundis etiam cibis se polluturi essent.

ſent, jubet Prophetam v. 12. panem ſubcineritium hordeaceum comedere, & ſtercoribus humanis (qvibus miſeri homines qvandoqve loco lignorum utuntur) coqvere in oculis Iſraelitarum. Qvod cum Prophetæ grave admodum & abominabile videretur, DEUS illius precibus flexus, conceſſit, ut humano bubulum ſubſtitueret v. 15.

Cur nunqvam in concione concionator ipſe ſternutet]

N. 21. Ratio eſt, quod præ magna animi corporisqve virium contentione, Spiritus aut flatus, qvi irritando aut titillando membranam narium interiorum, efficit ſternutationem, aut mox diſpellatur, aut ſenſibiliter tunicam illam ferire non valeat.

147 *Vehementer amat frondes, virgulta & nemora*]

N. 22. Pabulum Bovis juxta Scripturam ſunt (1) עשב *eſebb* βοτάνη herba, Pſalm. CVI. 20. Dan. IV. 22. 29. 30. Male vulgatus reddit, fœnum. Rectius Græci χόρτον, gramen vel herbam adhuc virentem. vid. Marc. IV. 28. Qvo referunt multi cum LXX. Hieronymo, Arabe, Kimchio Jeſ. L. 11. vertentes: *Obeſi facti eſtis ſicut vitulus* דשא herbarius, vel herbæ, qvi paſcit in gramineto, unde pinguis obeſusqve redditur. Aliter interpretatur Bochartus, ut mox notabimus. (2) ירק *jareck* viride agri: Num. XXII. 4. *delinget* (i.e. lingendo abſumet) *illa multitudo, qvicqvid eſt circa nos, uti bos elingit* (Græci ἐκλείχει, Syrus depaſcitur) *jareck* agri. i.e. tam herbas, qvam arborum frondes. vid. Exod. X. 15. Jeſ. XXVII. 10. (3) fœnum, hiemali inprimis tempore, Job. XL. 10. (4) paleæ. Eſ. XI. 7. c. LXV. 25. (5) בליל *belil* farrago. i.e. mixtura diverſa frugum cum palea

au

aut fœno, a בלל *balal* miſcere Job. VI.5. Eſ.XXX. 24. Jud. XIX. 21. Eam farraginem appellat Eſaias חמיץ *chamiz* ſubacidam, qvod uti Bochartus putat, aceto fuerit macerata vel conſperſa, aut data in medicinam jumentis, ut ipſorum faſtidienti ſtomacho ſubveniretur. Majus *p.216.* exiſtimat, farragines ſubacidas rectius dici factas juxta præſcriptum Columellæ *l.6. c.3.* atqve datas bobus in conſvetos cibos, ac aliqvando in ſaginam. Annotat autem bene, cum aqva ſalina a qvibusdam jumenta ſaginantibus hodie conſpergatur farrago, eam exinde fieri ſubacidam.

N. 23. Inde boves diſtingvuntur, 1. Reg. IV. 23. in pingues vel domi ſaginatos, & ruri ſive paſcuales. Illi ſaginabantur, vel ad præſepe, hinc bos אבוס *abbus* eſt ad præſepe copioſo pabulo pinguefactus Prov. XV. 17. vel trituræ tempore, qvo libere poterant veſci frugibus ad ſatietatem usqve, Deut. XXV. 4. Qvare Propheta Oſeas, indicaturus Iſraelitas laborem detrectare, & genio indulgere, eos confert cum vitula, qvæ ſoli trituræ aſſvevit, neqve alia re delectatur; cap. X. 11. Eodem ſenſu accipit Bochartus Jerem. L. 11. *Pingues eritis ut vitula* דשה *triturans.* Sic enim ibi legendum eſſe aſſerit *col.301* non דשא, ſicuti legerunt numero præcedenti allegati. Ei loco geminum producit Malach. IV. 2. & pingues fuiſtis, ut vituli *marbeck.* Qvam vocem licet inconſtanter exponant Interpretes, tamen & ibi, & ubi alias occurrit, ut *1.* Sam. XXVIII, 24. Jerem. XLVI. 1. Amos VI. 4. ſignificare vitulos, in vinculis (de qvibus ſupra n. 18.) grana triturantes, & eorum eſu pingueſcentes, docet. Approbat etiam verſio-

nem, quæ consequens ponendo pro antecedente interpretatur vitulos *marbeck* saginatos, quomodo LXX. & vulgatus Latinus Jerem. XLVI. 21. Chaldæus 1. Sam. XXVIII. 24. habent, alibi aliter reddentes.

N. 24. Loca terræ Canaan bobus compascua tria in Scripturis celebrantur (1) Basan, (vide supra n. 7.) (2) Saron, regio campestris circa Joppen & Lyddam, 1. Paral. XXVII. 29. Jes. LXV. 10. (3) vallis Achor, Jes. l. c. vid. Bochart. *col. 305. sqq.*

N. 25. Intra læta pascua, boves ultra satietatem & usque ad rupturam omenti alimenta ingurgitant. Quem affectum ejusque remedium narrat Peyer. de *Ruminant. p. 114. 272. 275.* Herbæ etiam quædam, aut ex se noxiæ, aut conspurcatæ ab animalibus venenatis, ventres boum diffringere dicuntur. Eandem noxam inferre Buprestem, scarabæi vel cantharidum genus cum herbis deglutitum, Franzius repetiit *Part. IV. cap. 3. p. 871.* ex Plinii *l. 30. c. 4.* Adde Alexandr. ab Alexandro *l. 2. Genial. dier. c. 10. & ibi Tiraquellum*, Peyerum l. c. p. 248. Harduin. ad *Plin. l. 22. c. 22.*

Vehementius laborat, si sollicitetur pruina, quam nive]

N. 26. Si ita est, causa erit quod pruina, dum propius ad terram, & circa bovem ipsum generatur, acrius stimulare valeat, quam flocci nivei jam formati & superius ex aere decidentes. Alias olim agricolæ boves excitabant ad labores stimulo, hebraice מלמד *malmad* a verbo למד *lamad* discere, quod eo bos erudiatur, & quasi edoceatur. Unde vitulæ מלמדה edoctæ Oseæ X. 11. opponitur vitulus לא למוד nondum edoctus Jer. XXXI. 18. (repete supra n. 2.) Ejusmodi

modi ſtimulo boum Samgar Sexcentos Philiſtæos percuſſit, Jud. III. 31. Quod ergo Lycurgum eodem telo circa Nyſam Homerus, prope Carmelum montem Judææ Nonnus canant Bacchi copias fugaſſe, ex hiſtoria Samgaris effictum videtur. De eodem inſtrumento intelligendus Siracides c. XXXVIII. v. 26. 27. 28. ita diſtinguendis & vertendis: *Quo pacto fiet ſapiens qui tenet aratrum, & gloriatur* ἐν δόρατι *in ſtiva?* κέντρῳ βόας ἐλαύνων, *qui ſtimulo boves agit*, καὶ ἀναστρεφόμενος *& verſatur in eorum operibus* &c. Alterum ſtimuli nomen eſt דרבן *darban*, 1. Sam XIII. 21. ab Arabico verbo *daraba* acutum eſſe. Itaque *darban* proprie ſignificare videtur Bocharto *col. 386.* ferreum aculeum conto inditum, *malmad* autem contum, in quem aculeus inditur. Inde proverbium antiquiſſimum a bobus refractariis ſumtum originem habet, quo non ſolum Chriſtus e cœlis hebraice Saulum alloquens Actor. IX. 5 & XXIV. 14. ſed etiam e Græcis Æſchylus, Euripides, Pindarus, e latinis Terentius & Plautus uſi leguntur. Ante hos ſacri Scriptores adhibuerunt. Deut. XXXII. 15. *Saginatus eſt rectus, & recalcitravit*, nempe in legis ſtimulos, quibus ad officium urgemur. 1. Sam. II. 29. Cur in ſacrificia mea recalcitraſtis? Oſea IV. 16. in Thargum: *ut bos qui ſaginatus eſt & recalcitravit, ita rebellis fuit propter multitudinem bonorum Iſrael.*

In primis de Vacca ruffa] 151

N. 27. Myſterium Vaccæ rufæ adeo abſtruſum perhibent Judæi, ut excepto Moſe, nemo hominum, & ne ſapientiſſimus quidem omnium Salomo intellexerit, ſed a Meſſia demum ſit revelandum. Inter

plurimas ergo, quas ipsi speculantur rationes ordine optimo recensitas & rejectas a D. Carpzovio *Dissertatione altera de Vacca Rufa cap.2.* præcipuam non esse dictam, nec dici potuisse ultro confitentur. Ita velamen cordibus illorum in lectione Veteris Testam. impositum est 2.Cor.III.14.15.

N. 28. Christiani juvencam rufam, immaculatam, injugem, quam extra castra immolabat Sacerdos, totamque cum ligno cedrino, hyssopo & cocco bis tincto comburebat, ut ejus cineribus aquæ vivæ immistis, aspersi mundarentur, quibus propter cadaveris contactum aut alia de causa pollutis, sanctuarium ingredi non licebat juxta Numer.XIX. intuentur ex intentione DEI præcipua typum Christi Jesu Mediatoris, pro omnium hominum peccatis fuso sanguine extra urbem in cruce morientis, cujus mortis efficacia omnes peccatis contaminatos, quibus ea ministerio Evangelii & Sacramentorum applicatur, fide suscepta, ab omni peccato emundat, ut justi & sancti coram DEO compareant. Lucem his cogitationibus prætulit Paulus Hebr.IX.13.14. Atque in hoc tanquam centro omnes Christiani conveniunt, licet in explicanda typi significatione, & ejus cum antitypo collatione, ritus aliter aliterque applicent, quod circumspecte observatum est a D. Carpzovio *l.c. cap.3. §.2. & 3.* a quo eorum applicationem promissam ibi *§.16.* quam alii nec plenam nec planam satis dedere, dexterrimam exspectamus.

N. 29. Nos ad hanc meditationem, diebus ante paschatos festum proximis commode delati, religioni ducimus nihil dicere hic de Convenientia Juvencæ rufæ cum meritissimo de nobis Jesu, parum quidem

pro

pro rei dignitate ac difficultate, satis tamen pro instituto nostro.

N. 30. Primo Juvenca, פרה δάμαλις LXX. erat in victimis purificatoriis & expiatoriis Deut. XXI. 6. erat rufa & perfecta, sive absqve vitio & macula: Christus, in optime ætatis flore virens valensqve, victima pro peccatis purgatoria & expiatoria Hebr. IX. 14. 23. erat in conspectu DEI Patris ex peccatis omnibus totius generis humani in se receptis totus rufus, Jes. I. 18 rufus etiam in conspectu hominum ex sanguine copiose diffluente Cant. V. 10. Jes. LXIII. 2. interim ipse labis expers & inculpabilis Hebr. VII. 26. c. IX. 14. 1. Petr. I. 19. jugo legis ex se non subjectus, utpote ejus Dominus Matth. XII. 3. & nostri caussa id sponte recipiens Gal. IV. 4. 5.

N. 31. Secundo Actiones & Ceremoniæ observantur plures. (1) Filii Israel juvencam rufam seligebant, & negotio præsenti deputantes ad Mosen & Aaronem prehensam adducebant. Christum filii Israel ceperunt, & vinctum adduxerunt ad Annam & Cajapham, destinâdo ex consilio Cajaphæ ad mortem pro universo populo Joh. XIIX. 13. 14. (2) Traditam sibi a Mose & Aarone vaccam Eleazar curabat educi extra castra, & jugulari in conspectu suo: ædificâto autem Salomonis templo, extra civitatem in cacumine montis Oliveti hæc sacra peragebantur, ut narrant Talmudici *in Cod. Middoth cap 2. § 4.* Christus ipse Pontifex & victima extra portam passus est, Hebr. XIII. 11. in monte Oliveti ita mirifice animo angebatur, ut sangvinis guttæ e corpore in terram ubertim defluerent, & postquam traditus erat Pontificibus atqve ministris eorum, patiebatur se jam male flagellis

flagellis cæsum, spinis punctum, educi, & in cruce mactari. (3) Eleazar sangvinem juvencæ mactatæ septem vicibus ex adverso Tabernaculi spargebat. Christus patiens suo sangvine septem vicibus, i.e. sufficienter & abundanter Ecclesiam aspersit Hebr. IX. *19.* sqq. 1. Petr. I. 2. (4) Eleazar jubebat partes juvencæ, inqve flammam mediam injecta simul lignum cedrinum, hyssopum, coccum bis tinctum, qvæ omnia vim qvandam purgandi habent, combu.i in cineres. Christus se totum coram Patre suo cum fimo i.e. *juxta Rabanum*, infirmitatibus ex peccatis in se susceptis, igne infernalium cruciatuum exuri passus est, ut in oculis hominum mox cinis futurus videretur, & nihilominus in exusto vis mundandi a peccatis continebatur. (5) Et jugulans vaccam Sacerdos, & cremans, & colligens reponensqve in locum mundum extra castra, omnes simul erant immundi. Scilicet cum juvenca esset piaculum vel catharma, puritatem qvidem iis afferebat, pro qvibus offerebatur; maximam tamen immunditiem imputative in se receperat; hinc qvicunqve minimam operam dederant immolandæ, vel ejus cineres contrectarant, labem contrahebant, nonnisi carnis & vestium lotione eluendam, Levit. *16.* v. 24. c. 26. v. 28. Qvibus significatum est Christum, qvi peccatum nescivit, pro nobis omnibus peccatum & execrationem fieri debuisse *2.* Cor. V. *21.* Gal. III. 13. Itaqve omnes, qvicunqve Christum crucifixerunt, vel physice manus suas commodando, uti milites; vel moraliter, sive voluntate formali & proxima, ut Principes Sacerdotum & scribæ, ipsum falso accusando; & populus, clamando: Tolle, tolle, crucifige eum, & Pilatus sententiam condemnatori-

am

am ferendo; sive voluntate interpretativa, virtuali vel remota, ut ipse primus homo, & omnes ejus posteri, qui peccando causam passioni Christi unquam dederunt; omnes, inquam, illi erant immundi, interque eos etiam, qui incorruptibile corpus Christi sua opinione mox in cineres solvendum, in crypta munda extra urbem recondebant. Omnes baptismi aquis a Christo instituti abuti & purificari sub Novo fœdere debebant.

N. 32. Tertio, Finis harum actionum omnium circa Juvencam rufam erat, ut ejus cinis sancte haberetur, conservaretur, & paululum ex eo, cum usus exigeret, aquæ fontanæ immisceretur, ad purgationes faciendas. Christus passus, mortuus, & sepultus est secundum carnem, spiritu vivficatus, ut æternam mundationem & redemptionem omnium hominum inveniret, Hebr. IX, 12.

N. 33. Quarto mundandi per cineres erant homines, Levitice quoad carnem cadaveris contactu aut alia de causa polluti. Christi sanguis purgat homines spiritualiter immundos, sive conscientias hominum, a mortuis operibus, i. e. peccatis, *Hebr. l. c. v. 14.*

N. 34. Quinto, Applicatio aquæ cineralis fiebat per aspersionem; *aspergens inquinatos sanctificat ad carnis purificationem*, inquit Apostolus l. c. v. 13. Christi passio & mors hominibus singulis, ad conscientiæ purgationem, aspergitur & applicatur per verbum & Sacramenta. Hoc erat vaticinatus Esaias 52. v. 15. de Messia: *Sic asperget gentes multas*, i. e. interprete Hieronymo, *mundans eas sanguine suo, & in baptis-*

baptismate DEI consecrans servituti. Hic est fons ille apertus, domui David & habitatoribus Hierosolymorum pro peccato, & pro separatione ab immunditia promissus Zachar. 13. v. 1.

N. 35. Sexto, Efficacia aspersæ lustralis aqvæ, fuit puritas & munditiès carnalis externa & Levitica, qvam consecutus is, qvi hactenus ob immunditiem fuerat, liberum habebat iterum aditum ad sanctuarium, ad solennem DEO cultum præstandum. Homines, peccatis suis a DEO & communione Sanctorum exclusi, postqvam sangvine Christi aspersi sunt cordibus, purgati conscientia mala, & abluti corpore aqva pura, vero corde, in certitudine fidei ad thronum gratiæ accedunt, serviunt DEO viventi, ac gratiam & misericordiam conseqvuntur, Hebr. IX. 14. c. X. 22. c. IV. 16. Huc respexit David, ab adulterio & homicidio purgari precatus, Psal. LI. 9. *Expiabis me hyssopo, & mundabor; Lavabis me, & super nivem dealbabor* i. e. sangvine Messiæ me munda a peccatis meis gravissimis, & ero purissimus.

N. 36. Septimo, necessitas tanta fuit, ut qvi immundus non purgaret se aqva lustrali ante ingressum tabernaculi, exscindendus esset e populo Israelis: ita, nemo potest intrare regnum cælorum, nisi renatus fuerit, ex aqva & Spiritu Joh. III. 5.

N. 37. Hanc Typi cum antitypo collationem, fidei analogiæ consentaneam arbitramur. Judicet autem Spencerus, bono stomacho eum esse oportere, qvi comparationes omnes istas, inter Christum & vitulam rufam institutas noverit concoqvere, qvod censuisse ipsum *lib. 2. de Legibus Hebr. c. 25. Sect. 6. p. 395.* videmus, postquam attulisset collationem ab Huetio

D...

Demonstrat. Evangel. propos 9. cap. 136. num. 1. p. 929. paucioribus longe membris factam: Nobis Struthionis stomacho opus esse videtur ad concoqvendum assertiones Spencerianas: *DEUM præcipue dedisse legem de vacca rufa immolanda, ut sacrificium bovis rufi, qvod Ægyptii Typhoni suo rufo faciebant, corrigeret, & in salutarem usum populi Judaici converteret* l. c. cap. 15. Sect. 2. p. 377. *multa in hac lege præcepta, ad significatum evangelicum ne torqveri qvidem posse; Judæos etiam sensum mysticum legis prolatum, minime penetrare potuisse* Sect. 6. p. 359. & tamen *rationem, ob qvam DEUS vitulam extra castra mactari voluerit, ut scilicet figuram eo magis expressam Christi extra civitatis portas olim offerendi gereret, veritati viciniorem esse, qvod sic inter typum & antitypum summa intercedat convenientia.* Accipientes hæc ultima, nisi qvod pro veritate viciniore ratione, malimus manifesto veram certamqve illam habere, concludimus, omnes comparationes, qvæ ex descriptis a Paulo lineamentis ductæ, exactam inter juvencam & Christum convenientiam servant, præferendas esse iis, qvæ in obscuris, incertis, abominandis Profanatum gentium ritibus conjectando indagantur.

1. Cor. IX, *10.*]

N. 38. Eodem argumento utitur Apostolus, 1. Tim. V, 17. 18. De trituratione boum diximus *n. 18. & 22.* Leges alias de bobus, olim Judæis a DEO latas expenderunt Bochart, *col. 388.* Majus *Part.* I. *p. 285. 199.*

Psalm.

152 *Psalm. LXVIII.31. impii Doctores comparantur bobus*]

N. 39. Verba sunt: *Increpa feram calami* (i.e. crocodilum) *cœtum taurorum cum vitulis populorum.* Sensus: Coerce hostes Ecclesiæ, feroces, fastuosos, fortes. Taurorum nomine Duces, vitulorum plebs significatur, commentante Bocharto *col.408.* Græci reddiderunt, *congregationem taurorum cum vaccis populorum*, qvod existimarent, tauros non tam vitulorum, qvam vaccarum gregis esse Duces. Eos secutus est Latinus. Qvorum versioni insistens Franzius, ad impios Doctores & ipsorum auditores omnia applicavit.

153 *Psalm.XXII.13.*]

N. 40. Messias de hostium suorum potentia & furore qveritur, (1) multos eos esse, qvæ qverela etiam Davidis erat Psal. III. 2. Psalm.LVI.3. (2) juvencos & tauros esse, i. e. homines stolide feroces, qvi virium fiducia obvios qvosqve obterunt, & tanqvam cornibus impetunt, (3) esse robustos vel tauros Basanis, i.e. homines magnates, divitiis, auctoritate ac viribus præ aliis pollentes, crociores ac crudeliores. (vide supra n.7.) (4) se ab iis circumdatum, ut nullus pateat effugio locus.

Deut.XXXII.15.]

N. 41. DEUS Israelitas omnibus bonis affluentes, cum juvenca saginata, indomita & refractaria comparat, (1) quod in legem, uti juvenca in stimulum recalcitrent, (*repete n. 25.*) (2) qvod instar boum refractariorum non procedant, ut jussi sunt, sed retrocedentes cervicem & humeros, qvantum possunt, jugo subducant, Hoseæ IV.16. Nehem.IX.29.

Zachar.

Zachar. VII. 11. Exod. XXXII. 9. Actor. VII. 51. Jes. XLVIII. 4. Jerem. V. 5.

N. 42. Vicissim Hoseas X. 11. Israelitarum tribus cum vitula domita confert, statum ipsorum prosperum describens: *Ephraim est vitula edocta, & amans triturare*; (opus fructuosum, ex qvo pingvescit, libenter exercens;) *Ego transivi super pulchritudinem colli ejus*, (per hypallagen, juvenca hæc pulchro collo transiit sub virga mea; i.e. eam pro mea agnovi, & in armento meo recepi: *eqvitare faciam Ephraimum* (laute vivet Ephraim, Deut. XXXII. 13. Jes. LVIII. 14.) *arabit Juda, occabit ei Jacob* (tribus Juda laboriosa ministeria peraget) confer D. Seb. Schmid, Commenter.

N. 43. Deut. XXXIII. 17. tribubus ex Josepho ortis, Ephraim & Manasse, primogeniti bovis i.e. tauri decor seu gloria tribuitur. Tauri gloria præcipua est ex robore, qvod in iis tribubus tantum fuit, ut semper Israeliticum regnum mascule defenderint. Primogeniti autem robur majus postgenitis solet communiter reputari.

N. 44. Jud. XIV. 18. *Nisi arassetis vitula mea.* Vitula i.e. uxor, qvæ viro, qvod tauro vitula aut juvenca. Arare, aratorum verbum, est terram aratro & rastro rimari, i.e. in rimas agere. Ad arcana translatum significat perscrutari & perqvirere. Chaldæus verba Simsonis extulit: *Nisi per uxorem meam rimati, aut perscrutati essetis.* Confer Delrio *Adag. S. Vet. Test. P. I. Adag. 162. p. 174.*

N. 45. Esaiæ I. 3. DEUS Israelitas increpans ait stupidiores vel magis brutos bove & asino, qvi possessorem suum agnoscunt, & præsepe domini sui, a qvo aluntur non in suum, sed in illius bonum,

nec filiorum loco habentur, sed jumentorum; ne evehuntur ad dignitatum fastigia, sed gravantur magnis & qvotidianis laboribus, cum Israelitæ ex gratia DEI electi, in filios adoptati, ad summos honores evecti, Dominum DEUM suum non agnoscerent, & ejus mandata, qvamlibet æqva & justa negligerent. Confer Jerem. VIII. 7. Ad illustrandam bovum, qvam domini sui habent cognitionem, facit qvod observavit jam Florentinus *lib. 17. Geoponicῶn. Boves etiam bubulci vocem noverunt, propriisq; vocati nominibus intelligunt, & attendunt ad præfecti jussa.* In qvorum confirmationem repetenda sunt, qvæ de bubalis, qvanqvam initio ferocissimis, nihilominus deinde valde obedientibus adduximus *n. 10.* ob eandem forte causam, insulani in Tercera bobus suis singulis nomina sua, uti nos canibus, imponunt, ut vocati ad mulctra veniant. vid. Erasm. Francisci Lust-Garten *p. 991.*

N. 46. ὡς ἐν παρόδῳ liceat hic repetere, ex loco allegato Esaiæ veteres collegisse, Christum natum in præsepi inter bovem & asinum jacuisse. Nimirum cum apud Lucam II. 7. legissent, infantem positum ἐν τῇ φάτνῃ i. e. ut interpretantur, præsepi, conjiciebant stabulum non fuisse omnino vacuum bobus & asinis, qvos hospes ille aleret, atqve ex iisdem præsepi qvoqve illi alligatos. Qvam non amplius conjecturam, sed certam rem sibi imaginabantur, qvi in Græca versione LXX. Habac. III. 2. invenerant: ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, *in medio duorum animalium cognosceris*, atqve apud Jesaiam illa duo animalia etiam suis nominibus signata credebant. Unde est, qvod in hymnis canitur:

Agno-

Agnoſcat bos & aſinus
Jacentem in præſepio.
Item: Cognovit Bos & aſinus,
Qvod puer erat Dominus.

Mirum autem Cardinalem Baronium *Tom. I. Annal. ad an. Chriſti I. n. 3. fol 55.* & Jeſuitas, Cornelium a Lapide *in Eſaiam*, Tirinum, *ibidem*, Johannem de la Haye, Concionatorem Regium in Gallia, *in Bibliis Maximis ad ll. cc. Jeſ. & Habac.* fidem velle facere aſſertioni in dubiam ex Scripturæ V. T. adductis ſententiis. Nam (1) apud Eſaiam boves & aſini generatim intelliguntur. (2) Habacucus in hebræo ſic loqvitur. *Domine opus tuum* (populum captivum) *in medio annorum* (captivitatis Babylonicæ) *vivum ſervato illud*, (tuere & ſerva,) *in medio annorum* (ſeptuaginta) *qvos notificaſti.* (3) alia exemplaria verſionis Græcæ habuerunt ἐν μέσῳ δύο ζωῶν, *in medio duarum vitarum*, uti meminere Theodoretus, Cyrillus Alexandrinus, Theophylactus, e qvibus primus & ultimus eam lectionem priori prætulerunt. Inde ſuſpicatur Bochartus *col. 289.* ex ζωῶν vitarum, deſcriptores mutato accentu feciſſe ζώων animalium. (4) Latinus interpres vertit: *Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud: in medio annorum notum facies.* Canatur ergò in eccleſia de bove & aſino ad præſepe Chriſti, non ut dogma certum, ſed ut pia conjectura veterum, qvi meditationes ſuas de nativitate Chriſti ſalutifera inſtituentes, ad devotionem & gaudium animi maximum declarandum, & apud alios, interqve eos pueris etiam excitandum, in aliarum qvoqve cantionum Natalitiarum compoſitione & concentu, plus qvam aliis ſibi indulſerunt. Caveamus tamen Jeſuitis illis

credere, bovem & asinum genua flexisse, anhelitu calefecisse infantem, aliaqve vel honoris signa, vel amoris ministeria exhibuisse, cum, si certum omnino esset, adfuisse esse bestias, miracula ejusmodi tacente Scriptura effingere non debeamus.

N. 47. Esaiæ XV. 5. Propheta futuræ devastationis, qvam Salmanassar triennio post Moabitidi illaturus erat, prænotione commotus, inqvit: *Cor meum propter Moabum clamat*; (ego clamo!) *propter fugitivos ejus usqve ad Tsoar*, (extremam Moabitarum urbem versus Judæam,) *sicut vitula triennis*. Qvæ ultima cum initialibus jungenda; *Ego clamo sicut vitula triennis*. Locus parallelus occurrit Jerem. 48. v. 34. *Edent vocem suam a Tsoare usqve ad Horonajim, sicut vitula triennis*. Nam & bos magnæ vocis est, & in eo genere solo fæmina vocalior, & in trienni plenior vox, ob robur firmius.

N. 48. Hoseas XIV. 2. formulam præscribit pœnitentiæ Ecclesiæ Israeliticæ, (1) orandam esse a DEO, partim remissionem peccatorum, *omnem iniqvitatem aufer*, (i. e. condona, ignosce, Gen. XVIII. 24. 26. L. 17. Exod. X. 17. Psalm. LI. 11.) partim beneficiorum novorum collationem; *& accipe bonũ* (de tuo qvod nobis conferas, Psalm. LXVIII. 19. Ephes. IV. 8.) (2) promittendã esse gratitudinem pro acceptis a DEO beneficiis, *& reddemus juvencos labiis nostris*, (i. e. laudes & gratiarum actiones, boũ immolatorum vice, Psalm. CXLI. 2. Psalm. L. 13. 14. LI. 17. LXIX. 31. 32. Hebr. XIII. 15.)

N. 49. Amos VI. 12. probaturus Israelitas in peccatis plane obduruisse, nec jam in eis esse spem resipiscentiæ, dicit: *An currevt in petra eqvi? An qvis arabit bobus* (in petra)? i. e. in cordibus lapi-
dei

deis illorum frustra current, & verbi vomere ea proscindere laborabunt frustra Prophetæ. Currere enim dicuntur Prophetæ & Apostoli munus suum obeuntes Jerem.XXIII.21. 1.Cor.IX.26. Galat.II.2. Philip. II.16. & eorum labor cum agricultura confertur 1.Cor.III.9. c.IX.10. 2. Tim.II.6.

N. 50. Ecclesiasticus VI.2. Ne te ipsum extollas ob consilium animæ tuæ, ἵνα μὴ διαρπαγῇ ὡς ταῦρος ἡ ψυχή σȣ, ne diripiatur ut taurus anima tua, i.e. ne ut bos rapiaris ad lanienam, Prov.VII.22. Opinatur Bochartus *col.407.* Ecclesiasticum respexisse ad Græcam versionem Es.V.17. καὶ βοσκηθήσονται οἱ διηρπασμένοι ὡς ταῦροι; *& pascentur direpti ut tauri*, ubi tamen juxta textum hebræum est: *& pascentur agni juxta morem suum.*

N. 51. Ecclesiast.XXVI.7. Βοοζύγιον σαλευόμενον, *jugum boum motum est uxor mala*, h. e. ut vulgo exponunt, conjugium viri cum mala muliere est instar boum discordium sub uno jugo, qvi in diversa ferũtur, ac proinde multa movent, nihil promovent. Ast qvia voces græcæ non significãt jugum boũ in diversa tendentium, sed qvi simpliciter movetur, & cum tali jugo non conjugium confertur, sed mala uxor, suspicatur Bochart. *col. 408.* Siracho Hebraice scriptum fuisse, מוט צמד הבקר, qvod Siracides reddiderit βοοζύγιον σαλευόμενον, qvia מוט verbum id m est, qvod σαλεύεσθαι etiam in Græca versione Codicis Hebræi. Enim vero cum nomen מוט pro jugo aliqvoties occurrat, putat laudatus Bochartus verba sic exponenda: *Jugum paris boum est mala uxor.* Sensus est: viro malam uxorem tam esse gravem, quam jugum boum collo impositum.

ABUSUS.

N. 52. Fœdior boum abuſus eſſe nullus poteſt, qvam idololatricus, cum aut ipſorum ſimulacra, aut vivi iidem religioſe coluntur. Et tamen hoc abominandum ſcelus ſemel ac iterum commiſerunt Iſraelitæ; primo cum in exitu ex Ægypto vitulo aureo divinos honores exhibendo, *mutaverunt gloriam ſuam* (DEUM glorioſum, in qvo ſolo gloriari debebant Jerem.II. 11. Rom. I. 23.) *in ſimilitudinem bovis comedentis herbas*, Pſalm. CVI. 20. *&*, (qvod Chaldæus ad majorem extenuationem addit,) *inqvinantis ſe* ſcil. ſtercore ſuo, qvod, qvisqvis tollit, excutit manum Sirac.XXII.2. Unde dii tales ſtercorei nominantur Levit.XXVI.30. Deut.XXIX.17. Deinde cum Jeroboam callido qvidem, ſed impio conſilio duos vitulos aureos fecit.

N. 53. Hiſtoria vituli in deſerto conflati acculti exſtat Exod. XXXII. Graviſſimum hoc fuit crimen. DEUS apoſtaſiam & idololatriam pronunciat v. 7. 8. (confer Nehem. IX. 18. Actor. VII. 39. ſqq.) ob qvam omnes conficere ac delere vult, etiam Aaronem Deut. IX. 20. ſolo Moſe relicto v. 10. Exod. XXXII. ob idem peccatum fratrem Aaronem Moſes aperte objurgat v. 21. Omnes enim manifeſto & recentiſſimo DEI interdicto adverſum fecerunt, Exod. XX. 23. cultum Apidis Ægyptiacum, ut vulgo putatur, æmulati. vid. Selden. *de diis Syris Syntag. 1. c. 4.* D. Georgii Mœbii, Profeſſoris Theologiæ Primarii in Academia Lipſienſi, *Diſſertationem de Moſcholatria populi Iſraelitici itezato editam an. 1675.*

N. 54. Itaqve fruſtra ſunt, qvotqvot aut Iſraelitas

litas, aut saltim Aaronem excusare laborant ab Idololatriæ crimine. Inter Judæos *Auctor Tanchumæ fol.64. c.* fingit, non Israelitas, sed qvadraginta hominum millia, qvi cum Israelitis ex Ægypto adscenderant, & Ægyptios Magos duos, Janes & Jambres, ab Aarone illud postulasse. Alii plures candide peccatum populi sui enorme agnoscunt, cujus pœnas subinde gens sua tulerit juxta Exod. XXXII.34. vid. Sanhedrin *cap. 11.* Aaronem autem perhibent Judæi metu populi, a qvo Hur sororis filius renitens stolido desiderio interfectus fuerit, victum inaures aureas postulasse, ac in ignem conjecisse, non eo animo, ut vitulus exiret, sed aut Satanam ipsum formasse, uti Paraphrastes Jonathan habet, aut a Magis magica arte utentibus coaluisse in eam formam, qvod R. Jeremias *in Tanchuma* tradit, abusi verbis v. 24. Porro altare constructum non idolo, sed DEO consecrasse. Qvæ ex Patribus nonnulli pro Aaronis delicto extenuando disserunt, qvære apud Lorinum *in Actor. VII.41.* Nostro sæculo inventus est Franciscus Moncæus Fridevallianus Atrebatius, Vir sæcularis, qvi *in Aarone Purgato, sive de vitulo aureo libris duobus editis Atrebati an.1606.* ab idololatriæ crimine plane purgare conatur Aaronem. Summa sententiæ ejus huc redit: *Populus de reditu Mosis ex monte Sinai desperans, ad Aaronem confluxit, eumqve vehementer rogavit, ut ipse tanqvam successor* Mosis *& Pontifex summus, signum illud sacrum & mysticum, qvod DEUS per Mosen pollicitus erat Exod.XXIII. 20.21. ante eos in terram Canaan præcessurum, exhiberet. Aaron certo hoc agi existimans, neqve deterius qvicqvam vel cogitans vel metuens, cum neqve*

qve de fratris morte aut raptu (a qvo alioqvin exspectari ac peti æqvius fuisse non ignorabat) opinionem & famam refellere posset, pro Cherubinorum duorum, qvi speciem vitulinam habebant, similitudinibus, qvas a Mose propediem accepturi erant, juxta exemplar jam Mosi, sibi ac septuaginta senioribus monstratum Exod. XXIV. 9. 10. 11. consimilem unicam, auro collatitio in massam conflato, cælo configuravit, & DEO ad eam, ut postea ad Cherubos præmemoratos super arcam fæderis, legitime citraqve offensam invocando adorandoqve publice exhibuit: Hoc modo ipsum, cum Principibus ac tribu Levi universa invocasse & adorasse, haut dubium est. Unde conseqvens est, utcunqve abusus ea deinceps sit populus, aut pars ejus haut parva, terminando in ipsa suam adorationem, cum fuerit hoc præter Aaronis voluntatem & consilium, non tam dici potest ipsum peccasse, qvam per errorem & incogitantiam peccato alieno occasionem dedisse. Qva sua defensione Moncæus, se Pontificum Romanæ Ecclesiæ infallibilitatem simul tueri persvasus, non dubitavit in præloqviis utriusqve libri, Paulo V. Pontifici suum studium offerre & commendare. Protraxit etiam in suam opinionem Johannem Buchærum Parisiensem Theologum ac Tornacensem Canonicum, (qvem famosum perduellem cognominat Rivetus loco deinde citando) cujus epistola encomiastica Aaroni purgato præfixa est, ac D. Paulum Bourdout, Academiæ Parisiensis Theologum, & Canonicum Pœnitentiarum Ecclesiæ Cathedralis Atrebatensis, Librorum Censorem; F. Petrum de Cruce Dominicanum, Inqvisitorem fidei, Jacobum Gaffarellum Ludovici XIII

Regi

Regis Galliarum Theologum, Consiliarium & Eleemosynarium, *in Curiositatibus inauditis cap.1.n.7.* At contra Paulo V. Aaron ita male purgatus visus est, ut ex sententia ejus lata an.1609. liber damnaretur, ac in Indicem librorum prohibitorum Romæ deinde editum an. 1640. reponeretur. Qvod decretum repetiit Alexander VII. Pontifex in Indice Librorum prohibitorum edito an. 1667. Argumentorum vero, qvibus apologia est superstructa, inanitatem detexerunt Robertus Visorius Theologus Sorbonicus, Canonicus Ambianensis, *in Aaronis purgati destructione Parisiis edita an. 1699.* Rivetus *Commentar. in Exod. c.32. Tom.*I. *Oper. f.* 1177. *sqq.* Bochartus *Hieroz. Part.1. col.336 sq.* Johan Ovvenus *Theologus Anglus de Natura Theologiæ l.5. c.9.n.7.* D. Joh. Fridericus Mayerus, *Theologus hactenus Wittebergensis*, in Tabula Proemiali ad Moncæi Aaronem Purgatum recusum 1675. Gregorius Michaelis *in Notis ad Gaffarelli Curiositates p.71. & 77.*

N. 55. Hæc de vitulo Aaronis. Pro eo duplicato crimine duos conflavit Jeroboam 1.Reg.XII. longe ante sciens & faciens, qvod Machiavellus inter artes regnandi, rectius flagitia dominationis præscripsit: *Religio rationi status famuletur.* Cultum igitur idololatricum, ad exemplum Aaronis & Ægyptiorum, inter qvos permultos annos vixerat 1. Reg. XI.40. instituit, ob qvam Israelitarũ seductionẽ 1.Reg. XII.30. excidium totius familiæ regiæ DEUS ipsi interminatus est 1 Reg.XIV.9.10. & ex ipsis vitulorum cultoribus, qvi passi fuerant se abduci a vero DEO Israelis, unico prælio virorum qvingenta millia ceciderunt 1. Paral. XIII. 17. Iisdem vitulis Israelitæ non

ſolum ſacrificia beſtiarum obtulerunt, eos adorarunt, oſculati ſunt, per eos jurarunt Amos VIII. 14. ſed & humanis hoſtiis litarunt, ſi Talmudicos apud Salomonem & Kimchium, Syrum Interpretem, Græcos, Vulgatum, Hieronymum, Cyrillum, Theodoretum ſeqvimur, qvi Hoſeæ XIII. 2 reddunt זבחי אדם *qvi ſacrificant homines, vitulos deoſculantur.* Qvam interpretationem adverſus Bochartum, qvi *col. 357.* exponit: *Sacrificantes hominum*, i. e. ii hominum, qvi ſacrificant, tuetur Majus *p. 276.* qvod illa melius cohæreat cum præcedenti hemiſtichio: *Illis* (Iſraelitis) *illi* (ſacrificuli) *dicunt* (inſtructuri ſacrificántes, qvæ acceptiſſima ſit futura idolis hoſtia, & qvo honore ſint afficiendi, qvi rite offerunt): *Qvi homines*, inqviunt, *immolant, ii demum vitulos oſculentur, alii non item.* In qvibus criminibus cum ſemper illi perſeverarent, ſpretis aſſiduis Prophetarum monitionibus, tandem cum diis ſuis in captivitatem abducti ſunt ab Aſſyriis, juxta Hoſ. VIII. 5. *Expulit te vitulus tuus, O Samaria.* adde c. X. 5. 6.

N. 56. Verum enim vero, nec Jeroboamum, pernicioſiſſimæ hujus idololatriæ Auctorem, nec populum ei obſeqventem patrocinio ſuo deſtituit Moncæus, in eo libro, qvo Aaronem purgat. *Putat namqve Jeroboamum erexiſſe duos Cherubinos, vituli ſimilitudinem habentes, ad exemplar eorum, qvi in templo Hieroſolymitano erant, ut ad eos etiam, tanqvam ad præſentiæ gratioſæ ſymbola, DEUS unus Iſraelis perinde adoraretur, & coleretur, ac Hieroſolymis: Accidiſſe vero eidem, qvod Aaroni contigit, ut ejus rectam intentionem nonnulli e populo in idololatriam converterent: Concludit ergo*

Jero-

Jeroboamum, & qvi ejus animum caperent, haereticos & schismaticos, non idololatras & apostatas fuisse. Qvod ejus sputum rursum linxerunt ante nominati Viri, inprimis Gaffarellus. Sed & hujus pessimae causae male susceptam apologiam simul confutarunt supra laudati pleriqve viri docti. Adde Majum *Part. I. Histor. Animal. p. 269. sqq.* Spencer. de Legibus Hebraeor. l. 2. c. 15. Sect. 2. p. 375.

N. 57. Origo cultus bobus tributi, uti diximus, ab Ægyptiis petitur, qvi non solum duos boves vivos, Apim & Mnevim aliasqve bestias pro diis habuerunt, sed & earum, qvas vivas coluerunt statuas passim in templis erexerunt veneratiqve sunt. Qvae idololatria in usu jam fuit ante excessum Israelitarum Exod. VIII. 26. ubi abominatio Ægyptiorum sunt bestiae, ac praecipue boves, qvos cum pro diis colerent iidem, nefas duxerunt immolare. Diis istis Judaeos in Ægypto serviisse, constat ex Jos. XXIV. 14. Ezech. XX. 7. 8. c. XXIII. 3. 8. Actor. VII. 39. Reliqviae foedissimae superstitionis sunt hodie apud Indos (Iverson *Itinerar. Oriental. f. 204. apud Erasmum Francisci* im Geschicht-Spiegel / *p. 979.* Maffejus *lib. 1. Histor. Ind. p. 57.* Kircher. *Chin. illustrat. Part. 3. c. 3. p. 147.*) Japanenses (Kircher. l. c. c. 2. p. 143. Arnold Montanus in der Japanischen Gesandschafft p. 241.) Memorabile est, qvod refert Philippus Baldaeus *de Idololatria Coromandelensium, Malabaricorum, & Zeylonensium cap. 17.* iis gentibus magno in pretio esse cinerem e vaccino stercore praeparatum, qvo singulis diebus frontem, humeros atqve pectus, sacerdotes etiam totum corpus inungunt, eoqve purgari se a sordibus credunt; Mulie-

res

res, qvæ munditiæ ſtudioſiores aliis videri volunt, ædes ac fontes ſacro hoc cinere lavare, ipſum Regem Calecuti, anteqvum cibum capit, & ſacram ædem petit, pretioſa iſta aqva uti. Hæc citatus Auctor conjicit Diaboli fraude ab iſtis barbaris gentibus recepta, ad æmulationem purgationis Judaicæ per Vaccæ rufæ cinerem. Non diſſimiles purgationes ſuperſtitioſæ, Græcis Romanisqve olim uſitatæ, paſſim recenſentur. vid. Aldrovand. *lib. 1. de Qvadruped. Biſulcis p. 95.* Lomeierum *de Luſtrationibus veterum Gentil.* Spencerum *de Legibus Ritual. Hebræor. l. 3. Diſſertat. 3.* in qva pro inſtituto ſuo contendit Hebræorum καθαρμὰς e gentium more rituqve traductos fuiſſe.

MORALIA.

I. SERVI DEI.

Ezechiel Bovem cap. I. nominatum, Cherubinum appellat cap. X. (vide ſupra n. 10.) Hoc emblema Scholaſtici fecere Thomæ Aqvinatis, qvi primum *bos mutus* eſt appellatus a commilitonibus ob ſilentium, quo inſtar diſcipuli Pythagorici totos dies meditabundus tranſegit, poſtea ob vitæ ſanctimoniam *Angelicus*, tandem ob doctrinæ excellentiam Doctor Angelicus. Epigraphen addidere: INDUET IN CHERUBIM. Rectius iconem faciemus Servorum DEI & Miniſtrorum verbi, qvi non boves muti, ſed voce indefeſſa ſua cum Jeſaia (*ſupra n. 47.*) clamant ad homines propter malitiam & calamitates imminentes, qvi in hac vita graviſſimo crucis, laboris, ſudoris & ſangvinis jugo depreſſi, olim in cœlis Cheru-

Cherubinorum agilitatem, claritatem & gloriam æqvabunt.

II. CONJUGIUM INTER INÆQVALES.

BOves magnitudine impares, in eodem aratro sub jugum coacti, epigraphen gerunt: *Malum par, qvod impar est.* Hieronymus libr. contr. Jovinian. *Uxorem pauperem alere, difficile est, divitem ferre tormentum est, pulchra cito adamatur, fœda facile concupiscit; difficile custoditur, qvod plures amant; molestum est possidere, qvod nemo habere dignetur.* Ovidius in Epist. Heroid.

Qvam male inæqvales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor est, sed onus, species læsura furentes,
Si qva voles apte nubere, nube pari.

Picinell. T. 1. Mundi Symbol. p. 348.

III. SIBI NON DEO OPERANTES.

QVi absqve intentione certa & recta laborant, bobus similes sunt triturantibus. Hi etsi ab opere solvantur, redeunt tamen ultro; jam assveverunt huic operi, qvo etiam fruuntur: nam subinde os mergunt avena, & sic lubentes perpetuant hunc laborem, jugumqve facillime recipiunt. Non aliter agunt illi mundi alumni, *qvi* ut loqvitur Gregorius, *pro mundi gloria cunctis sudoribus libenter inserviunt, & gravium laborum jugo colla devotissime submittunt.* Et qvæ merces operis? os plenum avena, marsupium non adeo turgens pecunia. Certe vituli

vituli docti trituram, laborant ut jumenta plaustralia aut molaria, velut eqvi cœci in fullonica. Hi ab unico puero voce & flagello aguntur, curruntqve toto die, & qvo tandem vesperi perveniunt? in eodem omnino loco sunt, qvia in orbem acti sunt. Sic qvi recta carent intentione, vere cœci sunt, & in virtutibus progressum nullum faciunt: hodiernus, crastinus, perendinus dies nullo iis discrimine veniunt. Hi boves semper in eadem area triturant, & hunc laborem suum pro mercede habent. Hinc Paulus præcipit: *Omne qvodcunqve facitis, in verbo & in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes DEO & Patri per ipsum*, Coloss. III. 17. Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud qvid facitis, omnia in DEI gloriam facite 1. Cor X. 31. Omnia, omnia. Sic edendum, sic bibendum, sic aliud qvidvis faciendum, ut DEUS honoretur, nullus hominum lædatur aut offendatur. Drexelius *de recta intentione l. 1. c. 12. §. 5. Tom. I. Oper. p. 703.*

IV. IRACUNDI, SUSPICACES.

TAurum color rubicundus excitat, ad umbram aspis exsurgit, ursos leonesqve mappa proritat, omnia, qvæ natura fera ac rabida sunt, consternantur ad vana. Idem in qvietis & stolidis ingeniis evenit: rerum suspicione feriuntur, adeo qvidem, ut interdum injurias vocent modica beneficia, in qvibus freqventissima, certe acerbissima iracundiæ materia est. Seneca *l. 3. de Ira cap. 30.*

CAP. XIV.

DE ASINO.

Qvod Deut.XXII.10. dicitur, non conjunges bovem & asinum &c.]

N. 1. Voluit Franzius forte delectationis causa sibi adversarium fingere, qvi culpet in hoc docendi ordine bovem cum asino conjunctum, serio autem in animo habuit hac occasione sibi facta sensum legis divinæ indicare.

N. 2. Verba Legis sunt: *Non arabis bove & asino simul.* Cujus expositionem & rationem non esse adeo planam, ex Interpretum dissidiis patescit. *Primo* plurimi naturalem aliqvam causam ejus putant, sed eam afferentes non conveniunt. (1) Philo, AbenEzra, & non pauci alii verbis stricte adhærentes opinantur, hanc legem a DEO, qvi etiam bestiarum misericordia ducitur, datam, ne asinus debilior fortiori bovi junctus, labori impar esset, & sub gravitate illius deficeret. (2) Josephus, Jonathan in Paraphrasi Chaldaica R. Salomo ob rationis ejus latitudinem, legem ad qvodvis animal heterogeneum extendunt, & sub nomine bovis & asini conjunctionem qvamvis imparem aliorum jumentorum prohibitam volunt. (3) Alii inter hebræos cum Maimonide *More Neboch.Part.3. c.49.* itidem ad alias bestias ampliando, cautum eo interdicto fuisse ajunt, ne conjuncta diversa animalium genera forte coirent, & opus creationis labefactarent, qvo DEUS bestias terræ juxta species suas fecisse dicitur. Approbat Grotius *in Deuter. l.c.* Verisimilitudo huic sententiæ in eo qværitur, qvod Levit.XIX 19. ubi leges

ges iterum occurrunt, mixtionem in agro & vestitu prohibentes, lex ista, *Jumentum tuum non admittes animalibus heterogeneis*, legis de qva nunc loqvimur, locum occupet. (4) Baal Hatturim interdicti rationem profert, qvod cum bos ruminet, asinus non ruminet, hic videns illum ruminare, putet comedere & inde mœrore conficiatur, dolens sibi æqve ac bovi non esse pabulum. (5) Simeonide Musis in Variis Sacris ad Deuteron. l. c. Tom. 2. Oper. pag. 114. sq. simplicius videtur si dicamus, vetuisse DEUM bovem simul cum asino sub jugum mitti, qvod asinus, utpote contumax & parum tractabilis, ferendis oneribus aptior sit, qvam aratro.

N. 3. Secundo qvidam ceremonialem Legis rationem arbitrati sentiunt, DEUM animal solummodo immundum, qvale est bos, & immundum, qvale est asinus, copulari interdixisse. Itaqve species diversas mundas jungi licere. Ita Maimonides a se ipso, ut videtur dissentiens *in Tract.* כלאים *sive de heterogeneis cap. 9. §. 7. &* R. Isaac *in* עמודי גולה *Columna exilii, præcepto 168.*

N. 4. Tertio alii causam mysticam respiciunt. Et qvidem Baal Hatturim explicans illam, ait significari, nihil justo cum improbo debere esse commercii. Christianis qvibusdam id maxime placet, qvod Apostolum ad Legem illam Mosis allusisse persvasi sint; 2. Cor. VI. 14. μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες τοῖς ἀπίστοις. In qvam sententiam Bochartus *col. 187.* libentius inclinat, qvoniam Græci Interpretes Levit. XIX. 19. כלאים i. e. animalia diversi generis nominant ἑτερόζυγα. Qvi autem sensum mysticum hic

hic venantur, non eum opponunt sensui literali, sed subordinant, uti patet exBaal Hatturim ante adducto, Grotio *ad Deuter. l. c.* & Bocharto, qvi AbenEsræ rationem naturalem non contemnendam judicat. Idem deFranzio existimandum, cujus allegoria in textu legatur. Alios sensus mysticos, si placent, invenies apud Hugonem de S. Victore *Allegoriar. in Levit. l.3. c.21. Tom.I. Oper. pag. 241.*

N. 5. Qvarto rationem historicam novissime excogitavit Spencerus *l.2. de Legibus Hebræor. c. 19. p. 420.* opinatus, morem e Zabiorum veterum usu profluentem, illi legi & causam & materiam præbuisse. Nam veteres Idololatras terram colentes, bovem & asinum, animalia licet ἑτερόζυγα, sub idem jugum coegisse, ut conjunctione hac iniqvissima, tanqvam signo & sacramento qvodam, se Dæmonis nomine sementem facere, & benignum illius influxum in agros suos implorare, profiterentur: DEUM autem hunc ritum lege contraria prorsus abolevisse, ne populus ejus dæmonis opem & gratiam petere, vel spem in mendacibus gentium ceremoniis, plus qvam DEI promissis, collocare videretur. Argute, sed non ita certe. Fatetur enim ipse pag.424. nullum prorsus ejus superstitionis in temporum antiqvorum historia vestigium exstare. Deinde qvod l. c. ait, bovem animal divinum & superis acceptum, asinum animal magicum & inferis sacrum habitum fuisse, id simpliciter dictum admitti non potest. Nam & bovem diis inferis, & asinum superis immolatum constat. vid. Valer. Max. *l. 2. c. 4. n. 5.* Aldrovand. *l. 1. de Qvadruped. Bisulcis p. 93. 94. l. 1. de Quadruped. Solidip. p. 162.* Tandem nec inter se bene con-

 veniunt;

veniunt; *vix credibile est, ullos, nisi mente excessérant, animalia roboris imparis, (qualia bos & asinus) eidem jugo subdere voluisse;* pag. 422. &, *asinos olim frequenter ad juga vocatos* pag. 423. & mox *si asinus animal contumax esset, & bovi aratori minus apte jungeretur, Judaeorum agricolas nullo oraculo monitos ab illius usu abstinuisse.*

155 *Post multos varios labores moritur, excoriatur, canibus projicitur*]

N. 6. Asini (1) ferunt onera, puta frumenta, cibos & varias merces Gen. 42. 26. c. 45. 23. 1. Sam. 25. 18. 2. Sam. 16. 1. &c. (2) vehunt non plebejos solum, sed & nobilissimos, Abrahamum Gen. 22. 3. Mosen Exod. 4. 20. Acsam filiam Calebi Principis tribus Judæ Jos. 15. 18. Jud. 1. 14. Judicum in Israele filios Jud. 10. 4. c. 12. 4. c. 5. 10. Abigaelem 1. Sam 25. 20. Achitophelem Senatorem regium 2. Sam. 17. 23. Mephibosethum Saulis Regis nepotem 2. Sam. 19. 26. Tempore Davidis, relictis plebi asinis, liberi regii insidebant mulis, jumentis ad cursum expeditioribus, rarioribus & pretiosioribus. Ast postqvam Salomo eqvos multos, tum ad belli usum, tum ad pompam regiam introduxit, nullum Regum ante captivitatem Babylonicam, aut post eam usqve ad Christi ætatem, magnæ dignationis viros legimus asinasse, sit venia verbo, cujus, ad analogiam verbi eqvitandi ab eqvo deducti, fingendi licentiam sibi sumsit Luitprandus sæculi X. historicus, defensam ab Aloysio Novarino *l. XII. Schediasm. sacro-profan. c. 5. fol. 341.* Ab antiqvo nihilominus tempore, asinis conductitiis in Palæstina circa Hierosolyma, & alia montana loca iter facientes semper usos esse, colligitur ex Jure Hebræo-

Hebræorum, qvo de conditionibus agitur, qvibus tenebatur asini ad iter adhibendi conductor, sive ipse ei insidere, sive onera imponere vellet. Id consignatum extat in Talmude, tam Babylonico qvam Hierosolymitano. Uti autem indubium est, etiam per montem olivarum in urbem tendentibus, asinos mercenarios elocasse hospites, qvi in eum usum in diversoriis illic collocatis alebant: ita omnino existimandum, Christum ea via ingressurum Hierosolymorum urbem, tales sibi asinos ut adducerent discipuli, jussisse. Qvare, si ex moribus ejus temporis inter Judæos recepti judicamus, Christi asino insidentis ingressum in metropolim Judææ, non splendidum ac regium, neqve tamen puerilem, stultum ac contemtissimum cum Christianis nonnullis existimare debemus. Singulari vero & sapientissimo DEI consilio, juxta prædictionem Propheticam, Christus instar plebeji asino mutuatitio humilis & mansvetus advehebatur, ut manifestum faceret omnibus Judæis, Regem se non esse mundanum Joh. 18. 36. sed spiritualem, nihilominus Messiam, qvem hoc modo juxta clarissimum Zachariæ vaticinium venientem agnoscerent, applausu & veneratione exciperent, prout plebs etiam numerosa ipsum esse intelligebat, & digna ratione colebat. Itaqve huc mores vel antiqvi vel hodierni gentium illarum non qvadrant, qvibus receptum est asinis imponi & circumduci eos, qvos probro & dedecore publice afficiunt. Vide Aldrovand. *l. 1. de Qvadruped. Solidiped. p. 166.* Nec desunt hodie populi, qvi absqve dedecore asinis vehuntur. vid. eund. *p. 165.* Bochart. *P.* I. *col. 185.* Tavernier *Part.* I. *pag. 195. b.* Della Valle *Part.* I, *p. 94. b. 123. a.*

N. 7. Tertio asini currus trahunt. Esaias 21. 7. de Persis ac Medis Babyloniam oppugnaturis loqvens, mentionem facit רכב *rachab* currus asinorum. Ita enim legunt Masorethæ, Symmachus, Castalio. Sed Chaldæus, Syrus, Arabs, Græci & Hieronymus aliis punctis legerunt *raccabb* ἀναβάτην sessorem, ascensorem. De asinis vehicula trahentibus itidem habent Columella *l. 8. c. 1.* Varro *l. 2. c. 6.* Adde Majum *pag. 432.*

N. 8. Qvarto asini arant, Es. 30, 24. Huc referunt Bochartus aliiqve ex eodem Propheta cap. 32 20. qvæ verba cum aliis Abarbanel de tritura accipit. Adde de asinis triturantibus Deuteronomii legem n. 1. sqq. consideratam, Joseph. *contra Apion. l. 2.* Varron. & Columellam *ll. cc.* Plinium *l. 8. c. 43. l. 17. c. 5.*

N. 9. Qvinto molam asinus circumagit, qvæ inde μύλος ὀνικὸς mola asinaria Matth. 18. 6. & Luc. 17. 2. vocatur, ad differentiam scil. qvia molarum antiqvis duo erant genera, manuariæ & asinariæ. Manuariæ seu trusatiles, eæqve minores servorum manu trudebantur; asinarias vel jumentarias, easqve majores jumenta, asini præcipue perpetua gyratione circumagebant. vid. Bochart. *col. 188.* Aqvariæ ac pneumaticæ moletrinæ recentiores illis sunt. Consule Salmuth *ad Pancirolli Nova reperta* Tit. XXII.

N. 10. Sexto in bellis non solum impedimenta gestabant, sed ex iis gentes nonnullæ, ut Saracori apud Ælianum, Carmani & Persæ apud Strabonem pugnabant. vid. 2. Reg. 7. 7. 10. Bochart. *col. 188.* Majum *pag. 435.*

N. 11. Ob qvos multos necessariosqve usus asini

ſini olim in opibus cenſi, Gen. 12. 16. c. 24. 35. c. 30. 43. c. 32. 5. &c.

N. 12. Poſt varios labores, inqvit Franzius, moritur aſinus, excoriatur, & canibus projicitur. Recordamur hic ſepulturæ aſininæ, qvam DEUS Jojakimo Judææ Regi denuntiat Jerem. 22. 19. *Sepultura aſini ſepelietur*, i. e. per antiphraſin, non ſepelietur, uti exponitur cap. 36. 31. Veroſimile autem eſt, eundem in aliqvo adverſus turmas vel Chaldæorum, vel Edomitarum, vel Moabitarum, vel Ammonitarum, a qvibus poſt rebellionem vexabatur, prælio occiſum, procul ab Hieroſolymis, vel inter cadavera incognitum, vel alioqvi ex vulneribus, poſtqvam aliqvamdiu tractus eſt, mortuum & projectum inſepultum jacuiſſe. vid. D. Seb. Schmidium in h. l. Hieronymus; *pulchre ſepultura aſini dixit ſepeliendum, ut aliis verbis ſignificet inſepultum, h. e. a beſtiis avibusqve lacerandum.* Eleganter Cicero inſepultam ſepulturam appellat. Conf. Delrio *Adagial. Sacr. V. T. Part. I. Adag. 853. p. 460. a.*

Corpore ſuo geſtat formam crucis] 156

N. 13. Crucis figuram, qvam in dorſi anteriore parte circa ſcapulas aſinus gerit, ubi difficilius onera, qvam circa renes ſuſtinet, qvod illic qvam hic oſſa minus robuſta ſint, annotarunt VincentiusBallovacenſis *l. 19. Speculi Natural. c. 10. & 11.* Albertus M. *l. 22. de animal. tract. 2. c. 1. fol. 213. a. col. b.* Gesner. *de Qvadruped. lib. 1. pag. 4.* Aldrovand. *lib. 1. de Qvadruped. Solidiped. p. 141.* Ex hac crucis in aſino figura Chriſtianos probare vaticinium Zachar. IX. de Jeſu Nazareno intelligendum eſſe, inſipidum eſt mendacium R. Lipmanni *in Nizzachon num. 162.*

 Etſi

Etsi enim Patres, piis suis meditationibus, crucem Dominicam qvasi ubiqve præsentem mundo, cœlo, hominibus, animalibus, arboribus, herbis, floribus, lapidibus impressam ob oculos sibi statuerunt, ut salutaris passionis in cruce factæ cogitationem semper innovarent, cujusmodi loca Georgius Fabricius *ad Prudentii Romanum*, Geverhart Elmenhorst *in Comment. ad Minutii Felicis Octavium p.*78. & Jacob Bosius *de Cruce triumfante & gloriosa lib. 2. a fol. 127. ad 173.* collegerunt; etsi iidem Patres aliiqve scriptores sacri plurimas Crucis figuras, qvæ Vet. & Nov. Testamenti paginis continentur, item vaticinia Prophetarum crucem illam prænunciantia passim explicaverunt, qvorum sententias diligentissime conqvisivit nominatus Bosius *ejusdem Operis lib.3. & 4.* nullam tamen in iis omnibus mentionem asininæ crucis reperire est. Non vero diffitemur Epiphanium *in Fragmento Orationis Palmarum Tom.II.Oper. fol.302.* scripsisse, *Jesum, qvi nunqvam nisi pedibus iter facere consveverat, eo duntaxat tempore terga pecudis injedisse, sublatum ipsum, & suam sibi in crucem sublationem significasse*; Et qvod propius ad rem facit, Vincentium Ballovacens. *l. c. cap.*XI. ex libro de Naturis rerum excerpsisse de asino: *In humeris stigmata* (Christi) *portat Crucis.* Forte etiam homilias veteres percurrenti occurrerent, qvi allegoriam nectentes dixerint, Jesum, cum ad mortem crucis tenderet, asino vectum, in ipsis humeris pecudis, cui insidebat, signum ante oculos habuisse mortis contumeliosæ in cruce sufferendæ. Ex qvibus dictis occasionem captare potuit impudentissimus Rabbinorum ille cavillandi Christianos.

In simplicitate vivens, valde stolidus, obliviosus]

N. 14. Inde disciplinæ ullius capax esse negatur. Scitum habent Persæ proverbium: *Asinus Jesu, licet Meccam eat, etiam Asinus erit*; (in Proverbiis Persicis pag. 10.) Confer. Sperling. *Zoolog. p. 210.* Non tamen caret prorsus sagacitate & memoria. Novit præsepe domini sui, Esaiæ 1. 3. locum, ubi semel est lapsus, semper timet; fœtus suos ex instanti periculo liberare conatur; pluviam præsensam auriculas retro collum torqvendo, ut qvasi agglutinatæ videantur, præsagit; immo & inter asinos facetos gesticulatores industria humana edoctos rideas. Ad magiam enim Diabolicam cum Franzio, a Bodino aliisqve adducta exempla referre, austerum nimis videtur. vid. Aldrovand. *de Qvadruped. Solidiped. l. 1. pag. 144.* Schott. *Phys. Curios. l. 7. c. 7. §. 1. p. 924.* Erasmi Francisci Geschicht-Spiegel *p. 1381.* & eos, qvi laudibus Asinum tollendo & eloqventiam suam exercuerunt, *Cipolum Monachum in oratione funebri Asino habita*, (qvam aliasqve decem similes, de animantibus orationes, ex Italicis factas Gallicas, e Gallicis latinas fecit *Guilielmus Canterius*, illam autem de asino carmine Heroico reddidit *Jacobus Eyndius ab Hamstede Zelandus*) *Henricum Cornelium Agrippam*, *Joannem Passeratium*, *Philippum Melanchthonem*, *Joannem Lauterbachium JCtum Saxonem*, & *Job. Lauterbach Lusatum*, *Johan Majorem*, *Fridericum Widebramum*, aliosqve a Caspare Dornavio junctim editos, *Tom. I. Amphitheatri Sapientiæ Socraticæ Joco-Seriæ fol. 493. sqq.*

Vix est aliqvod animal tam fœcundum] 15.

N. 15. Ægyptii contra asinum, præter alias caus-

ſas etiam ob infœcunditatem oderunt. Ælian. *l. 11. de animal. c. 28.* Vide Aldrovand. *l. c. p. 145.* Lepidum narrat Æneas Sylvius Dominum prædii, qvi Oeconomum ſuum furti arguit, qvod in rationibus annuis porcellos duodecim unius Suis, & unum duntaxat aſini pullum annotaſſet. Dn. ab Hohberg *Georg Curioſ. Part. 2. p. 177.*

De magna carne aſinorum libidinoſorum &c.]

N. 16. Apud Platonem *in Phædone fol. 386.* Socrates docet, animas eorum, qvi ventri, petulantiæ, gulæ dediti vitam egerunt, nec qvicqvam penſi pudorisqve habuerunt, jure merito in aſinos & ejusmodi bruta migrare. Ad turpiſſimam libidinem reſpexit Ezechiel, exprobrans Judæis fiduciam in Ægyptiis poſitã, qvorum ſimul colebant fœdiſſima idola, ut conſtantius eſſet fœdus, ac certius auxilium ab ea gente. cap. XVI. 26. dicit: *& fornicata es cum Ægyptiis vicinis tuis, magnis carne.* cap. XXIII. 20. carnem eam Ægyptiorum, nominat *carnem aſinorum.* Qvid magna Ægyptiorum caro, ut aſinorum, ſignificet, *neqve eſt conjectu difficile, neqve explicatu facile viro modeſto* inqvit Sanctius *in Commentariis. Ponderandum potius, qvo ſe divinus ſpiritus demittat, ut peccatorum ſtuporem & impudentiam amplificet. Ut enim ſuum in nos amorem & ſtudium oſtendat, verba interdum adhibet, qvæ longe a divina natura puritate diſtant, ſic ut peccatori fœdam proluviem exprobret, & putridos mores, verbis utitur digniſſimis qvidem peccatoris vita, ſed qvæ alicui minus decere infinitam illam puritatem videri poterant.*

158 *Eſt genus ſilveſtrium aſinorum, qvi vocantur Onagri*]

N. 17. Ona-

N 17. Onagri sive asini feri genere diversi a vulgaribus, communi nomine dicuntur propter qvandam similitudinem, docente Aristot. *l.6.hist.c.36.* Vincunt vulgares asinos cursu, qvo velocissimo cum eqvis contendunt; unde Hebræi & Arabes onagrum videntur vocasse פרא *pera*; nam פרא *pera* verbum, Syris & Talmudicis significat currere. Sunt aliqvi vulgaribus proceriores, & pelle varie colorata pulchriores; alii vicissim nec majores, nec colore diversi. Gregatim incedunt in solitudinibus. Hinc Hos. 8.9. onager dicitur בודד *boded* solitarius, i. e. eremicola. Confer. Job. 24.5. Jerem. 2.24. Sirac. 13. 23. Jesaiæ 32.15. prædicitur Jerusalem fore *gaudium onagrorum* i. e. vastandam ac in desertum redigendam. Dan. 5.21. de Nebucadnezare: *Cum onagris fuit habitatio ejus*, i. e. in locis ab hominum consortio remotissimis.

N. 18. Luculenta Onagri descriptio legitur Job. 39. v. 5. 6. 7. *Qvis dimisit* פרא *onagrum liberum, & vincula* ערוד *asini silvestris qvis solvit?* (פרא & ערוד hebræis sunt Synonymæ voces; itaqve bis idem de eodem dicitur diversis verbis.) Describitur autem (1) a natura fera; *qvis dimisit liberum, & qvis vincula solvit?* i.e. a natura liber est & sui juris, qvia domestici asini instar homini non mancipatur. Immo prorsus indomabilem asseruerunt Chrysostomus, Olympiodorus, Vincentius Bellovacensis, Deodatius, Boot, aliiqve cum qvibus Franzius consentit. Contra Varro, Plinius, Talmudici, Arabes apud Bochart. *col. 871. Part.* I. attestantur, etiam onagros hominum industria domari & mansvefieri posse, & mansvefactos iisdem addici ministeriis,

qvibus vulgares. Adde Scheffer. *de re vehicular. l.1. c.9. p.105.* (2) a loco commorationis; *cui assignavi* ערבה *solitudinem pro domicilio, & pro habitaculo* מלחה salsuginem. ערבה *araba*, campestris solitudo est, ex ערב *arab*, i.e. Arabia, qvæ maximam partem deserta. Synonymum מלחה *melecha* proprie salsuginem seu terram salsuginosam, & metaphorice solitudinem significat. vid. Psal. 107. 34. Jer 17. 6. *Siracid.* 39. 29. Immo phrasi hebræa terra qvævis sterilis, salsuginosa appellatur, qvoniam salsugo terræ sterilitatem inducit. Qvo alluditur Deut. 29 23. Sophon. 2. 9. Hinc Abimelechus urbem Sichem a se dirutam sale consevit, in perpetuæ vastitatis Symbolum Jud. 9. 45. Non autem tantum in Arabiæ, sed & in aliis Asiæ, Africæ, immo & Sardiniæ insulæ solitudinibus onagri degunt. vid. Aldrovand. *de Qvadruped. Solidiped. l.1. p 107.* Bochart, *col.870.* Dapperi *Africam pag.22. & Descriptionem Insular. Africanar. p.33.* (3) ab αὐταρκείᾳ sua: *ridet tumultum urbis, clamores exactoris non audit*: i.e. qvasi ratione uteretur & intelligat, aliqvid miseriæ & servitutis habere in tumultu urbis vivere, contemnit alia animantia, qvæ in strepitu multitudinis urbis, seu freqventiæ hominum versari consveverunt, & servitutem patienter ferunt, voces & clamores eorum, qvi boves & asinos agunt, non audit, non fert aut tolerat, mavult procul abesse & sua libertate frui. *Investigatio montium pascuum ejus, & omnem herbam virentem sectatur*, i.e. etsi, ut alia animalia cum hominibus viventia, pro laboribus & servitute sua, cibum ab iis non capit, mavult tamen montes pererrando gramina ac pascua sua ipse sibi qværere, ac ex

fontibus

fontibus potari, Pſalm.104.10.11. qvam libertatem ſuam amittere, ac pro pabulo hominibus ſervire. Itaqve nihil ei deficit, excepto tempore famis & ſiccitatis, *qvo onagri ſecundum Jerem.14.6. ſtant in clivis, trahunt ventum, tanqvam* תנינם (i.e. Dracones Bocharto, qvos Ælianus l.2. c.21. ſcribit qvotidie per aliqvot horas erecto capite ſtare, & ore hiante cælum verſus, & aſpiratione ſua tanqvam illecebra qvadam non ſolum aerem, ſed & volantes aves ad ſe trahere) *& deficiunt oculi eorum* (alias acerrimi) *qvia nulla eſt herba.* D. Seb. Schmidius interpretatur תנינם cetos magnos, qvi aqvis capita exerunt, & reſpirantes magna copia hauriunt aerem. Conſumi oculos notat phraſi hebræa uſurpari de ſummo deſiderio, qvod expleri non poteſt. vid. Pſalm.69.4, & alibi.

Gen.49.14.] N. 19. Iſaſchar *aſinus* גרם *oſſium*, i e. oſſibus valens, valde robuſtus, *cubans inter ſarcinas, vidit reqviem qvod eſſet bona, & terram qvod optima; & ſubmiſit dorſum ſuum ad portandum, factusqve eſt tributi ſervituti ſubjectus.* Conſule Heideggeri *Hiſtoriam Patriarchar. Tom.* II. *p.*764 Majum *Part.*1. *p.*424. Qvare non omnis cum aſino comparatio in vitio ponitur. Pater Sichem *chamor*, qva voce hebræi aſinum alias exprimunt, appellatur Gen.34. Hebræi, in primis Cabaliſtæ aſinum ſapientiæ hieroglyphicum proponunt, tum ob victum parcum & vilem, tum ob laborum tolerantiam. Apud Romanos extitere celebres *Aſellæ*, & *Aſinius* Pollio Orator, qvi propter patientiam laborum aut vires ita cognominari potuere, uti Gaufredum propter vires, non propter

pter pigritiam Asinum nominatum narrat *Aimonius l.3. de miraculis Benedicti.* Ita Ordo Asinorum, qvi alias Trinitatis, nominatus legitur, qvod ejus sociis in itinere, asinis tantum vehi permitteretur, apud *Du Fresne in Glossario p.353.*

Jud. XV. 15.]

N. 20. Historia hæc Simsonis applicatur ad Christum & ejus victorias, & Ecclesiam veluti fontem, *Tom.3. Declamat. Philippi*, ubi oratio integra de maxilla Simsonis invenitur, *pag.431.* Adde Val. Herbergeri *Magnalia ad Jud. l. c.*

181 *Asinam super qva eqvitavit Christus*]

N. 21. Prophetico Spiritu incitatus Zacharias *c.9. v.9.* excitavit Judæos, ad excipiendum olim ingressurum Hierosolyma Regem Messiam: *Exulta plurimum filia Sion, clange filia Jerusalem; Ecce! venit tibi* (i.e. bono & commodo tuo, non suo, Jes. 9.5. Luc.2.11.) *Rex tuus, justus & servator, pauper*, (aliis mansvetus, nam עני utrumqve significat) *& sedens super asinam, & super pullum filium asinarum.* Regem eum hoc modo venturum esse Messiam, Judæi veteres summo consensu tradiderunt, *in Sohar fol.127.* R. Elieser *in Pircke cap.31.* Talmudici *in Gemara Babylonica Massechet Sanhedrin. fol.98.99.* Bereschith Rabba *ad Gen. 49.14.* Rabba Bar Nachmoni *in Medrasch super Genes. c.49.* Medrasch Coheleth *in Eccles.1.9.* Qvibus adstipulantur pleriqve recentiores, R. Saadias Gaon *in Dan.7.13.* Lipman in *Nizzachon*, Salomo, Kimchi, Abarbanel, *in Comment. ad l. c. Zachar.* aliiqve. Commenti etiam sunt prærogativas ejus asini, nimirum filium eum esse asinæ illius, qvæ creata fuerit in crepusculo vespere

Sabbathi

Sabbathi, qva Bileamus vectus fuerit Num. 22. v. 28. 30. eodem illo vectum Abrahamum, Gen.22.3 & postea Mosen Exod. 4. 10. colore insuper multiplici spectabilem & generosum finxerunt.

N. 22. Complementum prædictionis in Jesu Nazareno spectamus, qvem historia Evangelica refert, jussisse sibi adduci asinam & pullum (Matth.21.2.) atq; pullo insidentē (Marc.11.7. Luc.19.33. Joh.12.14.) ingressum Hierosolyma. Qvod ergo apud Matthæum v.7. legitur; *adduxerunt asinam & pullum, & posuerunt super illis pallia sua, καὶ ἐπεκάθισαν, & eum collocarunt*, (alii legunt καὶ ἐκάθισεν & sedit) super illis; id hac ratione conciliant ex Patribus Augustinus *l. 2. de consensu Evangelist. c.66.* Theophylactus *in Matth.21.* ex recentioribus Interpretibus Cajetanus, Osiander, Hunnius, Franzius noster *de Interpret. Script. Orat.* CXIII. Gerhardus *in Harmon. cap.CXLIV. fol.104. sqq.* aliiqve plures; Christum successive utroqve animali vectum, primum asinam, deinde pullum conscendisse. Ex qva interpretatione singulare mysterium multi cum *Theophylacto* eruunt, qvasi asina oneribus adsveta Judaicum populum, tot legum Mosaicarum & ceremoniarum jugo onustum, pullus indomitus populum gentilem, nullo hactenus legum onere pressum præfiguret, qvorum illi prius insederit Christus, ut prius ex Judæis Ecclesiam se collecturum significaret, in qvorum tamen renuentium locum gentiles mox esset surrogaturus. Confer. Justin. *Martyr. Dialog. cum Tryphone Judæo p.212.* At Lyranus inverso ordine, primo super pullum, deinde super asinam sedisse asseverat. *Nam pullus, ait, erat indomitus, & proinde, quia*

non

non bene tolerabat eqvitantem, adscendit postea super asinam, qvæ domita erat. Ii igitur, qui apud Auctorem nostrum asinam symbolum gentium fecerunt, Lyrani opinionem videntur præ oculis habuisse.

N. 23. Aliam Evangelistarum conciliationem attulerunt *Hieronymus* & *Euthymius*, quam secuti sunt *Tostatus*, *Salmero*, *Bucerus*, *Beza*, *Glassius*, *Vorstius*, *Ludov. de Dieu*, *Hackspan*, *Bochartus part. 1. col. 212.* aliique, in verbis Matthæi esse enallagen numeri, qua pluribus indefinite tribuitur, quod illorum uni convenit: *Insedit illis* i.e. uni illorum. Nimirum, utrumque jumentum, asinam puta & pullum Christo adductum fuisse, ipsum tamen solum sibi pullum, nullum hucusque sessorem passum ad vecturam elegisse, quem mater sua simul adducta comitata fuerit. Exempla ejus enallages crebra occurrunt. Genes. 19.29. *cum subvertit Dominus urbes, in quibus* (i.e. in quarum una) *Lot habitavit*, Jud. 12.7. *sepultus est Jephthe in urbibus Galaad*, i.e. in una urbium. Matth. 26. 8. *videntes discipuli indignati sunt*, i. e. ut Johannes habet c.12 4. unus ex discipulis Judas. Matth. 27.44. *Christo crucifixo exprobrabant latrones*, i.e. unus latronum, juxta Luc. 23.39. vid. Glass. *Philolog. S. l. 3. tr. 10. can. 27.* Vorstium *de Hebraism N.T. part. 1. c. 15. p. 382. 383.* Si mysticum sensum hic sectari placet, poteris dicere, super solum pullum Christum sedisse, asina interim sequente, in signum fore, ut indomitum gentilium populum, veluti pullum illum, nullo adhuc jugo assvetum, mira facilitate per obœdientiam fidei sit subjugaturus; sic tamen, ut Judæi, velut asina jugum cui assveti ferre ali-

re aliquandiu malentes, etiam sint secuturi, ac Christi quoque jugum recepturi Rom. XI. Quam allegoriam prolixe deductam invenies apud Jansen. *in Concord. Evangel. cap. CX. p. 768.*

N. 24. Ex his de asino Messiæ, Gentiles olim ansam captasse affingendi Judæis pariter ac Christianis ὀνολατρέιαν sive asini cultum, vero similis est conjectura D. Joh. Bened. Carpzovii Nostri, *in Philologemate Sacro, de Asino Messiæ in urbem Jerosolymam vectore, edito an. 1671.* Alias aliorum, & suas simul suspiciones, attulit Bochartus *P. I. Hieroz. l. 2. c. 18.* Adde Ursini *Acerr. Philolog. p. 89.* Huetii *Demonstrat. Evangel. Prop. IV. p. 159.*

Onagri sunt imago impiorum, reproborum, saevorum &c.] 162

N. 25. Gen. 16. 12. *Ismael erit* פרא אדם *onager homo*, i. e. tam ferus, quam onager. Job. 11. 12. *& pullus onagri homo nascitur*, i. e. æque ferus, rudis, & indocilis. Cap. 24. 5. de prædonibus: *Ecce! sunt onagri in deserto, egressi sunt ad opus suum, surgentes mane ad rapinam; solitudo eis panis & filiis.* Ubi ratio similitudinis juxta Bochart. *col. 878.* est, qvod prædonibus victus tanqvam onagris e solitudine suppetit. Alioqui enim onager non est e feris rapacibus, ipse autem in prædam cedit feris rapacibus, & carnivoris, uti leonibus & lupis. vide Siracid. 13. 23. D. Seb. Schmidius sensu ad contextum magis accommodato exponit: *Ecce!* (quando) *onagri in deserto* (homines agrestes in terris incultioribus, & difficili labore colendis) *exeunt ad opus suum* (ad agriculturam,) (tunc) *mane surgunt ad prædam* (impii potentes, qui hominibus agrestibus vel partem laboris auferunt, ut de proventibus multum

cogan-

cogantur impiis relinquere, vel onus & tributum agrorum fructuumque imponunt ante omnia solvendum, si labore suo & fructibus terræ frui velint,) *desertum est illi* (impiis illis) *panis pro pueris* (i.e. homines deserti vel agrestes tantum coguntur dare impiis, quantum sibi & omni familiæ sustentandæ sufficiat.) Hoseæ 8.9. *Quia ipsi adscenderunt ad Assyrium, qui est onager solitarius sibi*, i.e. qui sibi soli prospicit, nec aliorum salutem curat.

164 *Huc refertur asina Bileam*] .

N. 26. De qua integro *capite 14. lib. 2. Part. 1. Hierozoici* tractavit Bochartus.

MORALIA.

I. PECCATOR STUPIDUS ET SECURUS.

ASinus simul pelle crassus & anima stolidus, NIL VERBERA CURAT. In Hetruria cum in pascuis cicutam ederit, profundissimo somno & torpore capitur, ita ut non tantum stupidus, sed plane mortuus videatur. Id quod aliquando rusticos hujus rei ignaros fefellit: nam, dum asinis, quos mortuos credebant, pellem ad usum detraherent, accidit, ut in medio fere operis asini experrecti sint, non sine magno excoriantium terrore, atque ingenti spectantium risu. Matthiolus in Dioscorid. *l. 4. c. 74. p. 773*. Indurati, stupidi ac securi peccatoris hæc idea est, qui in peccatis mortuus, tametsi a DEO suppliciis castigetur, non tamen expergiscitur, nec sensu ullo pulsantem percipit. Tales erant Judæi, de quibus Jerem. 5. 3. *Domine percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam:*

nam: induraverunt facies suas super petram, & noluerunt reverti. Unde DEUS ipse per Prophetam eundem conqveritur, cap. II. 30. *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.*

II. PECCATOR IMPOENITENS STOLIDIOR ASINO.

ASinus locum, qvo semel lapsus est, semper timet, & cum ipsum conspicit, exhorrescit, nec fuste qvamvis compulsus transit. At Christiani plurimi peccata, in qvæ semel inciderunt, non fugiunt, non vitant, sed volentes repetunt. Annon enim pleriq; luxuriosi in cibo, potuve, superbi in vestibus, libidinosi, rixosi, invidi, avari, in devotione langvidi, trimestri spatio inter turpia vitiorum exacto, accedunt ad Confessionarium suum, peccata, qvæ commiserunt, se agnoscere, ac de ipsis dolere confitentur, promituntqve vitæ in melius emendationem: at vix unus alterqve dies, etiam apud eos, qvi reliqvis meliores videntur, transit, cum in antiqvam silvam eunt, eaqve omnia malitiose repetunt. Ita omnis agitur hæc vita, donec non ipsi se a peccatis purgant, sed moriendi necessitas vi a peccatis, qvæ reiterandi pravam voluntatem semper retinent, abstrahit.

III. INITIO FERVIDI, IN MEDIO OPERIS REMISSI.

ASini Mauritaniæ, cum se primum in viam dant, tanta velocitate iter capessunt, ut non currere, sed volare videantur: mox pedes & spiritus deficiunt,

ut Mauritani ab eqvis desilientes, illos collo alligatos, ad suum qvisqve eqvum trahant, tanqvam captivos. Ælian. *l. 14. hist. animal. c. 10.* Sic multis hominibus principium fervet, medium tepet, ultima frigent. Christianos ad scopum constanter tendere decet Philip. 3. 14. uti eqvos generosos ferunt, cum ad certamen venerint, ad extremum cursu meliores esse, qvam a principio fuerunt. Ursin. *Acerr. Philolog. p. 106.*

CAP. XV.

DE CERVO.

Cervus animal notissimum.]

N. 1. Non solum Europæis, sed & Asiaticis, Africanis ac Americanis. In Moscovia nullos esse refert Straus *Itiner. p. 77.* rarissimos ibi aliqvi perhibuerunt apud Olear. Itiner. Pers. p. 156. similiter in Lapponia non usqve adeo freqventes, & præterea parvos, testis est Scheffer. *cap. 29. p. 338.* In Judæa, Syriaqve plures fuisse, ex Scripturæ S. locis patet, qvibus memorantur *cervi agri* seu in agris degentes. Cant. 2. 7. c. 3. v. 5. item *in montibus Bether* Cant. 2. 17. i.e. *scissionis*, juxta LXX. *montibus cavitatum*, forte, qvod non unus continuus esset mons, sed montes continuati, & in multa juga sive cacumina divisi, unde & multæ valles existunt, atqve talibus Jerusalem cincta erat circumqvaqve Psalm. 125. 2. *in montibus Besamim* sive aromatum Cant. 8. 14. nunc nobis ignotis. Adde Jerem. 14. 5. Ælian. *l. 5. extremo.* Africam hodie cervos alere asseruimus supra *pag. 9.* Confirmat de regno Angolensi Brederodius in litteris, qvas Stalpartius adduxit *in Dissertatione de Unicornu pag. 463.*

N. 2. I

N. 2. In hoc animantium genere ſolus mas ſive Cervus, der Hirſch cornua gerit, rariſſime fœmina ſive Cerva, (die Hirſch-Kuhe/ die Hinde/ Wild oder das thier) a natura luxuriante qvaſi accipit, qvæ tamen differre plurimum a maſculinis obſervantur. Exempla qvære in Aldrovand. *de Quadruped. Biſulcis l.1. c.27. p.318. ſq.* Matthiol. *in Dioſcorid. l.2. c.52. p.289.* Bodin. *in Theatro Natur. lib.3. p.358.* Ephemerid. Natur. Curioſor. German. *Dec.1. An.9. obſerv.88.* ubi elegans Morhofii Profeſſoris Kilonienſis elegia adducta eſt in cervam cornutam, in agro Huſumenſi anno 1597. d. 18. Auguſt. captam. Junge *Dec.2. earund. Ephem. An.2. Obſervat.98.* Redi *Experimenta Natural. p.144. ſqq.* Hinnulus, Jung-Hirſch/ ſine cornibus naſcitur, qvæ anno demum ſecundo emittit abqve ramis, qvo tempore Subulo audit ein Spieß-Hirſch. Numerus ramorum pro ætate & conſtitutione regionum variat. In Tuſcia, qvod refert Redi *l.c. p.157.* provectæ ætatis cervi, ſex vel ſeptem ramos in cornibus habere ſolent, inveniuntur tamen qvandoqve, qvi octo vel novem gerant. In Germania, & ſpecialiter in Bavaria, ſed maxime in Saxonia, ubi cervi majores ſunt, rami qvatuordecim, qvindecim & qvandoq plures, conſpiciũtur. Germani par cornuum majorum appellitant ein Gehirn/ Geweihe; ramos majores Stangen; minores ex his erumpentes, Ende/ Zincken; tenera adhuc & ſimplicia, morchi vel Kolben. Cervus juvenis caſtratus nondum emiſſis cornibus, cornua nunqvam emittit, caſtratus jam emiſſis immutata ſemper retinet. Qvotannis veris initio, cornua cervos deponere, pingues & bene pa-

stos primos omnium, tardius & qvandoqve circa medium Aprilem debiles & macilentos, post Aristotelem Zoologi tam veteres, qvam recentes constanter tradiderunt. In dubium vocavit annuum eum recidivatum Vossius *l. 3. de Idol. c. 57.* inqve partes suas traxit Godofred. Voigtium *in Deliciis Physicis cap. 9. Sect. 2. qvæst. 1. p. 320.* Majum *Part. 2. p. 942.* Nihilominus infallibiliter veram communem sententiam pronunciat Redi *p. 154.* & in eadem perstiterunt Joh. Andreas Graba *in Elaphographia sive Cervi Descriptione Physico, Medico, Chymica Jenæ edita an. 1667. (pag. 33.)* Dn. ab Hohberg. *Georg. Curios. Part. 2. p. 607.* Cornua sua cervos, ex invidia qvadam ergà homines defodere vel occultare, qvi scripserunt, nugas vendidisse testatur Redi, per multos annos Magnum Ducem Hetruriæ in venationibus secutus; *pag. 143.* Eadem non pelli tantum capitis, ut vulgo fere omnes ajunt, sed tam firmiter duabus eminentiis, e cranio in qvatuor transversorum digitorum altitudinem prodeuntibus affixa sunt, ut ab iis citra fracturam cranii avelli neqveant, sed serra vel aliqvo instrumento alio acuto separari oporteat, utut tempore maturitatis sponte decidant. Vid. Redi *p. 155.* Joh. Ludov. Hanneman. *in Addendis ad Ephemer. Natur. Curios. Germ. Dec. 2. An. 5. p. 476* Per octo vel decem dies, ex qvo cornua matura deciderunt, protuberare incipiunt nova, tenera & pilosa; nec pilosa esse desinunt antea, qvam satis creverint, & jam plane indurata sint, id qvod trium fere mensium spatio accidit, qvo tempore cervus fricare illa ad truncos arborum & sentium incipit, & pellem, qva teguntur panniculamentorum instar exuit; &

ut

ut plurimum cervi omnes circa finem Junii, vel medium Julii, cornua dura, & pilis nudata obtinent. Tanta moles ramorum, brevi tempore quotannis renaſcitur & creſcit ex copioſo ſangvinis affluxu, in vaſis plurimis per cornua cervorum diſcurrentibus, quæ vaſa cum induratis jam cornibus & ipſa indurunt & evanuerunt, fit ut deficiente nutrimento ſangvineo cornua decidant. Redi *p. 155. ſqq.* Ideo Helmontii judicio *in tract. de Lithiaſi cap. 1. n. 13.* cornu cervinum eſt partim de materia oſſea, partim de materia lignea, & propterea ſpinas ac ramos æmulatur, deciditque annuatim ob proprietatem frondium & partis ligneæ retentam. Addit Zuelferus *Pharmacop. Reform. p. 805.* & Graba *p. 34.* ex ſangvine, cum diſpergi amplius non poteſt putrefacto, vermiculos naſci, qvi radices cornuum continuo rodentes, ac a bregmate ſeparantes, pruritum excitent ac titillationem, ob quam cervi cornua arboribus affricent, atque delapſum facilitent; interdum eadem ramis arborum implicata avellant. Conf. Chriſtian Franciſci Paullini *Cynograph. p. 170.* Soli etiam ex animantibus cervi cornua quotannis decidere, ſcripſit Ariſtoteles *l. 2. hiſt. c. 7.* Plinius *l. 8. c. 32.* Aliqui, inter quos Voigtius *p. 342.* putant, alces ac capreolos male excludi, quos vero, qui hodie inprimis alcen novimus, cervino generi annumerare licebit cum Peyero *de Ruminant. p. 33.*

In *magnis cordibus caloris partes hinc inde diſperguntur*]

N. 3. Ratio timiditatis ex magnitudine cordis, non ſolum hic cervo, ſed & ſupra aſino, & infra lepori aliiſque animantibus paſſim applicata, conſenta-

bit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa mea faciet ut incedam. Hinc Poetæ æripedem cervum vocant. DEUS ergo juxta Psalm. 18. *disponens vel efficiens pedes Davidis, instar cervarum*, fecit ut ipse agilis esset promptusque, sive fugeret v. 20. 1. Sam. 27. 1. sive muros transiliret; sive hostes fugientes persequeretur, v. 30. *DEUS stare faciens Davidem super excelsa*, fecit, ut super locos inaccessos, ad quos vis hostilis penetrare non poterat, v. 3. 1. Sam. 24. 3. tutus persisteret, contra arces hostium inexpugnabiles, (qualis erat Sion Jebusæorum) adscenderet, pedem iis suum inferret, ac victor gloriosus ibi firmiter staret. Vid. D. Geier. *in Commentar.*

Inveniuntur circa septentrionem Cervis similes Rangiferi 168

N. 5. Cervis annumerari possunt feræ quadrupedes omnes, cornibus præditæ solidis ac ramosis, sive ea mas tantum gestet, ut plerumque contingit, sive etiam fœmella simul. Tales sunt (1) alce, quam cap. X. descripsimus: (2) Rangifer: (3) Platyceros, a cornuum latitudine, Germanice Dam-Hirsch / h. e. Damacervus, a Jonstono repræsentatus Tab. XXXI. cui affinis Palmatus, cervus insignis a cornibus denominatus in palmas ramosque se late diffundentibus, apud Jonston. tab. XXXVII. alterutrum intentum a Luthero voce Tendlen Deut. 14. 5. quasi Damula seu Damlein, existimat Peyer. *de Ruminant. p. 36.* (4) Tragelaphus, quasi dicas Hircocervus, communi cervo major, pinguior, pilo densior, & colore nigrior: unde Germanis a semiusti ligni colore Brand-Hirsch nominatur. Capitur non solum in Misenæ saltibus Bohemiæ vicinis, sed & in Sy-

ria. Id genus nomine דישון *dischon* notari Deut. l.c. quod Lutherus, ut modo diximus, reddidit Tendelen / conjicit Bochartus *P.1. col 903.* (5) dorcas sive Caprea, ein Reh/ oder Reh-Geiß. Nos reliquis nunc missis, de Rangifero, occasionem suppeditante Franzio, pauca commentabimur.

N. 6. Rangifer quadrupes bestia Lapponiæ, teste Scheffero, propria; siquidem alio translata non diu vivit, cum locis delectetur perpetua nive & glacie horridis, & peculiari musci in petris nascentis gaudeat alimento, quo destituta morbis corripitur. Cervo admodum similis est, sed aliquanto procerior: Cornua mas gerit duo retroflexa, sicut vulgo cervi; ab illis procedit ramus in medio brevior quidem, sed & ipse instar cornu cervini divisus in digitos, conversus ad anteriora, qui ob speciem & divisionem illam, non inepte cornu tertium nominatur: frequentius utrumque cornu talem ex se emittit ramum, & sic cornu quasi aliud minutum habet, in frontem versum, cornuaque videntur esse non tria solum, sed & quatuor, duo reflexa, uti habent cervi, duo in frontem prominentia, quod rangiferis est peculiare. Fæminæ cornua, & minora sunt, & in pauciores ramos distincta. Quotannis ea amittunt, & nova recipiunt; fœmina tamen non prius abjicit, quam concepit fœtum. Pedes cervinis breviores, multoque crassiores, non valde bubulis dissimiles. Quando ambulat rangifer qvoqvo modo, articulis pedum valde sonorum edit crepitum, haut secus ac si colliderentur silices aut nuces. Color vergit in cinereum vel asininum: præterea non sub ventre modo, verum & lateribus scapulisque albicat. Ruminare eum negat

negat *Johannes Tornaus* a Scheffero adductus; qvod non sine causa miratur Reyer. *de Ruminant p.39.* cum sit animal insigniter cornutum, insuper bisulcum, cervisqve specie simillimum, ac vovet ab aliqvo, cui occasio est faciendi, ventriculi compositionem, ac dentium orisqve constitutionem explorari ac describi. Pro fellea vesicula ductum qvendam nigrum habere dicitur in hepate, perinde ut in cervis aliisqve animalibus, qvæ vesicula destituuntur, canalis vel porus bilarius reperitur, teste Bartholino *Anatom. Reform. l.1.c.15. p.152.* Ex hoc interpretatio adhibenda iis, qvi felle carere cervos cum Franzio scripsere. Confer supra *cap.12.n.34.* Cæterum etsi bestia natura fera est, feraqve reperitur bona copia per Lapponiam, in usus tamen domesticos ab antiqvo cicurata est; qvæ nascitur ex cicurata, est domestica & mansveta, cujusmodi greges integri multi per Lapponiam omnem visuntur. Adhibentur rangiferi, alii ut vehant onera, alii ut trahas cursu veloci ducant: Vehiculares hi, duodecim horarum spatio, ultra centum millia passuum conficere dicuntur. Lac ex iis admodum svave est, ex qvo caseos qvoqve, non butyrum Lappones conficiunt, carnibus eorum vescuntur, pellibus vestiuntur, &c. Plura si desideras, evolve Scheffer. *Lapponiam c.28.* Wormii Museum *l.3.c.24. p.337.*

Qvemadmodum cervus glocitat ad fontes aquarum Psalm.42.4.]

N. 7. In hebræo est תַּעֲרֹג, qvo cervi vocem propriam designari volunt Hebræi, qvam singulari nomine nesciunt exprimere Græci ac Latini. Nam Virgilius cervos *rudere*, Oppianus in Halieuticis, &

 Hiero-

Hieronymus in Job.39.3. *rugire*, Xenophon *clamare*, Eustathius & Ælianus *balare* dixerunt. Glocitandi verbo, qvod alias gallinis appropriatur, usus est *Auctor Poematii de Philomela*, & in versione sua adhibuit Junius. Lutherus generalem vocem, *clamat*, retinuit. Germanis Cervi dicuntur glötzen/ cum libidinis æstro perciti cira diem Ægidii clamant. *Graba p.39.* Alii interpretes alium cervi affectum aut gestum expresserunt; Symmachus *festinat*; Græci, Hieron. vulgatus, Chaldæus Arabs, *appetit vel desiderat.* Occurrit eadem vox hebræa adhuc semel Joel.1.v.20. *Etiam agri bestiæ* (silvestres) *ad te* תערוג *clamant, qvia exaruerunt alvei aqvarum.* Ex qvibus verbis alludentibus procul dubio ad verba Davidis colligitur, ערג *arag* esse anhelationem, vel vocem anhelantis & æstuantis ex magna siti.

N. 8. Causas, ob qvas præ aliis feris anhelet aqvas cervus, tres attulit Kimchius; Primam, qvia in arida loca, utpote maxime solitaria, sæpe metu hominum & ferarum cogitur secedere: Secundam, qvia cum serpentum esu incalescit, aqvas qværit ut refrigeretur. Idem putarunt e Græcis Chrysostomus, Theodoretus; è Latinis Augustinus, Arnobius, Hieronymus vel Beda verius. Confer. Bosium *de Cruce Triumphante l. 6. c. 11. p.605.* Tertiam, ut a venatorum & canum insectatione in profundis aqvarum alveis se liberet, aut saltim ut longo cursu fessus se recreet. Ad qvam ex venatione cervo excitatam sitim, & expetitam recreationem, respexit David, persecutionibus hostium lassus viribusqve deficiens. vid. Geier. *Funebr. P.1. Conc.5. p.105.*

N. 7. Qvod mediam causam attinet, etsi cervos

vos serpentibus pasci etiam perhibeant Xenophon apud Scriptores Geoponicos, Theophrastus, Plutarchus, Ælianus, Josephus, Lucretius, Lucanus, Martialis, Nicander, Plinius, Oppianus aliiqve a Bocharto adducti col. 885. sqq. Part.1. tamen a nemine, in nostris certe regionibus, rem observatam, immo experientiæ adversam attestantur Rollenhagen in warhafften Lügen/ *cap.10. p.92.* Sperling. *Zoolog. p.219.* Voigt. *Deliciis Physicis p.325.* Muller. *Θηρολογ. Bibl. p.271.* Adde Dn. a Hohberg. *Georg. Curios. P.2. p.608.* nihilominus antipathiam cervi & Serpentis, ex fide veterani venatoris asseverat Graba *p. 218.* Cancrorum comestionem a Franzio ex Aristot. *l.9. hist. c.6.* Plin. *l. 8. c. 27.* Oppian. *Cyneg. l.2. v.284* additam, credit veteres secutus Sachsius *Gammarolog. p. 437.* exsibilat itidem Rollenhagen *p.94.* Capras vero serpentum esu valde delectari, in locis montanis pluries observasse dicitur Mich Bohemus apud Sachsium l.c. *p.464.*

Psalm.22.2.] 171

N. 9. Lege præter commentatores Christoph. Sonnentagium *de Titulis Psalmorum p.273. sqq.*

Cant.2.5.] 174

N. 10. versu 9. *Similis est dilectus meus capreæ aut hinnulo cervorum.* Adde v. 17. & cap.8.14. in qvibus locis respicitur ad capreæ aut hinnuli cervorum in cursu aut saltu agilitatem, cui similis Sponsi alacritas, & exeqvendi celeritas ac facilitas, qvicqvid agat aut moliatur. Hinnuli cervorum, uti magis percelluntur venatorum adventu, tanqvam re inadsveta, qvam cervi jam adulti, pernices valde cursu, de qvo habuimus n. 4. ita majore nisu fugiunt, dum

alas

alas pedibus addit timor. Qvi tamen impetus non diu durat; nam currentes acrius, fatiſcunt celerius. Capreæ itidem mira eſt velocitas, prædicata 2.Sam. 2.18. 1.Paral. 12,8. Ibex ſpecies caprearum infra a Franzio p. 273. traditur, præ reliqvis omnibus velox. In hebræo tamen ll. cc. nomen peculiare Ibicis non occurrit, ſed צבי *tſebi* notans *δορκάδα* capream, aut capreæ marem.

177 *Pſalm.29.9. DEUS dicitur perficere cervos*]

N. 11. *Vox Domini* (h.e. tonitru) יחולל *cervas*. Qvæ verba varie exponuntur, vel ob diverſam acceptionem verbi hebræi, vel ob aliqvam, qvam de cervis adjiciunt interpretes, proprietatem. Vatablus, Muis, & alii explicant: Tonitru parturire facit cervas indebito tempore, i. e. ut abortiant præ nimio metu. Ita tonante cælo abortum faciunt oves, ſeorſim a grege vagatæ, juxta Ariſtot. *l.9. hiſt. an. c.4.* & Plin. *l.8. c.47.* ac conchæ juxta eundem *l.9. c.35.* Ammian. l.23. c.32. Marbodæum lib. de lapid. pretioſ. c 61. Et humanorum abortuum cauſam exiſtere aliqvando tonitrua, compertum eſt. *Alii* reddunt: *Vox Domini facit, ut inſtar parturientis valde angantur cervæ*, ingenti ſcilicet metu conſternatæ. Hieronymus, Genebrardus ac Bochart. *col. 891.* volunt, partum cervarum tonitru juvari, qvippe qvæ alias ob anguſtiam matricis partum habeant difficillimum, metu autem conſternatæ, ob paviditatem ſuam, tanto enitantur facilius. Nam etiam apud mulieres terror partum accelerat. Hinc Arabs Interpres de uxore Phineis dicit 1.Sam.IV.19. *Dolores partus eam invaſerant præ vehementia timoris.* Alias de cervarum difficili partu, qvem eſu herbæ ſeſeli ipſæ ſibi faci-

facilitent, referunt Cicero *l.2. de natura deor.* Plin. *l.8. c.32. l.20. c.5.* Confer. Dioscorid. *l.3. c.53.* Grabæ *Elaphograph. p 40.*

N. 12. Franzius ad explicandum textum Psalmi nos remittit ad Jobi c.39. v.4.5.6.7. qvorum etiam sensum reddit. Juxta D. Sebast. Schmidium in Commentar. DEI ibi loqventis sententia hæc est: *Num nosti* (notitia practica, i.e. nosti efficere) *tempus, qvo concipiunt rupicapræ?* (num) *concipere cervarum servas vel custodis?* h.e. curasne & facis, ut tempus concipiendi suum constanter observent) v.5. *Numerastine menses*, (qvos) *complent, & nosti tempus partus earum?* (i. e. num tu ille es, qvi definis menses, qvos cervæ uterum gestantes observant, & facis, ut accurate numerum teneant, qvasi & ipsæ numerare possent). v. 6. *Incurvant se se, fœtus suos diffindendo se eaunt, dolores suos emittunt*, (i.e. vix incurvant se ad partum 1.Sam.IV.19. cum statim qvasi diffindentes se eum excludere incipiunt, & dum vix viam diffissione pararunt, statim omnes dolores emittunt cum fœtu, ut post emissionem fœtus dolores multos non sentiant: qvo referri potest, qvod Plinius l.8. c.32. addit, cervas mox a partu duabus herbis pasci, qvæ aros & seselis appellantur; confer. Albert. M. de animal. l. 8. tract. 2. cap.1.) v.7. *valent eorum pulli, crescunt* (brevi tempore) *in frumento* (in qvod a matribus ad pascendum educuntur,) *exeunt & non redeunt sibi*, (matres suas citius, qvam aliorum animalium pulli deserunt, nec ad eas redeunt.) Qvod si ergo ex his locus Psalmi lucem capere debet, dicendum erit, tonitru partum cervarum faciliorem effici, immaturum

fœtum

fœtum communiter non excuti. Est vero perficiendi etiam notio, ad exprimendum יחילל nimis generalis.

N. 13. Addi possunt aliæ sacræ a cervis similitudines. Gen.49.21. Patriarcha Jacobus Nephthali benedicit: שפר אמרי הנתן . שלחה אילה *Cerva emissa, dans eloqvia pulchritudinis.* Varias verborum difficilium expositiones collegit,& examinavit Heidegger. *Histor. Patriarchar.Tom.2. Exercit. 23.* Hieronymus ad doctrinam Servatoris verba refert, qvod in portione Naphthali maxime docuerit. Qvam interpretationem Coccejus ex ipsis fontibus eruit, ita verba vertens: *Nephthali est cerva dimissa dantis, sive ejus qvi dat verba decoris*, i. e. Nepthalitæ aliis rebus distenti, qvæ sitim sedare non poterant. per Evangelium, qvod præconium libertatis est excitati,perruptis mundanarum occupationum retibus, cervæ dimissæ similes accurrent ad Messiam, qvi dabit verba pulchritudinis & decoris, in cujus labia gratia effusa est *Psalm.45.3.* cujus guttur mera dulcedo *Cant.5. 16.* Idem prædixerat *Jesaias c.IX.1.* Complementum indicat Matthæus c.4.v.14. habetq; historia Evangelistarum reliqva, ex qva novimus, Christum in Capernaum habitasse, & prædicasse freqventer Evangelium, uti & in regione circumjacente; ibi plurimam turbam sedibus suis excitam, rebusqve suis relictis,adChristum audiendum summa alacritate confluxisse, tanqvam ad fontem aqvæ vivæ, qva sitim suam restingveret. Hanc interpretationem commendant & seqvuntur Heidegger. *l. c. n.8.* Witsius de Oeconomia Fœderum DEI *l.4. c.3. n.27. p.461.* eo promtius, qvod præter Hieronymum

mum applicationem ad Christi doctrinam etiam fecerint Ambrosius, Procopius, Eucherius Lugdunensis Episcopus, & Petrus Martyr. Nec displicet eadem Varenio *in Commentar.*

N. 14. Proverb. V. 19. Uxor viro suo grata & accepta vocatur, *Cerva amorum* (amabilis) *& ibex vel rupicapra gratiæ* (gratiosa & venusta) qvod maritus eandem amare, blande tractare, & suas in eo delicias qværere debeat, qvomodo alias magnates, hinnulos cervasqve cicuratas in suis palatiis, solent in deliciis habere, iisdemqve se oblectare. Bochart. *col. 898.* Geier. *in Comment.* Inde est, qvod in Hebræorum matrimoniis etiam nunc Sponsa a Sponso vocatur cerva, ut liqvet ex eorum Rituali, qvod latinum fecit Genebrardus.

N. 15. Ad commendationem caprearum & cervarum facit, qvod Sponsus Cant. 2. v. 7. & 3. v. 5. Jerosolymitanas virgines adjurat, i. e. orat & deprecatur per capreas & cervas agri; rogare enim & adjurare solemus per ea, qvæ sunt charissima. Bochart. *col. 899.*

MORALIA.

I. TIMOR DEI.

CErva fulminum fragore exterrita partum suum enititur, (n. 11.) TERROR JUVAT. Homines divino terrore perculsi, ad sanctos virtutum partus proferendos incitantur. Qvo pertinet Jes. 26. v. 18. juxta versionem græcam: *Propter timorem tuum, Domine, in utero accepimus, & parturivimus, & peperimus spiritum salutis tuæ.* Augustinus in Psalm.

Pfalm.147. *Territi præcavemus, præcaventes securi erimus.*

II. PECCATOR TIMIDUS.

CErvus unico propinqvante cane in fugam agitur: NON REDDUNT CORNUA TUTUM. Peccator, tametsi armis undiqve munitus, in corde tamen timorem assiduo lancinantem circumfert. David nondum peccatis atrocibus illis infectus, facinora magnanimo leone digna patravit; ubi peccaverat, mox timidus evasit cervus, & medios etiam inter militum cuneos trepidavit; ab Absalonis enim, proprii filii sui conspectu, fugam formidine plenissimam arripuit, qvi antea Goliathos & leones prostravit. Venatores cervum comprehensuri, filum diversis volucrum plumis ac pennis distinctum, per oblongum facilioris viæ spatium extendunt: unde plumeo hoc septo a ventis agitato, cervus ingentem timorem concipit: illudqve declinaturus, e lustro suo se proripit, & inopino lapsu in vicinum rete incidit. Diabolus peccatorem ad desperationem ducturus, peccata varia & multa ab ipso commissa, ante oculos ponit extollitqve, ut in rete infernale præcipitetur.

III. CURIOSITAS NOXIA.

CUriositas novitatum est instrumentum Diaboli ad animas occidendas. Sunt enim curiosi homines silvestribus cervis similes qvi cum sint simplicissimi, omnem mirantur & stupent novitatem, & ita in eqvum vel bubulum accedentem ad se respiciunt, ut hominem appropinqvantem, & sagittis se impeten-

petentem non advertant. Ita curiosæ mentes,cum circa qvasdam novitates inutiles, sed sibi admirabiles occupantur, jaculo erroris vel elationis, vel alterius peccati a diabolo feriuntur. 1. Tim.6.20. *profanas vocum novitates devita.* Sic curiosi fuerunt Athenienses Actor.17.21. ad nihil aliud vacantes,nisi ad dicendum, aut audiendum aliqvid novi. *Geminianus l. 5. c.34.*

CAP.XVI.

DE SUE.

Initio ex Grammatica petendum est discrimen) 178

N. 1. De qvo satis erudire potest Gesnerus *lib.1. de Qvadruped. Vivip. p.995.*

Ubi enim placitum est, ibi qvoqve ferum animal fecit DEUS)

N. 2. Ita ex proxima ab hac editione exscriptum est. Prima & tertia recte habent; *ubi enim placidum est &c.*

Glandes etiam solæ & diutius comestæ) 180

N. 3. Κεράτια porcorum cibus Luc.15.16. non sunt leguminum siliqvæ, qvales habent pisa, fabæ, lupini,atqve alia hujus generis,sed fructus earum arborum, qvæ proprie siliqviferæ dicuntur, qvia earum fructus in siliqva est. Qvare denotatur ibi fructus ille,qvem vulgo panem Johannis appellant,qvod illo Johannem Baptistam victitasse credant,tanqvam parco ac parabili victu. Nam vilissimus cibus fuit pauperum, ac Suum pabulum apud multas, inprimis Orientis gentes. Bochart. *P.1. col.708.* Voglerus

rus *Commentar. de rebus Natural. ac Medicis in Scriptura S. p.326.* Majus *P.1. p.587.*

Fœtorem dispersum non ita percipit)

N. 4. Sic ex Ariſtotele Alexander Aphrodis. *Probl.141.* qvem poſt alios Voſſius ſeqvitur *l.3. Idolol.c.58.* Aſt cum argumenta non contemnenda ſint, odoratu pollere admodum porcos, veroſimilius eſt ipſos non averſari ſtercora & alia graveolentia, ſed appetere etiam, iisqve tanqvam delicatis cibis veſci, qvia grata palato & accommodata naturæ ſuæ accidunt. Neqve enim omnia graveolentia & fœtida ipſi etiam homines averſantur, uti caſeum, carnem ferinam, atqve alios ejusmodi cibos: neqve ideo iis veſcuntur, qvod olfaciendi vim hebetem habeant, qvæ fœtorem non percipiat. vid. Majum *Part.1. p.584.*

182 *Cum læditur unus ex porcis atqve grunnit, reliqvi omnes accurrunt*)

N. 5. Talibus congrunnientibus porcis Judæi aſſimilantur, qvi cum unus ex ſociennis ob delictum a Chriſtianis comprehenditur, cæteri magno numero concurrunt, ut a ſupplicio captivum liberent, *in Schevet Jehuda pag.31. ex verſione Gentii.*

Cum ſecundum omnes medicos caro ſuilla ſit ex numero præſtantisſimorum ciborum, qværitur cur DEUS carnem tam ſalubrem prohibuerit?)

183 N. 6. Etſi Galenus, & multi medici eum ſecuti, ſuillæ carni primas in cibis tribuunt, alii tamen experientia conſtare ajunt, porcinam e ſuibus domeſticis, ob animalis inertiam, & pabulum immundum, excrementitia humiditate, & pingvedine ſtomachi firmitati adverſa abundare, alimentum vero

craſſum

crassum & lentum suppeditare. Consentiunt autem, robustis & multo labore exercitatis potissimum conducere, imbecillis contra, vulneratis, ulcere aut scabie laborantibus multum nocere vid. Pisanellum *de alimentorum facultatibus p.72.* Henricum Mundium *de Aere vitali, Esculentis ac Potulentis p.201.* Konigii *Regnum Animale p.129.*

N. 7. Causa, ob qvam DEUS olim porcum inter immunda Judæis animalia esse voluerit, allegatur Levit.XI.7. Deut.XIV.8. qvia, etsi fissam habeat ungulam, tamen non ruminat. Ulteriorem præcepti rationem vestigantes, in diversa ita ivisse, ut plurimi rursum inter se convenire qveant, constat *ex cap.3. n.12.13.14.15.* Franzius hic qvatuor causas potissimas conjungit, (1) est *Oeconomica*, adversus qvam non difficilia poterant esse remedia, (2) *medica*, allata a Talmudistis *Tractatu de Sabbatho fol.129.* & R. Bechai *in Legem fol.132.* probata a Cunæo *de Republ. Hebræor. l.2.c.24.* Wagenseilio confutante Carmen Lipmanni *in Telis igneis Satanæ p.555.* (3) *theologica;* ubi cum carnem porcinam ab utilitate & svavitate commendat Franzius, limitatione opus erit, ut cum noxa, qvam Judæorum sanitati allaturus ejus esus modo dicebatur, non pugnet. (4) *Ethica* a Clemente Alexandrino, Novatiano, Lactantio adducta. Addi potest (5) *physica*, qvam Majemonides *in More Neboch. part.3.c.48.* tradit, fœda porcorum sordities, & qvod multas sordidasqve res comedant. Cum enim Lex omnes sordes, omnemqve immunditiem prohibuerit in agris, castris, urbibus; plateæ & domus futuræ erant sordidissimæ, si porcos permissum fuisset comedere. Con-

jungit idem rationem medicam paulo ante indigitatam.

N. 8. Mirari autem qvis possit, cur porcum, præ aliis immundis bestiis, in Lege peculiari ἀτιμίας nota nuspiam designatum, Judæi etiam veteres, magis qvam aliam immundam abominati sint ac detestati; siqvidem (1) nullis tyrannorum minis, nullis suppliciis adduci potuerunt, ut ora sua carnis suillæ tactu vel gustu contaminarent, 2. Maccab. 6. 18. 2. Maccab. 7. (2.) a visu & nomine porcorum toti abhorruerunt. Nam postqvam a tyrannide Antiochi respirare cœperunt, feruntur legem sanxisse; *Maledictus, qviqvis suem aluerit.* Ea extat in Masfech & Baba Kama *cap. 7. Mischn. 7.* alibiqve in Talmude repetitur, immo ne nominare qvidem porcos voluerunt. In Talmudico Tractatu *de Sabbatho fol. 129. b.* dicunt, *qvi incidit in rem aliam, periclitatur de re alia*, i.e. juxta glossatores; Porcum comedenti, periculum est a lepra. vid. Cunæum de Rep. Hebræor. l. c. Bochart. *col. 702.* Schickard. *de jure Regio c. 5. theor. 18. n. 148.* ibi Carpzovii Annotationes.

N. 9. Causas aliqvas tantæ abominationis attulit Spencerus *de Legibus Ritualib. Hebræor. l. 1. c. 5. Sect. 4.* non contemnendas; (1) qvod ethnici animali illo, tanqvam odii & malignitatis suæ in Judæos signo & instrumento sæpius uterentur. (2) qvod illius esus aut usus, hominis a lege cultuqve Judaico ad ethnicismum deficientis, argumentum haberetur. (3) qvod bestia ea gentiles in lustrationibus, mysteriis magicis, festis, & pactis sanciendis freqventer uterentur. Qva superstitione se fœdasse aliqvando ipsos Judæos, intelligitur ex Esaiæ c. 65. v. 3. & 4

Populus

Populus eorum est, qvi me coram semper provocant: qvi sacrificant in hortis (seu lucis idolorum Exod. 34.13.) *qvi adolent in tegulas* (i.e. super tecta domorum, more idololatrarum 2.Reg.23.12. Jerem. 19.v.13.&32.v.29. Sophon.1.5.) *qvi habitant in sepulchris, & in locis desolatis pernoctant*, (ut dæmones consulant arte necromantica, ut 1.Sam. 28.8. Es. 8.19.) *qvi comedunt carnem suillam, & jus immundarum carnium habent in vasis suis*, (i.e. qvi carnis suillæ vel jusculi e carne confecti comestione, tanqvam sacramento & ritu magico, se Dæmoni consecrarunt, & δαιμονολήπτες fecerunt. Cap.66. v.17. *Qvi se sanctificant & purificant in hortis* (lucis) post אחד *achad Unum in medio* (i.e.juxta Scaligerum & Seldenum, post idolum, nomine Achad vocatum, aut pone templum Achad; Bochartus cum Masorethis legens אחת *echath* unam, subintelligit arborum, qvæ in medio sunt; Munsterus, Piscator, Geierus, Pfeifferus in Dubiis vexatis interpretantur; *post unum in medio*, i.e.unum choragum idololatram in medio imitati) *qvi porci carnem comedunt, & rei abominabilis, & muris, pariter consumentur, inqvit Dominus.* Ad qvem locum Seldenus *de diis Syris Syntagm.1. cap.6.* conjicit, in Asia porcum & murem, primas inter februa & lustrationes tenuisse, uti porcum apud Europæos. Adductis insuper aliis rationibus non male concludit Spencerus: *Odium illud, qvo Judæi porcum persequuntur, Lex plantavit, nativa porci fœditas rigavit, eiqve præjudicium, traditione & usu confirmatum, dedit incrementum.*

N. 10. At videntur tamen Judæi tempore

Christi porcos aluisse? Nam filius acolastus porcos pavit Luc.15.15. in regione Gadarenorum pascebantur porcorum duo millia Marc.5. v.1. & 13. Luc. 8. v.26. & 32. Enim vero filius ἀκόλαστος porcos pavit, non in Judæa, sed in longinqva regione, Luc. l.c. v.13. Qvi Gadarenos pro Judæis habent, cum Chemnitio *in Harmon. Evangel. c. 65.* ajunt, illos contra legem DEI porcos aluisse, ut ex eorum venditione inter vicinas gentes qvæstum facerent. Simili avaritia Mahammetanos in provincia Turchiæ impulsos credere fas est, qvos, licet lege Pseudoprophetæ *Azoar. 2. 26.* ad abstinendum Suis esu tactuqve adstrictos, M. Paulus Venetus *l.1.c.12.* narrat, greges magnos jumentorum ac *porcorum* habere, (si modo lectio vera est, ac pro *porcorum* voce, valde affinis *pecorum* non reponenda): nam & porcos vendere poterunt illi Græcis & Armenis secum habitantibus. In Ispahan regia Persiæ urbe, sues a Rege non propter esum, sed aliis de causis ali, refert Della Valle *Part.1. p.83.b.* Sed qvi Muhammetani religiosiores sunt, ita aversantur porcos, ut nec tangant, nec in suis regionibus apud se ferant, immo ægre aspiciant. De qvibus intelligendus Thomas Smith *Epist.3. de Turcorum moribus pag.44.* scribens: *Turcæ hodierni ad primum porci conspectum inhorrescunt, donec horror, qvem primo conceperant, in bilem & iram vertitur. Væ igitur porcis, si forte armatis militibus occurrant, cum qvibus confligunt, tanqvam cum atrocissimis hostibus. Qvorundam nares offendit nidor, ac si pestilentiale qvoddam miasma exhalasset.* Junge Busbeck. *Epistol.3.* Tavernier. *Part. 2. pag.3.* Alii Gadarenos, vel ut apud Matth. 8.28. nominantur,

minantur, Gergesenos, non Judæos, sed Græcos aut Syros fuisse censent cum Casaubono *Exercit.13. in Baron. n.34.* Schickardo *l.c.* Bocharto *col. 697.* aliisqve, qvos D. Pfeiffer allegat *Antiqvit. Sacrar. Dec.1. Posit.10.* Adstruunt suam sententiam, partim ex Matth. l. c. ubi aperte significetur, locorum illorum incolas fuisse ex stirpe Chanaanis, in cujus filiis הגרגשי Gen. 10.16. partim ex Josephi Antiqvit. *l.17. c.13. l.13. c.23.* Confer Lightfootium *ad Matth. 8. & in Decad. Chorograph. Marco præmissa cap.7. §.3. & ad Marc. c.5.*

N. 11. Cum vero ipsi Judæi persvasi sint, usum porci veniente Messia licitum fore, qvod legimus apud Abarbanel. *in Rosch Amana cap.13.* concedere etiam debent, non sua natura, sed institutione immundum esse. vide supra *cap.3. n.11. & 23.*

N. 12. Alias gentes, inter qvas Arabes, Phœnices, Ægyptii, Æthiopes, Indi, vel ob immunditiem animalis, vel lepræ metum a suibus abhorrentes, commemorant Bochart. *col.702.* Majus *P.1. p.594.* Hodie, qvi inter ipsos sunt Muhammedani, ex religione sua abstinent. In Chinensium summorum pariter & infimorum mensis, suilla præcipue expetitur. Pontanus *lib. 4. progymn. 70. p. 1173.* Unde magna cura illi saginant porcos, qvorum tanta in ipsis urbibus præcipuis multitudo est, ut ægre per plateas transitus detur. Neqve tamen viæ lutulentæ fiunt; nam omnia stercora, etiam suillum diligenter colligunt, & pro fimo ad stercorandos agros vendunt. Nieuhov. *Part. ult. Legat. Batav. c.16. p.108.*

N. 13. De Scrofis ex saxo sculptis vel pictis, uti

Magdeburgi in Templi Canonicorum magni qvodam Sacello, in Curia Salisburgensium, Wittcberga in Templo parochiali, alibiqve, qvas Christiani ad arcendos Judæos sibi cohabitantes; qvod irrisuri ac blasphematuri sacra aliqvando ingrederentur, ex zelo qvodam fecerunt, Hadrianum Imperatorem forte imitati, qvi in Hierosolymæ a se restauratæ, Æliæqve dictæ portam, qva Bethlehem itur, suem marmoream statuit, ut ab ingressu urbis Judæos deterreret, lege, si placet, Mulleri Θηρολογ. *Bibl. cap.34. de Porco p.480.*

189 *Psalm. 80.14.*].

N. 14. *Corrosit* (aut absumsit) *eam porcus de silva*, (aper,) *& agri bestia depasta est eam.* Intelliguntur hostes Ecclesiam & Rempubl. Israeliticam, tanqvam vitem a DEO pulchre plantatam vastantes Assyrii, Babylonii, aliiqve. Vastarunt & vastant similiter subinde Ecclesiam Christianam Apri. vid. Bochart. *P.1. l.3. c.22.* Geier. *Commentar. ad Psalm.* Muller. Θηρολογ. *p.48.* Alia est periphrasis hostium Ecclesiæ Psal.68.31. *Increpa feram calami, cœtum taurorum cum vitulis populorum.* ubi secundum R. Salomonem aliosqve, fera calami vel arundinis est porcus silvæ. Bochartus *P.1. col.984. & Part.2. col. 763.* Hippopotamum, Geierus crocodilum intelligit, sub cujus figura hostes Ecclesiæ tam truculenti, qvales Ægyptios Nili accolas recordabantur Israelitæ, repræsentantur.

191 *Matth.8,28. sqq. diaboli egressuri ex obsesso petunt*].

N. 15. Applicationem non inelegantem historiæ, invenies apud Engelgrav. *Part.1. Lucis Evangel. p.72.*

MORALIA.

MORALIA.

I. INGRATUS ERGA DEUM.

AD qvercus, glandes copiose demittentis, radicem porcus avide vorans, oculos unde veniant non attollit. Huic lemma dabis: NON RESPICIT, A QVO ACCIPIT. Plurimi mortales ad Patrem cœlestem, a qvo vitam, victum, amictum, valetudinem, aliaqve beneficia qvotidie accipiunt, oculos mentis non reflectunt, stupidissime fruendo bonis omnibus.

II. CAUSIDICI INIQVI.

JOannes Pareus JCtus, non procul Florentia obambulans, vidit subulcum porcos in haram cogere, atqve renitentibus & alio divagantibus tandem imprecari: ingrederentur haram, ut iniqvi causarum judices infernum: statim omnes gregatim involasse. Qvo spectaculo qvamvis ludicro ille serio resipuit, & causis valere jussis, Florentiæ Franciscanorum Monasterium ingressus est. Engelgr. *Lux Evangel. part.1.p.382.* ex Wadingi *annal. Minoritar. ad an. Chr.1211. Tom.2. p.84.*

III. CONSCIENTIÆ MALÆ TERRICULAMENTA.

QVi rasuram dentis apri in medicamentis assumunt, in insomniis solent videre apros grunnientes se circumdare infestareqve. Rationem physicam inqvirit Emanuel Konig, *in Ephem. Nat. Cur.*

Dec.2. Art.3. Observ. 96. p. 202. 203. Qvi conscientiam habent malis factis pollutam, etiam cum qviete frui volunt, spectris & larvis inanibus vexantur ac turbantur. Thuanus *l.57. ad an.1547. Tom.*II.*pag.67.* & Bussier. *l. 20. Historiar. Galliæ n. 12.* narrant, somnum Caroli IX. Regis Galliæ, post lanienam Parisinam, plerumqve nocturnis honoribus interruptum fuisse, & eundem rursum adhibitos pueros symphoniacos expergefacto conciliasse. Eos nocturnos horrores, non vane credas conscientiæ stimulos, imaginibus occisorum terrentis.

CAP. XVII.
DE VULPE.

193 *Qvando videt se non posse evadere, in cauda villosa urinam recolligit*]

N. 1. Non ex astu, sed ex timore, more aliarum bestiarum, caudam inter crura contrahere, urinamqve emittere, hancqve cum canes imminent, morsibusqve adoriuntur excuti caudis, (qvæ vulpibus pilosiores sunt, & ad eam retinendam magis idoneæ,) atqve in oculos canum incidentem acrimonia sua eos lædere, verosimile videtur Digbæo *de Natura Corpor. Tract. 1.* cap.36. n.6. ubi de aliis astutiis vulpinis differit. Adde Wolfgangi Heideri *Orationes duas de Vulpeculis Scholasticis, qvæ sunt Vol.2. decima nona & vigesima, ac repetita in Dornavii Amphitheatro Tom. 1. p.540.* Vulpem, cum aliter non posset evadere, in piscinam se immersisse, in vado stetisse, & aqvis se texisse, ore solo extante, ut spirare posset, vidit Balbinus, refertqve *Miscellan. Regn. Bohem. Dec.1. l.1. c.60. p.137.*

Vulpes qvasi volvipes] 194

N. 2. Aliæ conjecturæ reperiuntur apud Voss. *in Etymolog.* Majum *Part. 2. p. 891.* Hebræis nominatur שועל *Schual*, a radice usitata adhuc Syris *Scheal* & *Scheul* tussis, Arabibus *Saala* & *Sual*, & Rabbinis *in Bereschit Rabba sect. 32. de Noa*, שועל *Soël* tussiens sangvinem exscreando; & apud Eliam in Thisbi שועל *Soël* tussis, qvod hoc animal, aut ob perpetuam pulmonum intemperiem tussitet, aut tussientis raucedinem gannitu suo imitetur. Gallorum adagium adducit Bochartus *Part. 1. col. 850.* qvo, cum senem vident, tussim ex imo pectore vix extundentem, dicunt: *Hæc est vulpina tussis, qvæ in foveam te deducet, i. e. in sepulchrum.*

Vulpes habitat in fossis, non qvas ipsa paravit, 195
sed a taxo effossas dolo occupat]

N. 3. Fabulosum putat Bochart. *col. 852.* cum vulpium lustra sæpe sint in locis, ubi nulli taxi. Proinde vulpem ipsam sibi lustra alte fodere, Phædrus, Oppianus, Lactantius aliiqve scribunt.

Familiaritatem colit cum corvo]

N. 4. Sit conjunctio vulpis & corvi, cum pugnant adversus communem hostem Oesalum, qvam in accipitrum genere avem, describunt corvo minorem, uncis ungvibus, qvæ & ova frangit corvi, & vulpis pilos evellit, occiditqve catulos, uti narrant Aristot. *l. 9. hist. c. 2. pag. 1007. edit. Scalig.* Ælian. *l. 2. de anim. c. 51.* Plinius *l. 10. c. 74.* Inter se solis hostilitas est. vid. Gesner. *l. 1. de Qvadrup. p. 1085.*

Jud. 15. v. 4. & seq.] 198

N, 5. *Et ivit Samson*, (messis triticeæ tempore) וילכד *& cepit* (vid. Eccles. 7. 26.) *trecentas vulpes*,

pes, & sumsit tædas, & obvertit (ligando) *caudam ad caudam, & tædas singulas posuit inter binas caudas in medio: Et tædis igne succensis dimisit* (vulpes) *in segetes Philistæorum, & combussit cum metas tum segetes, & vineas & oliveta.*

N. 6. Cum nonnullis rem hanc adeo incredibilem visam significet Franzius, ut Scripturæ S. hac in parte assentiri abnuerent, & AuctorReligionisMedicæ *Sect. 20.* parum religiose de omni Simsonis historia cogitaverit scripseritqve, non erit inutile scrupulos de re gesta profanis hominibus eximere.

N. 7. Dubium est *Primo*, qvomodo Simson tot vulpes collegerit, qvas difficillimas captu esse constat? Respondetur (1) magnam in Palæstina, & locis vicinis, fuisse vulpium copiam. vid. Psal. 63. 11. Cant. 2. 15. Thren. 5. 18. Hinc multa ibi loca a vulpibus nomen habuerunt, uti terra *Sual*, i. e. vulpis 1. Sam. 13. 17. *Hatsar Sual*, seu castrum vulpis Jos. 15. 28. &c. Æliani locus a Franzio citatus extat *l. 17. de anim. c. 17.* (2) si non una aut altera die, tota hebdomade, immo mense integro capere potuit. (3) & insignis venator potuit esse Simson, & ipse non solus venari vulpes trecentas, sed per amicos, per tribules suos, per universam Judæorum gentem, cui præerat, publica venatione indicta. Et tamen illas cepisse dicetur: qvia, qvod qvis per alium facit, id censetur ipse facere. (4) pugnam Leonum centum dedit L. Sylla, sexcentorum Pompejus M. qvadringentorum Cæsar Dictator. Plinius *l. 8. c. 16.* Probus Imperator venationem, in Circo ad silvæ speciem consito arboribus, exhibuit. Immissi Struthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damæ, ibices, oves feræ, &

cætera herbatica animalia, qvanta vel ali potuerunt vel inveniri. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit. Addidit alia die in Amphitheatro una missione centum jubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant. Editi deinde centum leopardi Libyci, centum Syriaci, centum leænæ, & ursi simul trecenti. Flavius Vopiscus *in vita ejus*. Potuisse tot magnas & ferocissimas bestias capi, Romam omnes vehi, in spectaculis exhiberi, fidem habemus referentibus historicis gentilibus. Cur ergo abhorreat animus credere, Simsonem Principem populi Israelitici, trecentas vulpes in sua regione conquisivisse. (5) DEUS Simsonem sociosque adjuvare potuit, impellendo in casses vel retia vulpium multitudinem, ut ita efficere posset id, ad quod Spiritus Domini excitabat. Ita DEUS omnia animantia in arcam Noæ coegit Gen. 7. v. 8. 9. coturnices intulit castris Exod. 16. 13. Num. 11. 31. Pisces in rete Petri inclusit Luc. 5. v. 6. 7. Balduinus *Concion. super Jud. 15. p. 905.* Serrarius *ad l. c.* Addit (6) Bochartus *col. 855. Part. 1.* vulpium nomen in historia Simsonis potuisse etiam complecti thoes, animal vulpi simillimum, & in Judæa valde freqvens, maxime in Palæstina, atque ita gregarium, ut quandoque ducenti in unum gregem conveniant, & nullo negotio plurimi capiantur. Ad quam rationem ampliandi vocem vulpium recurrere, opus non est.

N. 8. Dubium II. Quomodo Simson potuerit caudis titiones adjicere, & accendere segetes? Respondet Franzius eo modo, quo Romani, medio Aprili, in Circo emiserunt vulpes cum tædis ardentibus tergo affixis, non quidem ut segetes incenderent, sed

ut

ut ibi ipſæ igne comburerentur, in memoriam & pœnam accepti damni, quod vulpes, quam gallinas vorantem filius ruſticus Carſeolis captam, fœnoque involutam & ſtipulis, comburere volebat, dederat. Iis enim accenſis, cum effugiſſet illa, quacunque fugam moliebatur, agros incendebat meſſi proximos. Ita Ovidus *l. 4. Faſtor. v: 677. ſqq.* Longe tamen veroſimilius origo feſti illius Romani, in hiſtoria ſacrâ Simſonis quæritur a Serrario, Cornel. a Lapide, Bocharto *col. 857.* aliique. Simſon itaque non ſolus, ſed iterum aliorum miniſterio uſus, qui ſe adverſus morſus vulpium bene munire poterant, easdem colligavit, & quidem in diverſis regionis locis ſine dubio emiſit, ut incendium latius graſſaretur.

MORALIA

I. DISSIMULATIO MALITIOSA.

Vulpes, ſi quando inciderit in canes, & nullum ſibi videat effugii locum, ſimulato latratu canem effingit, ut imminens mentita voce declinet periculum. Olaus M. *l. 18. c. 40.* Non diſſimiliter faciunt, qui aut religionem, aut vitam, aut vocem ad tempus mentiuntur, mox evitato periculo ad ſuum revolvuntur ingenium. Cicero 2. Philipp. de Antonio: *Improbus quoad metuet, omnia eſt promiſſurus; ſimul ac timere deſierit, ſimilis eſt futurus ſui.* Cauſſin. Polyhiſt. Symbol. l. 7. parab. 118.

II. FRAUS DELUSA.

Vulpes in hieme piſcans, caudam aquis immittit,

ut pendentes ex ea pisces ad se attrahere ac devorare possit: at fraudem subodorati pisces, tamdiu in aquis irrita spe natantem relinquunt caudam, donec glacie constringatur: unde capta vulpes, ac veluti fune retenta, venatoribus non sine ludibrio in prædam cedit. Sic ARS DELUDITUR ARTE. Quisquis enim aliis vel illudere, vel fraudem facere cogitat, brevi se omnium ludibriis ac fraudibus expositum sentiet. August. Serm. 112. de diversis c. 10. *Compone tecum: non vis falli? noli fallere: quod pati non vis, noli facere. Vis venire ad vitam, ubi non fallaris? age modo vitam, ubi non fallas.* Damno ac ludibrio suo expertus id est ex Sfortiarum familia Galeacius, qui licentia juvenili elatus, Bartholomæo Bergomati Venetorum Duci, viro quidem exactæ ætatis & callidissimo, sed tamen pari aliorum astutia nonnunquam circumvento, annosam vulpem misit, cavea interceptam. Dux adolescentis illusionem & arrogantiam sentiens, ut paria refunderet, accipitrem remisit loris compeditum, & puerilibus crepundiis nolisque instructum, quo illius puerilitatem ferocemque ingenii levitatem, loris constringendam adumbravit. Ex Pauli Jovii Elogiis militaribus *lib. 3. in Bartholomæo Coleono Bergomate p. 149.* Picinellus *T. 1. Mundi Symbol. p. 431.*

CAPUT XVIII.

DE FELE.

Refert Diodorus Siculus atq; Strabo l. 27. quod tempore Tiberii in Ægypto &c.] 205

N. 1. Diodorus Siculus, qui vivendo ætatem Tiberii non attigit, narrat, *lib. 1. p. 75.* tempore Ptolemæi

lemæi Regis, fele a Romano quodam interfecta, populique ad ædes ejus concursu facto, neque proceres a Rege ad deprecandum missos, neque communem Romæ terrorem, hominem pœna eximere valuisse, quamvis citra voluntatem facinus peregisset. Atque id in peregrinatione sua coram vidit Historicus. In Strabonis lib 17. eoque ultimo, (quem numerum proinde prima editio Franzii rectius ponit,) ubi agitur de Ægypto ejusque diis, historiam de 7000. præsidiariis Romanis vice felis cæsæ, interfectis, non reperi.

206 *Color feli agresti tantum griseus*]

N. 2. Intelligatur de Helvetio genere, quod paulo ante nominatum est: in regionibus exoticis aliter coloratum conspicitur. vide Marggravii *Histor. Rer. Natural. Brasil. l.6. c.9.* Charlethon. *Onomast. pag.21.* Inter domesticas reliquis omnibus, etiam Cypriis. Persicas præfert Della Valle *Part.3. pag.61. b.* Paulo post Noster pag.208. ex Scaligeri *Exercit.271. sect.9.* adducit catos agrestes volantes in provincia Malabar, quos verius prægrandes vespertiliones esse putat Kircherus *Chinæ illustrata Part. 2. cap.5. pag.84.* Hi in cibum valde expetuntur ab Indis, uti in Europa feles agrestes. Domesticæ etiam nonnullis bene sapiunt. vid. Dn. ab Hohberg *Georg. Curios. Part.2. lib.9. c.79. p.318.*

N. 3. De felibus agrestibus interpretatur Bochartus *P.1. col.862.* ציים Tziim Jes.34.14. Jer. 50.39. Es.13.21. Eum Majus sequitur *part.2. p.906.* Rationes sunt, (1) dsaivvan felis Arabica vox, & ציים Hebræa, terminatione differunt, ideoque idem animal significare videntur; (2) optime junguntur

guntur *Tziim* feles cum *Jiim* thoibus, qvia ut thoum ululatus alterni tetrum aliqvid habent & horribile: ita felium in desertis coeuntium vox dira est, & inauspicati ominis. (3) in Babylonia & Palæstina fuisse feles agrestes docet Chaldæus paraphrastes Jes. 13,22. cap.34.14. Jer. 50. 39. Oseæ 9. 6.

Utcunqve doceatur tenere lychnum]

N. 4. Nierenberg Jesuita *lib 3. Histor. Natur. c.21. Fuit felis cuidam fratri nostro familiaris, cujus cura erat pulsare nolam ad surgendum: Id munus felis didicit. Si forte, cum hora insonabat, abesset Frater, felis accurrebat ad funem, & manibus presso ungue detrahebat.*

Causa hujus accidentis est, qvod mater gravida a 209
felibus abhorruerit]

N. 5. Experientia omnino suffragatur. vid. Ephemerid. *Natur. Curios. Dec. 2. An.2. p.83.* Solet etiam horror ille a parentibus in liberos hæreditarius dimanare. Exemplum recenset Pontanus *in Atticis Bellar. p.17.* Forte tamen & aliunde contingere potest, ut qvis sangvinis & spirituum tale temperamentum habeat, qvod halitibus e felis corpore copiose & indesinenter emissis modo insolito exagitetur: unde perturbatio sensuum & lipothymia eveniat. Consule Le Grand *Histor. Naturalem Part. 9. art.10.* Matthiolum *in Dioscorid. l.6. c.25. p.997.*

MORALIA.

I. JUDEX VITIOSUS.

CAtus murem captum ferens epigraphen accepit: PARIA CUM FECERIT. Judicem biliosum

hæc imago designat, qvi cato persimilis, aliorum furta acri censura perstringit ac castigat, plurimorum ipse longeqve graviorum reus. Narrante Diogene Laertio, *lib. 6.* Diogenes Cynicus conspicatus a magistratibus, qvi Athenis ἱερομνήμονες dicebantur, abduci qvendam ex ærario phyalam furatum, *Magni*, inqviebat, *fures parvum ducunt.* Qvæ Erasmus referens *Apophtheg. lib. 3. p. 227.* subjicit: *Utinam hoc non possit vere dici in magistratus aliqvot Christianos, a qvibus ad laqveum adigitur interdum, qvi decem drachmas sustulit, ipsi impune magnis furtis, vel peculatu potius ditescunt.* Idem l. 8. p. 734. Cato senior dicebat, privatarum rerum fures in compedibus vitam agere, publicarum in auro & purpura conspicuos incedere. Olim simplex furtum non puniebatur capite, sed vincti compedibus præstabant operam. At longe gravius crimen est peculatus qvam furtum. Et tamen qvi fiscum Principis, qvi Rempubl. compilant, magnates fiunt. Hæc Erasmus. Tamberlanus Tartarorum Rex, alienas provincias assiduis & enormibus rapinis invadere solitus, in furta qvævis minutissima, ab exercitu suo patrata, severissime animadvertit. Unde Vincentius Ferrerius *Serm. I. Dom. 10. post Trinitat.* hortatur: *Si suspendetur vel condemnabitur latro &c. bonus judex ei compatiatur dicendo: Et ego miser, qvi ex rapina, vel usura, vel ex furto secreto, vel ex retentione salarii servorum, vel decimarum, vel ex mortuis male emendo aut vendendo tanta furatus sum! fortassis magis merui mortem. O Domine! magnus latro condemnat minorem.* vid. Picinell. *T. 1. p. 188.*

II. PEC

II. PECCATA PROPRIA NON DEBENT NARRARI ALIIS.

CAtus excrementa sua cooperire solitus, lemmatis vice præfert: TEGENDUM. Vitia propria reticenda, ne narrando aliis fœtorem & molestiam excitemus. Haut aliter lex Mosaica Levit. 13. 45. leproso, genuino hominis flagitiosi typo mandavit, ut portaret os veste contectum. Unde Origenes in l. c. Habebit os veste contectum, ne fœtorem peccati loqvendo diffundat.

III. INVIDUS.

FElis ungventorum odore exagitatur, & in rabiem agitur. Judæi in hoc ei similes, qvippe qvi Christum non solum per invidiam tradiderunt, sed & omnia ejus verba & opera suggillarunt. Augustinus *in Psal. 44. ad verba*: In odore unguentorum tuorum curremus. *Illi autem* (Judæi) *alii:* qvanto magis eum videbant in gloria prædicationis Evangelii, & in vita inculpabili, tanto magis invidia torqvebantur, & exagitabantur bono odore, qvo alii recreabantur. Engelgr. *Lux Part. 2. p. 106.*

II. SERVI ET ANCILLÆ IMPII.

FEles rei Oeconomicæ utiles bestiæ, officio suo sponte funguntur in capiendis & extirpandis noxiis muribus. Nihilominus hominibus sæpe nullo suo dolo noxam afferunt, dum ipsi in cibo aut potu pilos earum incaute sumunt, aut anhelitum hali-

tumqve ex iis noxium attrahunt. Compertum enim est, qvosdam qvi cum felibus adeo delectarentur, ut nunqvam sine ipsis dormitum peterent, attracto inde diutius per aerem earum Spiritu, in tabem & marasmum incidisse, qvibus postremo confecti diem suum obierunt. In qvodam monachorum cœnobio universa periit familia, ex magno felium numero & contubernio. Matthiolus *in Dioscorid. l.6. c.25. p.997.* Imago hæc est laboriosi, sed impii famulitii. Pater familias sæpe habet servum aut ancillam alacriter sua opera facientes; sed cum hi verbum DEI, preces, honestatem vitæ non curent, e contra temerarii existant in exsecrationibus; futiles in verbis, turpes in operibus, & protervi in gestibus, occulto veneno & peste res domesticas afficiunt. Nam uti DEUS propter servum pium gentilibus impiisqve Dominis benedixit (Gen. 30. 27. c.39.3 5.) ita ob servum vel ancillam neqvam sæpe benedictionem suam denegat. Qvicqvid iis moribus servus aut ancilla aspirat maledico suo ore, sive pecus, sive plantas, sive alia, & impuris manibus tractat, incrementum sæpe nullum capit. Ex Gottholdi zufälligen Andachten / Centur.I. n.49. p.76.

CAPUT XIX.

DE LEPORE ET CUNICULO.

212 *Lepus qvasi levipes*]

N. *1.* Rejicit hanc etymologiam cum Varrone, Qvintiliano, Scaligero Vossius in Etymolog. ac mavult cum iisdem leporem dictum a græco vocabulo antiqvo λέποριν, qvo è Siculis qvidam Græci tempore

pore Varronis vocabant. Qvam vocem Siculorum si nesciremus, non inepte a *λαγὼς*, indicante iterum Varrone, derivaremus. Aliam originationem adducit Pierius *l. 13. c. 2.* Hebræorum ארנבת *arnebeth* composita vox videtur Bocharto *P. 1. col. 995.* ex ארה & ניב a carpendo terræ proventum, cui aucti nimium lepores magnam creant perniciem.

Recte igitur Lysander] 214

N. 2. Alii Archidamo tribuunt cum Plutarcho *in Laconicis Apophthegm. Tom. 2. Oper. p. 218. c.* Unde Erasmus bis sententiam retulit, semel sub Archidami (*pag. 45.*), iterum sub Lysandri Apophthegmatibus (*p. 98.*) Qvemcunqve faciamus Auctorem, in textu Franzii pro *Spartani* reponendi sunt *Corinthii.* Circumstantias rei gestæ non plane easdem nunc prætereo.

Et fortasse tum primo natum est illud, qvod insalubre esse putant, cum peregrinantibus per transversum occurrit lepus]

N. 3. Vetustissimam hanc opinionem vel superstitionem esse, testatur Senariolus a Pierio allatus *l. c. cap. 5.*

Φανεὶς ὁ λαγὼς δυστυχεῖς ποιεῖ τρίβους
Inauspicatum dat iter oblatus lepus.

Occasiones ejusdem alias, præter eam qvam Franzius suspicatus est, excogitarunt alii. vid. Pierium *l. d.* Camerar. *Cent. 2. Subcis. c. 90. p. 343.* Piccart. *Observat. Histor. Polit. Dec. 3. c. 4.* Brovvn. *Pseudod. Epidem l. 5. c. 21. part. 1.* Nobis videntur occasionem olim dedisse augures, qvod ex occursu timidorum animalium præsagire solerent timorem ei, cui occurrerent illa: sicuti illi, cui vulpes obvia venisset, dece-

ptionem portendi autumarunt. Robur accepit opinio apud facile credulos, qvibus aliqvando forte contigerunt, quæ timuerant. Exagitat falſe ominis ejus captatores Joannes Sarisberienſis *in Policratico, ſive de nugis curialium l.1. c.13. p.43. Leporis*, inquiens, *timebis occurſum, ſi tamen evaſerit: eſt enim procul dubio longe commodior in menſa, quam in via.* DEUS autem ex populo ſuo excluſos omnes ejusmodi vane credulos & ſuperſtitioſos voluit *Deut.5.18.* & Jus Canonicum damnavit *Decreti Parte 2. Cauſa 26. q.2.* Non negandum tamen eſt, leporum incurſus ſæpe ominoſos & fatales fuiſſe, aut fortuito caſu, aut ludibria ſua Diabolo ſub forma leporis exercente. Exempla ex monumentis hiſtoriarum notarunt Aldrovandus *de Qvadruped. Digitat. Vivipar. l.2. c.23. fol.*370. Camerarius *l. c. cap.*106. *p.*389. Piccartus *l.d.* Zeiler *Part. 2. Epiſt.* 403. *p.*341. *Epiſt.*568. *p.*929.

Neqve etiam clauſis palpebris dormit]

N. 4. Ciliis enim caret, quibus deductis tegat oculos. De Leone, quem ſimiliter dormire perhibent vulgo, annotationem ſuo loco fecimus.

215 *Solum ſuperfœtat*]

N. 5. Scilicet tam numeroſa ſobole: nam etiam equas mulieresque ſuperfœtare certum eſt, & ſcriptum dudum jam Æliano *l.4. hiſt. an.* c.11, ac Plinio *l.7. c.11.* tametſi hic *l.8. c.55.* ſolum leporem præter daſypodem ſuperfœtare dicat.

Olim uſus hujus animalis credebatur efficere pulchros]

N. 6. De qua perſvaſione olim communi Plinius *l.28. c.19.* Lampridius *in Alexandro Severo*

p.954.

p.954. Vossius *de Idolol. l.3. c.66. & in Etymolog. voce Lepus*, Harsdorffer *in Secretario Germanico Part. 6. Epistolis 6.7.8.* in qvibus in utramque partem ventilata qvæstio deciditur. Perstringit vanitatem persvasionis ingeniosus Martialis scribens ad Gelliam amicam *lib. 5. Epigr. 30.*

Si qvando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras:
Edisti nunqvam, Gellia, tu leporem.

Aliqva tamen calliditas ipsi est insita] 216

N. 7. Qvam observans Gabriel Rollenhagen von den warhafften Lügen *cap. 11.* monet scomma Germanorum, qvo stolidum & simplicem hominem exagitant, appellando Hasium einen Hasen/ ineptum esse, ac trahere originem ex sinistre accepta phrasi D. Eberhardi Schnepfii, qvi sub initium Academiæ Jenensis, in æde sacra publice interpretatus historiam Elisæi Domini, & Gehasi ministri, qvorum ille Naheman Syrum lepra infectum pristinæ valetudini restituerat, hic inscio & invito Propheta pecuniis emunxerat 2.Reg. V. qværere cœpit, an & inter auditores forent nonnulli, qvi Gehasi similes? hoc est, qvi pluris facerent qvæstum, pecunias, opes, divitias, qvam DEUM, qvam fidem, qvam pietatem, qvam docentium auctoritatem. Imo vero plures, inqviebat, passim reperiri. Ego sum Gehasi, tu es Gehasi, omnes prope sumus Gehasi: qvæ verba, cum diutius in hac materia hæreret, aliqvoties iteravit. Hoc igitur, qvod vir optimus dextra porrigebat, id sinistra nonnullos Studiosorum homines lascivos, & calophantas ridiculos arripuisse, & suas

 inter

inter epulas & compotatiunculas primo qvidem, si qvis suam captaret utilitatem, & aliqvid insidiose moliretur, tum vero qvicqvid tandem præpostere & inepte faceret, eum, Gehasi vocitasse. Dimanasse hanc fabulam Lipsiam & Witebergam, & a Studiosis in hominum vulgus defluxisse, donec misellus ille Gehasi abscissa prima syllaba capite multaretur, ita qvidem, ut omnes, a qvibus perperam aliqvid nec satis cogitanter fieret, lingva patria Lepores seu Hasii nominarentur. Confer Heideri *Orat.1. de Vulpeculis Scholasticis.*

Neqve lepus est incerti sexus]

N. 8. Lepores nec alternare sexu, nec omnes hermaphroditos esse, sed mares a fœminis sexu discerni, supra cum Franzio monuimus *ad pag.24.* Suffragantur tum venatores, tum Anatomici. Vid. Bodini *Theatrum Naturæ p.358.* Rollenhagen *l.c.* Ephemerides Naturæ Curiosior. *Dec.1. An.1. Observ.125. in Scholio p.283.* Peyer. *de Ruminant. p.153.* Erroris fontes monstrant Rodeletius *apud Bochart. P.1. col.996.* Vossius *de Idolol. l.3. c.54. & 68.* Blasius *Anatome Animal. Part.1. cap. 24. p. 86.* Annotatio ad Brovvn. *Pseudod. Epidem. l.3. c.17.* Wagnerus *Histor. Natural. Helvetiæ Curiosa p.177.*

N. 9. Memorabile est, qvod narrat Joh. Faber Lynceus *Exposit. in Histor. Mexican. f. 812.* se cum Julio Sinibaldo, uno anno inter centum & amplius lepores accurate sectos, vix qvatuor masculos invenisse, reliqvas omnes fœminas, & qvod mireris, plerasqve gravidas. Hinc rationem verosimiliorem aliis *a Bocharto* relatis *l.c.* cognoscas, ob qvam lepus a Mose ארנבת *arnabath* fœminina terminatione effe-

ne efferatur, cum genericum animalium nomen alias masculine soleat efferri, ut mas fœminam includat.

Similis lepori est cuniculus]. 217

N. 10. Vide omnino Camerar. *Cent.2. Subcis. c.100. p.388.* Est animal æqve ut lepus ruminans, simplicem licet itidem habeat ventriculum aut exiguo discrimine bifidatum, cujus nihilominus ad ruminandum aptam structuram descripsit Peyer *de Ruminant. p. 189.* fere nihil potant cuniculi, uti lepores; aliqvando adulti alios laniant. Idem *p.95. & 154.* Generationis progressum a coitu usqve ad 31.diem, qvanto tempore gestant, in sectis observatum leges a Græfio *in Blasii Anatome Part.1 p.60.sqq.*

N. 11. Inter immundas animantes, qvæ ruminant, sed non habent bifidam ungulam, cum camelo & lepore relatam bestiam שפן *Schaphan* Levit. 11.5. Deut.14,7. & pluraliter שפנים *Schephannim* petram pro refugio habentes Ps.104.18. Prov.30.26. de cuniculis explicant pleriqve recentiorum. Qvibus, etsi multa faveant, objicit Bochartus *col. 1003.* (1) cuniculos in petris non habitare, sed in terreno solo, qvod facile perfoditur. (2) animal id olim fuisse Hispaniæ peculiare, Judæis prorsus ignotum. Ipse autem operose disputat Schaphan esse muris majoris genus ruminans in Palæstina, Ægypto atqve Arabia satis notum, dictum vel a ספן *saphan* tegendo, qvia latibuli sui foramina terra obtegit, vel a צפן *tzaphan* delitescendo, qvia sub terra latet; Arabibus *aljarbuo* qvasi qvaternarium, qvia domum sibi fodit ad flatus qvatuor ventorum foraminibus suis instructum; Chaldæis טפזא *taphdsa* a saltu; LXX. χοιρογρύλ-

 λιον

λιον a porci ſagina aut ſpecie, ex qvo per compendium ſcripto XYS Syrorum *chagas* oriri potuerit, Hieronymo *ἀρκτομῦν*, qvia ei cum urſo & mure commune eſt, pedibus poſterioribus ingredi, qvos longiores habet, habitare in cavernis petrarum, & terræ foveis. Hi mures in ſingulis ſaxis & collibus cuſtodem habent in excubiis, qvi, ſi videat aliqvid, unde ſit metus, dentibus ſtridet & clamat: qvo audito reliqvi ſecedunt ad latibula ſua. At, ſi ſe contineat cuſtos, donec eos aliqvis aſſeqvatur, aut e numero ſuo aliqvem intercipiat; cuſtodem interficiunt, aliumqve ei ſubſtituunt; qvæ Arabum obſervatio exſtat *in Damire*. Cum autem Judæorum *Schephanim* i.e. *χοιρογρύλλιοι* vel *ἀρκτομύες* qvædam habeant communia cum Hiſpaniæ cuniculis, oculos ſcilicet & caput, & imam caudam, & qvod poſteriores pedes prioribus ſunt longiores, qvodqve ſubſultim gradiuntur, & pariter ruminant, qvanqvam utrinqve dentati, & ſubterranea latibula ſibi defodiunt, in qvibus interdiu latent, factum videtur, ut ſicuti Hebræi recentiores, ita olim Pœni nomen *Schaphan* cuniculis indiderint, ac inde Hiſpania שפניה *Σπάνια* i.e. cuniculoſa dicta ſit. In qvo Bocharti ſententia acqvieſcit D. Geierus in *Comment. ad Proverb. l.c.*

219 *Præceptum divinum extat Levit. 11. & Deut. 14.*]

N. 12. Ubi ארנבת eſſe leporem, non cuniculum, aut tertium animal perſvadet (*1*) conſenſus omnium hebræorum, & recentiorum meliorum interpretum; (*2*) qvod Judæi a lepore ſemper abhorruerint, cujus eſus, aut in locis citatis, aut nullibi interdictus eſt. LXX. verterunt *δασύποδα*, qvam vocem,

vocem, qvæ vi etymologiæ hirsutis pedibus præ aliis animantibus præditum notat, idem significare qvod λαγὼς i.e. lepus, multis agit Bochartus *col.989.sqq.* contra viros doctos non paucos, qvi dasypodem a lepore diversum animal sibi imaginantur. De ruminatione leporis nihil dicendum est aliud, qvam qvod de cuniculo tenemus ex n.10.

N. 13. Causam abstinentiæ Judaicæ ex Plutarcho adductam merito ridemus: scilicet fabulatur is, rerum Judaicarum ignarissimus, Judæos, cum asinum magno in honore haberent, ut qvi qvondam sitientibus monstraverit aqvæ fontem, a lepore abstinuisse, ne, cum adeo similes sibi sint asinus & lepus, pro lepore asellum forte comederent; qvi putidissimus error, a nonnullis ex imperito vulgo, genti nobili, insulsa cognominatione Asinivororum exprobratur.

N. 14. Cur autem DEUS interdixerit edere leporem Judæis, qvem in deliciis ponebant aliæ gentes, rationes duas attulit Noster *paulo ante p.217.* unam physicam, ab insalubritate; alteram ethicam, qvamqve præcipuam fuisse hic significat. Priorem, post Medicorum Principes, apud Bochartum citatos *col.997.* confirmat Peyerus *de Ruminant. p.153.* Posteriori etiam veteres qvosdam adhæsisse, reperimus apud Bochart. *l.c. & col.995.* Adde Voss. *de Idol.l.3. c.66.* Muhammetani & Armenii leporibus abstinent adhuc hodie, persvasi lepori fœminæ menstrua fluere ordinarie, æqve ac mulieribus. Tavernier. *P.3. p.154.b.*

N. 15. Qvod si etiam cum laudato Bocharto cuniculos nomine *Schaphan* non intellectos volumus,

mus, dicendum erit, eos leporum appellatione comprehensos, ut sub genere speciem vetitam esse. Nam teste Plinio *l. 8. c. 55.* leporum generis sunt, & qvos Hispania cuniculos appellat; & Varro de R.R. *l. 3. c. 12.* tria genera leporum recensens, tertium ait illud, qvod in Hispania nascitur, simile Italico lepori ex qvadam parte, sed humile, qvem cuniculum appellant. Confer. Peyer. *p.* 61.

N. 16. De lepore ex professo scripsere Wolfgangus Waldungus, & Christian Franciscus Paulinus, cujus tamen libellum, licet in aliis ab eodem Auctore editis scriptis aliqvoties citatum, typis exscriptum nondum vidi. Ex jecinoribus leporum purulentis, haut vane a venatoribus mortes ovium prædici, docet Joan Franciscus Picus Mirandula *de rerum Prænotione l. 4. c. 8.*

MORALIA

I. AMBITIOSI.

Lepus montem adscendens, facile & celeriter currit, descendens propter pedes posteriores longiores præceps ruit, & canibus prædæ est. Superbi & ambitiosi alacriter ambitionis fastigium conscendunt: Sed cum descendendum iterum est, præcipites feruntur, qvod amor & desiderium, quibus ad DEUM niti debent, instar pedum leporinorum brevium sint, affectus autem erga mundum, veluti posteriores pedes leporis majores & longiores. Moller. *Similit. p. 385.*

II. FOENERATORES, USURARII.

Lepus

Lepus simnl parit, & aliud alit, & rursum superfœtat. At Fœnerator pecuniam, priusqvam conceperit, parit. Petit enim usuram, ut primum dedit pecuniam, & qvam pro usura accepit, mox rursum mutuat, ut ea qvoqve novam pariat usuram. Ex Plutarchi *libro de vitando ære alieno*, Lycosthenes *in Simil. p.766.* Moller. *simil. p.513.*

III. TIMIDI.

Lepores cornutos inveniri in Norvvegia & alibi, non est insolens. Gassendus *Phys. Sect.3. membro posterior. l.1. c.3. p.200. & in vita Peireskii lib.2. an.1606. Tom.5. oper. p.266. a.* Peyer. *de Ruminant. p.152.* Balbinus *Miscellan. Histor. Bohem. Dec. 1. l.1. c.58. p.134. a.* Sed cum æqve timidi sint ac cæteri, ARMA NIL JUVANT. Imago est militum timidorum, qvi, qvasi galeati sint lepores, tam cito in primo cum hostibus pedatu, aut ad conspectum eorum aufugiunt. Narrat Cromerus *de rebus Polonorum lib.5. p.92. b.* Boleslaum III. ex prælio cum Russis acerrimo reducem, Palatino cuidam, qvi fuga sua indecora effecerat, ut fugiente pariter magna parte exercitus, Rex ipse cum copiis paucis remanentibus fere cæderetur, dono misisse leporis pellem, colum & fusum, ad notandum meticulositatem ejus & muliebrem animum; qvæ ignominia Palatinum ad voluntarium suspendium adegerit.

IV. HOMO DIVERSAS RELIGIONES SIMULANS, THEOLOGO-POLITICUS.

Venator Collegii Clatoviensis, qvoad Jesuitarum est

est in Bohemia, mane summo leporum gratia exiens, excitavit leporem grandem, qvi fugiens aliqvid tergo ferre videbatur; id cum semel iterumqve venator vidisset, rei novæ desiderio, & leporis capiendi, canes secum adduxit. Lepus iterum excitatus fugit canes inseqventes, & cursu fessus in humerum se se abjicit, atqve ad fugam velut Antæus promptior evadit. Nihil aliud venator esse crediderat, qvam dæmonum ludibrium; rem postea totam comperit, cum campi & silvæ retibus erant clausi, qvod certo hiemis tempore fieri consvevit: qvippe retibus captus est lepus (monstrum leporis) fratrem in dorso ferens, qvi separari & avelli in utero matris conjunctus non poterat: ergo & pastum, & potum corpore in uno colligati fratres sic dispensabant, ut modo hic, modo ille pasceretur, modo ille, modo iste biberet; cumqve hostes timerentur, qvantum posset fugiebat, qvi terram tangebat; postea fessus in tergum resupinus fratri integro fugam tradebat proseqvendam. Res, inqvit, eam narrans Balbinus *l.c. p.133.* incredibilis videretur, nisi testes religiosos haberem, qvi tum Clatoviæ in Collegio versabantur. Ad fidem huic narrationi qvodammodo faciendam, conferri possunt monstrosi lepores, depicti *in Ephemerid. Natur. Curiosor. Dec.1. An.2. ad Observ. 199. p.301. & Observ.200. p.302.* In monstrosa illa imagine videas hominem duabus sectis in religione addictum, aut Theologo politicum, qvi prout tempus fert, in faciem modo hanc, modo illam se convertit, res suas aliqvandiu prospere agit; tandem dolo aliorum circumventus, in monstroso suo schemate capitur.

CAP. XX.

DE LUPO.

Canibus qvoad figuram admodum simile] 220

N. 1. Inprimis magnis illis pastoralibus. Caput caninum, sed crassius, oculi torvi, acutiores, & nocturnis tenebris fulgentes radiantesqve veluti felium, aures erectiores, rostrum pilis crassioribus seu setis horridius, dentes pariter ac in cane qvadraginta, sex nempe in maxilla inferiore molares dicti, in utraqve parte magni & fortissimi, totidem in superiore serratim respondentibus oppositi: canini tam supra qvam infra utrinqve unus, sed longiores, & e labris magis prominentes, qvam canibus: sex incisores in utravis maxilla singuli prægrandes. Unde Oppiano credi facilius potest, narranti *lib. 3. Cynegeticῶn* luporum genus dentibus adeo validis, ut lapides ac metalla perfringere possit. Qvæ oculorum, dentium & pilorum constitutio, truculentiorem lupi qvam canis adspectum omnino efficit. Color lupo pro generum regionumqve diversitate varius, canus tamen proprius & communior. vid. Majum *Part. 2. p. 793. 816. sq.* Collum breve, sed cervix flexilis æqve ut in cane septem vertebris articulatis. Hinc est qvod lupus ovem arcte dentibus arreptam, humeris suis injicere potest, & cicuratus, qvalem vidit Joh. Faber Lynceus, cui has observationes debemus, *in Expositione Animal. Novæ Hispaniæ p. 484. & 813.* cane agilior, cervicem in qvamvis partem facile vertit, & ludicris cum magistro suo gesticulationibus, qvaqvaversum volutat. Error ergo est Aristotelis *l. 4. de Part. animal. c. 10.* Plinii *l. 11. c. 37.* Æliani *l. 10. hist. an. c. 26.* plane idem, qvem de collo Leonino

nino notabamus *ad cap. 6. n. 3.* Lupi qvoqve collum unico rigere osse. Reliqvorum ossium mammarumqve situs ac numerus, in lupo ac cane non discrepat. In pedibus etiam conformitas: qvinqve enim in prioribus pedibus digiti, & qvatuor in posterioribus numerantur. Ut nihilominus ex vestigiis pedum lupus a cane discerni qveat, monstrat venatoribus Jean de Clamorgan *cap. 9. libri de venatione Lupi, Gallice scripti, & Carolo IX. Regi Galliarum dedicati*, qvi in germanicam linguam versus adjunctus est Charles Estienne & Crescentii libris de Agricultura Argentorati impressis, & septimus est eorum, qvos de Agricultura Carolus Stephanus & Johannes Liebhaltus, Medicinæ Doctores, gallice ediderunt, ac in Germanicam lingvam convertit Melchior Sebizius Medicinæ D. Ventriculus uti caninus, capax est, plenus rugis interne & loculis. Hæret etiam lupus in coitu, & in genitali os habet: lupa numerosam prolem, nempe sex & novem catulos cæcos parit, tenere hos amat, & rumen cunctis præbet; decem enim mammillis scatet. Latrare lupos Albertus M. asseverat. Sunt, qvi referunt, se non raro audivisse ab ipsorum catulis latratus voces emissas, non tam acutas tamen, sed raucisonas, qvales vulpes edunt. Lupi rabie haut raro corripiuntur, & ab iis morsi iisdem malis gravissimis affliguntur, qvibus ii, qvos canis rabiosus momordit. Causam rabiei adscribit D. Reiselius *in Ephemerid. Natur. Curiosor. Dec. 1. An. 3. Observ. 139. p. 366.* vermibus latiusculis, in narium spongioso osse repertis, qvod & in canibus sub lingua inveniantur, qvos recens natis eximunt, ut præcaveatur rabies. (De qva observatione

ne dicendi erit locus, cap. seq. de canibus.) Tandem convenientiam Lupi & Canis etiam hæc svadere qveant: In Hassia, dum lupi ad caulas aliqvot accessissent, magnamqve in ovibus stragem fecissent, ac semiesas non paucas reliqvissent, pastores relictam carnium partem custodibus canibus projecerunt. Hi post aliqvot dies luporum more in commissum sibi gregem irruerunt, maximam illius partem occiderunt, carnesqve lupina aviditate devorarunt. In America ferunt Europæos jam canes adeo multiplicatos esse, ut horum plures silvestres effecti, homines non aliter ac lupi adoriantur. Contra inter canes educatus lupus, cum iisdem caulas a lupis defendit. Schott. *Phys. Curios. l. 8. c. 48.*

N. 2. Etiamsi autem Lupus & canis tam congeneres sint bestiæ, ut prisci etiam Lupum, canem silvestrem & nocturnum dixerint, non tamen est, qvod assentiamur Cardano *l. 10. de Subtilitat. p. 543.* asserenti, canes & lupos unam esse animalis speciem, ac e lupis cicuribus per multas generationes canes ortos, vicissim canes in lupos transire. Disputat contra ipsum Scaliger *Exercit. 202.*

N. 3. Pleriqve existimarunt lupum & coxas & posteriora crura debilissima & fere paralytica habere, unde illud Plauti forsan natum est, qvod inter fragmenta ejus hodie legitur *pag. 1462. edit. Taubman.* *Qvasi lupus ab armis valeo: clunes infractos gero.* Qvam opinionem redarguit Joh. Faber *p. 489.* ex cursu lupi velocissimo, qvem canes facile non asseqvuntur. Qvod si igitur aliqvando impotentia lumbaris in lupo observatur, ea attribui poterit vermibus serpentiformibus renes ejus exedentibus, qvos

reperit etiam paulo ante laudatus Reiſelius,& in plurimis luips ſeneſcentibus Clamorganus, deducens inde cap. 1. cauſam, ob qvam morſus lupinus adeo noxius & lethalis ſit beſtiis hominibusqve.

221 *Et inteſtina non habet ita ſpiroſa*]

N. 4. Inteſtina in ſpiras ſatis convoluta eſſe teſtatur Joh. Faber *pag.489.813.* Nihilominus ob ſtomachum capacem, validum ac ferventem, qvo oſſa qvoqve perdura mollit atqve concoqvit, lupus eſt voraciſſimus. Qvod Zephanias c.3. v.3. indicavit, de avaris inſatiabilibusqve populi Judaici judicibus ſcribens: *Judices ejus ſunt lupi veſpertini, qvi non exoſſant ad usqve mane*; i.e. prædam veſperi captam ita abſumunt, ut ad matutinum tempus ne oſſa qvidem relinqvant. Bochart. *P.1. col. 822. Majus P.2. p.803.*

Ventriculum ſolet replere terra, ut ita fiat gravior & oneroſior]

N. 5. Ariſtoteles l.8. hiſt.9. dixit: *lupos eſurientes, ferunt, τινὰ γῆν certam terram devorare, idq; huic uni evenire animali.* Plinius l. 8. c.22. & Solinus c.8. negligentes τινὰ reddiderunt: *veſci* (lupum) *in fame terra*; Albertus M. expreſſit *lib.22. de animal. tract.2. cap.1. fol.222. a. Famelici aliqvando terra ſatiantur, qva glis* (humus tenax) *vocatur: hac etiam ſuperimplentur cum eqvum vel bovem, vel aliud forte animal proſternere qværunt, & cum proſtraverint terram evomunt, & ad prædam revertuntur.* In qvibus geminam cauſam, ob qvam lupus terram voret, attulit Albertus, & poſt eum Franzius: (*vide mox pag.222.*), priorem ſolam narravere veteres ante citati. Sed hanc terræ comeſtionem fabulo-

fabulosam pronunciat Clamorganus *cap.1.* de origine erroris simul differens. Vicissim oculatos testes sibi pro certo asseruisse scribit Joh.Faber *p.487.* nonnunqvam lupos terram devorare & revomere. Qvod si ita est, credi vix potest terram illis pro alimento esse, ac propter aliam causam ab ipsis deglutiri. Qvidam in eviscerati ventriculo nonnisi frustum ligni putridi; qvidam caprinas ungulas, at non digestas; qvidam eqvina stercora, qvidam nonnisi gramina qvædam repererunt, qvæ fame extrema compellente assumta verosimile est. Certe gramina, Aristotele referente l.c. tantummodo ad purgandum vomitu ventrem, canes ingerere solent. Cæterum Bufones qvoqve terra victitare, vulgus autumat.

Ut noctu grassetur, & præsertim circa tempus antelucanum]

N. 6. Unde lupus vesperæ seu vespertinus vocatur *Jer.5.6. Hab.1.8. Sophon.3.3.* Et Jacob. Gen. 49.27. *Benjamin lupus rapiens: mane comedit prædam, &* (postqvam, uti Jos.7.25. Job.14.10.) *advesperam divisit spolium.* Nam prædam dividere prius est, qvam illa vesci. Dividunt autem lupi prædam, qvi confertim prædantur: solitarii soli venantur, soli vorant, nullo in prædæ societatem admisso. Qvanqvam autem leopardus, ursus, aliæqve feræ similes freqventer noctu prædæ inhiant Psalm.104. 20. lupo tamen id magis proprium est, qvippe cui minus virium & audaciæ. Tempus antelucanum lupos aptum rapiendo pecori valde observare, legitur apud Macrob. *l.1. Saturnal. c.17.* & Oppian. *l.3. Cynegeticῶν.*

Et visu ita valent]

N. 7. Vide cap.12. de Eqvo n.23. ubi locus Habac. 1.8. de visu eqvorum acutius cernentium qvam lupi vespertini, dilucidatus.

222 *Fabulosum probat Camerarius*]

N. 8. *Cent.1. Subcis. c.23.* Adde præter Scaligerum ab Auctore citatum, Voss. *de Idol. l.3. c.72.* Gassend. *Phys. Sect.1. l.6. c.14. Tom.1. Oper. p.453.* Le Grand *Histor. Natur. Part.2. art.10. n.11.* Brovvn. *Pseudodox. Epidem. l.3. c.8.* Harduin. *ad Plin. l.8. c.22. sect. 34.*

Lapidem metuit lupus vehementer]

N. 9. Id Auctor mox repetit *p.223.* Vide Camerar. *l. c.* Gesnerus *l. 1. de Qvadruped. p.725.* recenset, virum in Helvetia, lupum tympani sonitu fugasse, qvem seqventem lapidibus impetens abigere non poterat. Venatores qvidam Joh. Fabrum persvadere conati sunt, si qvis non auribus, ut verbo fertur, sed cauda lupum apprehendat, stringat ac trahat illum fortiter, vires lupum omnes perdere, nec ad mordendum se posse vertere. Qvod si verum sit, in consensu crebri cum cauda rationem ponit Idem *pag.490.*

224 *ἀντιπάθεια perhibetur inter oves & lupos*]

N. 9. Cum ovis aversetur qvidem lupum, a qvo laniatur, at lupus ovem non perinde oderit, sed amet potius, tanqvam rem sibi conducentem & gratam, exemplum hoc antipathiæ negant Marsilius Ficinus *in argumentis & commentar. in Convivium Platonis de Amore oratione tertia cap.4. fol. 778. b* Gassendus *l.c.* Arnold. Senguerd. *Exercit. Phys. 3. p.146.* Le Grand *Histor. Natural. l.c. n. 4.* Communem

munem sententiam, speciatim contra Senguerdium, defendere suscepit Gothofredus Voigtius, *in Disputatione Physica de Amore Ovis & Lupi Witebergæ proposita an.1667. qvæ in Deliciis Physicis ab eodem deinde editis legitur cap.4. p.155.* Consvetudine tamen a teneris lupus feritatem ac sævitiam deponit. Lupum cum ovibus non secus ac catellum confidenter conversantem vidit Kircherus *l.3. de Arte Magnetica Part.8. p.753.* Confer Ephemerid. Natur. Curiosor. *Dec.2. An.5. in Append. p.55.* & supra n.1. hoc capite.

Lupi cervarii, qvi ab aliqvibus dicuntur Lynces] 226

N. 10. Lynces esse Æthiopicum & Indicum animal, pantheræ simile docet ex Plinio, Ovidio, Æliano, Bochartus *Part.1. col.796.* refellens eos, qvi lyncas in luporum genere collocant. Adstipulatur ei Harduinus *ad Plin.l.8.c.21.* At Joh. Faber Lynceus *de aliis animalibus Novæ Hispaniæ pag.526.* bene excussis obscuris & incertis tum veterum tum recentium auctorum de lynce dictis, ostendit Lynces nostras ab iis, qvas veteres descripserunt, colore magnitudineqve, non tota specie differentes, bene lupos cervarios appellari: Lynces ob visus præstantiam: præditæ enim oculis splendentibus, & igneo qvodam fulgore coruscis, cum longissime dissitam prædam oculis speculantur; Lupos cervarios vero non ob figuram, sed ob gulæ aviditatem & rapacitatem. Nam leporibus, dorcadibus, cervulis, aliisqve animalibus præsertim minoribus insiliunt. Inde Helvetii Lyncem, non modo Luchs / sed etiam Thier-Wolff appellant, h. e. animalium, qvadrupedum præsertim, lupum ac devoratorem, uti Lu-

cium etiam, piscium lupum, seu vastatorem nominamus. Balbinus in Miscellan. Histor. *Dec. 1. l. 1. c. 61. p. 141.* refert, Lynces in silva aliqva Bohemiæ tantam confestim solitudinem circa se fecisse, ut non lepusculus, non silvestris capreolus, non aper, ne avis qvidem aut attagen, aut urogallus, aut gallina silvestris conspiceretur, donec illæ extirparentur. Interim ipse Joh. Faber asserit, non ad lupos referendas lynces, sed feles, qvibus congeneres Leo & Tigris. Argumentum sumit ex ferocia, dentium situ, numero, figura, ac pedibus, in qvibus cum felibus adeo exacte conveniunt. Φιλάνθρωπον Lyncem, qvam ex Assyria habuit, descriptam dedit Busbeck. *epist. 3.* *Hyæna similis est lupis.*]

N. 11. Busbeck, qvi duas hyænas Constantinopoli vidit, *Epistol. 1.* delineat bestiam lupo aliqvanto humiliorem, sed nihilo breviorem: pellem habere lupi similem, nisi qvod sit pilo horridiore & grandiore, maculis qvoqve nigris distinguatur: Caput dorsi spinæ contiguum sine ullis vertebris esse, ut cum respicere velit, totam se vertere necesse habeat. Pro dentibus etiam, unum os continuum habere creditum fuisse. Qvibus non solum plura, sed & aliqva veriora afferre possumus ex Anatomia Hyænæ, qvam instituit Veslingius, ac retulit Blasius *Part. 1. pag. 78.* Cervix crassa & musculosa robore pollens maximo, cujus vertebra prima duos continet processus laterales πτερυγωειδεῖς, præ cæteris omnibus prominentes, longitudine trium, latitudine qvasi duorum digitorum; ex qvibus causam eruere licet, qvare bellua hæc caput ad latera & postica contorqvere commode non possit. Cerebrum perexiguum, ventri-

ventriculus admodum capax, membranis contextus crasſiſſimis. Maxillæ valde robuſtæ, dentibus armatæ non longis qvidem & acutis, ſed obtuſioribus & craſſis, qvi duriſſimis non' cedant. Pedes canini & ungvibus muniti crasſiſſimis. Totum animal truci adſpectu lupinam feritatem ſpirat: altitudo corporis duorum cubitorum, latitudo trium; os, qvam in lupo longe contractius, aures tenues, pendulæ & oblongæ, dorſum totum cum cauda ſetis qvaſi ſuillis denſiſſimis obſitum, in latere, alveo, pedibus, pili molliores & breviores. Color ex luteo albicans, maculis circa ventrem & pedes ſtriatis & nigricantibus diſtinctus.

N. 12. Canibus inſidiari, ipſos rapere & devorare hyænam indicat Siracides 13. 21. Immo ejus umbræ contactu canem obmuteſcere aſſerunt Plinius, Solinus, Ælianus, Philę. Cum ſepulchra ſuffodiat, extrahatqve cadavera, ac ad ſuam portet ſpeluncam, juxta qvam ingentem cumulum oſſium humanorum, & de beſtiis videre eſt, Germani nomen indiderunt Grab-Thier. De humani ſermonis imitatione & intelligentia, qvæ Plinius, Solinus, Arabes perhibent, & adhuc Turcæ credunt, verbis qvibusdam adhibitis eam capientes, fabulis valde ſunt ſimilia. Imitationem tamen vocis humanæ veroſimilem efficere volunt Digbæus *de Natura Corpor. c.36. n.9.* Chriſtoph. Arnold. *in Obſervat. ad Busbeckii Epiſt. 1. p.862.*

N. 13. Sunt Hyænæ in Syria, Judæa, Arabia & Africa freqventes. Europæ ignotas tradit Scaliger *ad Hiſtor. Animal. Ariſt. l.6. c.32.* Geſnerus tamen *p.623.* vult gulones ab Olao M. deſcriptos *l. 18*

c.7. aut ipsam hyænam esse, aut ei bestiam congenerem. Adstipulatur eidem Aldrovand. *de Qvadruped. Digitat. Vivipar. l.1. c.11. fol.178.*

N. 14. Hebræis צבוע *tzebboa* esse Hyænam, uti LXX. Jerem.12.9. & alii veterum 1.Sam.13. 18. verterunt, evincit Bochart. *P.1. col.830.* & Majus *P.2. p.839.* Unde lucem accipiunt verba difficilia Jeremiæ *l.c. v.8. & 9.* qvibus conqveritur DEUS de Israelitis, qvod tot tantorumqve ab eo acceptorum beneficiorum immemores, exuta omni humanitate in Nutritium suum ferinum animum induerint: *Est erga me hæreditas mea tanqvam leo in silva: edit contra me vocem suam, ideoqve odi illam: Sicut fera rapax variegata* (hyæna) *est hæreditas mea erga me? fera rapax circumqvaqve super eam. Ite, congregamini omnes bestiæ agri, venite ad vorandum.*

N. 15. Bellonius Observat. *l.2. c.20.* Civettam, qvam Catum zibethicum Matthiolus, Scaliger, Renodeus & alii appellant, putat esse Hyænam veterum, qvamvis hi odoratum ejus excrementum non observarint. Refellunt hanc opinionem Scaliger, Gesnerus, Aldrovandus, Busbeckius, Joh. Faber *p.543.* qvod plura sint ab Aristotele, Plinio, Solino, Æliano relata, qvæ Civettæ aptari minime qveant. Gesnerus sui generis animal esse vult. Pleriqve ad feles silvestres referunt, cum quibus præter faciem, pilos in barba & in genis, nihil habet commune. Joh. Faber *p.553.* ad canes magis, qvam ad feles pertinere judicat. Sane in plurimis cum cane convenientiam, in qvibusdam etiam diversitatem observarunt Anatomici apud Blasium *pag.72. sqq.* Petrus Castellus tamen Messanensis

nensis Medicus, postquam Romæ Anatomen Hyænæ instituit, ἐξέτασιν de Hyæna odorifera edidit Messanæ, quæ adjecta est Jonstoni *Historiæ Quadruped. p.214.* & seorsim impressa Francof. 1668. in 12. cum figuris æneis, ac in ea cani quidem quam alteri animali similiorem censuit Civettam, nihilominus ad Hyænam reduxit hac methodo singulari incedens: *Hyæna ad genus generale pertinet, quod sub se continet lupos, canes, vulpes, & similia animalia carnivora. Hyæna autem est vel odorata vel inodora. Odorata vel est Orientalis & Arabica, vel Occidentalis & Americana. Hyæna inodora erit antiquorum Hyæna, quæ fortasse duplex est: nam biæna Busbeckii desiderat non paucas Hyænæ antiquæ notas, & ad lupum silvestrem Arabicum referri posset. Hyæna autem odorata & zibethum fereas duplex est, Arabica & Americana; ambæ conveniunt in generatione zibethi, sed forma aliquantulum differunt.* Dicitur autem Zibethum excrementum odoratum, quod ex vasculo inter genitalia tam maris quam fœminæ sito, cochleari immisso colligitur, graveque initio, post svavius fit. Confer præter allegatos ante auctores Dapperi *Africam p.392. Americam p.146.* Della Valle *Part.1.p.124.a.* Voss. *de Idol. l.3.c.71.* Gassend. *Phys. sect.3. membro poster. l.1. c.3. p.200.* Hebræis שכל sachal esse zibethi felem putavit Oleaster, refutatus a Bocharto *Part.2. col. 808.*

N.16. Non prætereundi hic sunt silentio Thoes, quos ad lupos referunt Aristot. *l.2. hist. c.19.* Plinius *l.8.c.34* Olaus M. *l.18.c.15.* minores lupis communibus, vulpibus majores, voracitate tamen edendique ingluvie pares, egregie fulvi, gregarii, homi-

 nibus

nibus jumentisque innocui, noctu potissimum ululantes, sonora voce sæpe repetendo *Wau Wau*: nam uno præcinente, alii respondent, mutuisque ululatibus, quasi signo dato conveniunt. Uno etiam occiso, cæteri circa ipsum ululant, tanquam plangant mortuum. Furto magis & dolo, quam vi victum quærunt. Tentoria Turcarum, aut etiam domos noctu subeunt. In quibus, quicquid inveniunt esculentum vorant. Quod si aliud deest, quicquid est operis coriacei rodunt, veluti calceos, ocreas, cingula, gladiorum vaginas, & quicquid est hujus generis. Neque deest ad furtum solertia, nisi (quod ridiculum) suo se proderent indicio. Nam, cum maxime sunt in ipso furto occupati, si quis forte gregalium, qui foris remansit, ululare incipiat, mox ipsi idem faciunt, parum memores ubi versentur. Quo clamore expergefacti homines, arreptis armis, fures manifestarios male multant. Atque hos Thoas esse Papiones tota Asia frequentes, quos describit Albertus M, *l.22. de animal. tr.2. c.1.* Bellon. *l.2. singular. Observat. c.108.* probat Bochart. *Part.1. col.846.* idoneis argumentis judice Harduino *ad Plin. l.8. c.34.*

N. 17. Idem Bochartus de thoibus intelligit *Jes.13.22.* clamabunt alternis איים *ijim* in palatiis ejus, i. e. in maceriis desolatæ Babylonis. Nam præterquam, quod mutuis ululatibus sibi respondeant thoes, singulare אי *i*, proxime accedit ad אוי *avvi*; quod animal cum canibus, lupis, & hyænis sæpe nominant Arabes, tanquam ejusdem prope generis. Videtur autem esse nomen effictum, ad exprimendum acutum feræ ululatum, quem levi literarum unius organi inter se transmutatione, iidem Arabes

Arabes עוי *Avvi* dicunt, ab עוי latravit, ululavit. Suffragatur Majus *P.2. p.856.*

Gen.49.27.] 232

N. 18. Difficultas, quam Franzius ex verbis movet, sublata est *n.6.* In sensu literali notatur rapacitas ac bellica fortitudo tribus Benjamin. vid. Bochart. *col. 828.* Heidegger. *Histor. Patriarch. Tom.2. Exerc. 23. sect.12.* Majum *P.2. p.823.* Tertulliani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini & aliorum veterum expositio de Paulo, longe quæsita est. Aptior tamen fiet ad Paulum accommodatio, quam, qualem fecit Barradius apud Bochartum, ad Hierosolymam.

Fabulam de hominibus, qvi mutentur in lupos] 235

N. 19. Scilicet transmutatio ea non est vera, sed aut imaginaria, ex morbo maniæ, qua homines phantasia depravata decepti, se in lupos aut alias feras mutatos persvasi, ferinas edunt actiones cum tamen spectantibus homines appareant: vel dæmonica & præstigiatoria, qvæ dæmonis illusionibus variis efficitur. Prioris exemplum Nebucadnezarem afferunt cum Franzio Theologi præstantissimi. Lege Camerar. *Cent. 1. Subcis. c.72.* Voss. *de Idololatr. l.3. c.41.* Antonii Deusingii *Dissertationem de Lycanthropia, in Fasciculo Dissertationum pag.104.* Voetii Disputat. Select. *Part.1. p.938.1037.* Reineri Vogelsangii *Exercitationes Theologicas p.664. sqq.* Jacobi Thomasii *Dissertationem de Transformatione Hominum in bruta an. 1667. Lipsiæ propositam, & Præfationes pag.368.* Paulini *Cynograph. p.123.*

MORALIA.

I. CALAMITAS.

Lupus

LUpus lapidum concussione in fugam agitur (n.9.) Inde Lemma: TIMORE PLAGARUM. Nimirum homines scelerati, ac mundi illecebris dediti, quosvis calamitatum aut adversæ fortunæ impulsus horrent, iis e contra, qui in grege DEI sunt, nihil exinde trepidantibus. S. Stephanus inter saxorum grandines animo perstat integerrimo, immo veluti svavem quendam rorem, crebros lapidum ictus, in modum floccorum nivis incidentium corpore cupide excipit, ac benedictionibus nefarios homicidas prosequitur, uti scribit Gregorius Nyssenus *Tract. de Beatitud.* vid. Picinell. *Tom. 1. p. 407.*

II. MATTHÆUS APOSTOLUS, POENITENS, INGRATUS.

AJunt Lyncem memoria omni adeo destitutum esse, ut, quantumvis famelicus, & ante cibum collocatus, si forte caput in aliam partem vertat, mox præsentis escæ obliviscatur. *Solinus c. 18.* Unde lynx capite in dorsum contorto, coram præda sua lemma accipit: NON MEMORABOR AMPLIUS. Ita S. Matthæus Apostolus, posteaquam telonio suo, ac mundi facultatibus semel tergum obverterat, illarum penitus immemor, cogitationes omnes a mundo ad DEUM convertit. Id S. Paulus asserit: *Quæ quidem retro sunt, obliviscens &c. Phil. 3. 13.* Porro animal illud verum pœnitentem repræsentat, cui omnis vitiorum, ac vitæ præteritæ memoria excidit. Deniqve etiam homines ingrati hoc Symbolo notari possunt, qvi accepta beneficia, tametsi coram se posita, ex animo dimittunt. Picinellus *p. 408.*

CAP. XXI.

DE CANIBUS.

Insignibus qvibusdam virtutibus est conspicuum.] 236

N. 1. Lipsius *Cent. 1. ad Belgas epist. 1.* postqvam ingenue suam Φιλοκυνίαν confessus est, qvatuor dotes canum celebrat, *robur, ingenium, vigilantiam, fidem*, exempla mira nec protrita in medium afferens. Alios Auctores plures allegavit Christian Franciscus Paulinus *in Cynographia seu Canis Descriptione Sect. 1. c. 2. §. 5. sqq.* qvi, qvicqvid de animali hoc Φιλανθρώπῳ dici potest, magno studio pertractavit.

Vociferatione indesinente testatur]

N. 2. Propria canum nostrorum vox est latrare. Nam canes mutos alicubi in Africa & India occidentali inveniri, inter qvos nonnulli instituti demum latrare discunt, scribunt Nieremberg. *l. 7. hist. nat. c. 44. l. 9. c. 25.* Dapper. *Africa p. 394. 458. America p. 50. & 126.* Confer Joan. Fabrum Lynceum *de aliis animalibus Novæ Hispaniæ p. 478.* Qvare nostrorum, & eis similium canum vitium est, si vigilantiam suam latratu non indicant. Qvo respicit Jesaias 56. 10. pastores officium suum negligentes appellans canes mutos, qvi non possunt לנבח *limboach* latrare. Qvod vocabulum alibi non occurrit in Scriptura, apud hebræos tamen passim eo significatu usurpatur. Et Psalm. 59. 7. 15. המו *hama* Aben Esra & Kimchi per *nabhach* interpretantur; similiter Hieronymus reddidit: *latrent ut canes.* Sed verbum המו generatim qvemvis strepitum atqve tumultum designat, ut Chaldæus & Sym-

Symmachus observarunt. Itaqve non latratus canum, sed potius ululatus ob famis impatientiam indicatur. Sensum magis, qvam ipsam verbi vim expresserunt vertentes Græci, λιμώξουσιν ὡς κύων; Æthiops; *esurient ut canis*; Vulgatus, *famem patientur ut canes*. Latratui proximum est חרץ acuere, vel inter dentes vibrando producere linguam, i.e. hirrire, oggannire, Græcis γρύξαι. Exod. 11. 7. *non* יחרץ *jacharatz, hirriet canis lingua sua*: & in parallelo Jos. 10. 21. *Non* charatz *acuit* (canis) *linguam suam*, i.e. non hirrivit *in filios Israel, in eorum ullum*. Qvod ipsum, aut singulari DEI virtute factum est, aut proverbialiter dictum cum Grotio accipi potest, uti *Judith. 11. 13*. vid. Bochart. *P. 1. col. 664*. Majum *part. 1. p. 605*.

Mortui corpus non deserit]

N. 3. Qvod exemplis veteribus adjunxit Bochartus *col. 682*. recentius de cane Parisiensi, qvi an. 1660. qvo ea scribebat, in S. Innocenti coemiterio sepulti Domini tumulo per triennium incubuerit, suppeditantibus accolis illi victum, ex communi fama ab illo Cadomi per Normannum qvendam acceptum, nihil de vero habuisse, attestatus est Joannes Capellanus inqvirenti Wagenseilio, qvi id commode monuit *in Annotatis ad Sotam p. 87. & 1099.*

238 *Assvefieri potest ad omnis generis officia*]

N. 4. De canibus, Romæ cæcorum mendicorum stipem ostiatim colligentium, ductoribus, relatio jucunda lectu est Joannis Fabri *l. c. p. 469.* ubi & alia solertiæ caninæ exempla exstant. Canes cæco homini vicem præstans ductoris, idea est Angeli Custodis cum epigraphe; DUCIT TUTE;

apud

apud Picinell. *Tom. 1. Mundi Symbol. pag. 255.*

Noctu vehementer terretur a Luna & a spectris] 240

N. 5. Ululatibus canum, nocturnis inprimis, tristia & luctuosa significari, a longis sæculis creditum fuit, vid. Kornman. *de Miraculis mortuor. part.4. c.156.* Schoock *de Anima Belluar. p.90.* Judæis persvasum est, Angelum mortis visum canibus contremefactis, ululatus excitare. Legi merentur Buxtorf. *Synag. Jud. c.35.* Dannhauer. *Hodosoph. Phænom. XII. p.1432.* Scherzeri *Systema Definit. Theolog. Loc.19. §.3. p.543.* Aliqvando spectris concitari canes, negari vix potest; mortem ægroti, ante cujus fores ululant, semper seqvi, experientiæ contrariatur. Possunt autem plures causæ esse ejus ejulatus, inter qvas exclusio ab hospitio, frigus nocturnum, lapilli & vermes renales, de qvibus in *Analect. ad Ephemer. Curios. Germ. an.IV. & V. Dec.1. p.304.* & Paulinus *Cynograph. p.41.*

Seniores facti canes, subinde redduntur pigri, dormiunt in fimo &c.]

N. 6. Pastores mali assimilantur talibus Jes. 56 10. qvi non possunt latrare (vid. supra n.2.) qvi dormiunt, & somnum amant, & sunt הזים *hosim.* LXX. ἐνυπνιαζόμενοι somniantes, Aqvilæ φανταζόμενοι phantasiis & vanis imaginationibus acti. Uti ergo canes vanis in somno imaginibus decepti, somnia sua murmuratione qvadam indicant: ita falsi Prophetæ vanis cogitationibus & deliriis ipsi deluduntur, & alios sibi credentes deludunt. Bochart. *col.680.* Majus *Part.1. p.619.*

Obscænum est & impurum, & palam coit, & post 241 *coitum cohæret*]

N.7.

N. 7. Causis, ob qvas canes diu in coitu hæreant a Franzio allatis, aliæ plus conferentes adjici possunt, ex Joan Fabro Lynceo *p. 476.* Paulini *Cynograph. p. 54.* Cum in penis medio ossiculum sit duorum longitudine palmorum, qvatuor transversos æqvans digitos, & genitali ita concinne annexum hærens, ut sulcum etiam, qvi meatum urinarium sibi fixum excipit, incisum satis constituat, hinc canis adultior urinam reddens, crus alterum sublevat, ne ea ventrem conspergat; catuli membrum molle habentes, qvod versus terram flecti potest, non elevant pedem, fœmellæ considentes lotium plerumqve emittunt. Ad parietes freqventius mingunt, ut corpus uno pedum qvatuor elevato facilius sustineant. Paulinus *l.c. p. 51.* Qvapropter in Scripturæ locis, cum in aliqva domo ad internecionem delenda vel deleta, legitur neminem esse relictum, aut relinqvendum, qvi mingat ad parietem, veterum & recentiorum interpretum magna pars ad canes extendit, plane eo sensu, qvo apud Vopiscum Aurelianus Thyanam veniens, eamqve occlusam reperiens, iratus fertur dixisse, canem in hoc oppido non relinqvam. Bochartus tamen *col. 675.* secutus R. Levi & alios qvosdam hebræos statuit, mingere ad parietem, esse descriptionem sexus virilis. Sic enim recte cohærere 1. Reg. 14. 10. & c. 21. 21. 2. Reg. 9. 8. *exscindam mingentem ad parietem, clausum & derelictum*, i.e. exscindam omnem marem, seu captivum seu liberum, vel in urbe degentem aut in agris, vel conjugatum aut cælibem. Et 1. Reg. 16. 11. *percussit omnem domum Bahasa; non reliqvit ei mingentem ad parietem, & cognatos, & amicos*

amicos ejus; i.e. non pepercit ulli viro, tam ex cognatis, qvam ex amicis Bahasæ. Nempe solos viros cædere, etiam in atroci bello, tum fuit usitatissimum.

N. 8. Præter eam in Venere impudentiam, non minor est canum, qvod gulam attinet. In media hominum turba, sive in loco profano sive sacro, qvicqvid asseqvi possunt carnium, diripiunt. Proinde Es. 56. 11. canes עזי נפש *firmos animæ*, Arabs reddidit *impudentes animæ*; Hieronymus, *impudentissimos*: nam firmi facie dicuntur perfrictæ frontis, Deut. 28. 50. Prov. 7. 13. &c. Aben Esra, Kimchi aliiqve exponunt, *avidos animæ*, seu *gulosos & voraces*, ut melius cohæreant hæc cum seqventibus: *nesciunt saturitatem*. Sed & voracitatis inverecundia fere comes est: nam helluones & parasiti plerumqve summe impudentes sunt.

N. 9. Unde scite impudentes nomine Canum traducuntur, uti Cynici, qvod, edocti a Sectæ suæ Principe Diogene, solerent omnia palam facere, & qvæ ad Cererem, & qvæ ad Venerem pertinent. Notatu dignum est R. Jakimi Apophthegma in Schemos Rabba cap. 42. *Tres sunt valde impudentes: in qvadrupedibus canis, in avibus gallus, & in gentibus Israel.* Vide tamen, qvomodo Judæi fortitudinis ratione se se comparatos cum iis animalibus putent apud Wulferum *ad Theriacam Judaicam p. 378.*

Unde Deut. cap. 23. prohibet DEUS]

N. 10. Rationem aliam lege apud Bochart. *col. 691.* & Spencer. *de Legibus Hebræor. Ritualib. l. 2. c. 23. Sect. 2. & 3.* Turcæ adhuc canem, obscœnum

ac impurum animal habent, ac propterea domo arcent. Busbeck. *epist. 3.* Conf. Majum *P. 1. p. 615.*

242 *Multis morbis infestatur, & inprimis rabie*]

N. 11. Tres morbos præcipuos memorat Aristoteles *l. 8. hist. c. 27.* rabiem, anginam, podagram. *Rabies*, inqvit, *insanos facit, & qvæ momorderint, omnia in rabiem aguntur, præter hominem. Interficit etiam angina canes: pauci ex podagra evadunt.* Cum autem manifesto falsum sit, rabiem in hominem a cane rabioso morsum non transfundi, de mendo suspectum esse locum monuimus *pag. 42.* Adde suspiciones Nicolai Leoniceni *in opere singulari de serpentibus*, *qvaternione* L. 3. & M. Alias infirmitates caninas, & earum medelas annotarunt Demetrius Constantinopolitanus *libro de Cura Canum*, qvem D. Andreas Rivinus Professor Lipsiensis edidit an. 1654. Michael Angelus Blondus *in libello de Canibus & venatione, ad Franciscum Gallorum Regem, impresso Romæ an. 1544. in 4.* Aldrovand. *de Qvadruped. Digitat. Vivip. l. 3. c. 1. p. 498.* & post alios Rei Oeconomiæ scriptores, Dn. ab Hohberg *Georg. Curios. Part. 2. l. 12. c. 48. p. 605.* Rabie præ aliis animalibus canes affliguntur, qvæ a conseqvente aqvæ abominatione hydrophobia audit. Miserrimum, cum canis rabiosi morsu in hominem transiit, id genus morbi est, in qvo æger siti & aqvæ metu simul cruciatur. Rabiei autem caninæ causas varias Medici meditati sunt: Paulinus *Cynograph. p. 216.* proxime & immediate illam oriri vult ex putredine animata, h. e. a vermibus, qvos in capitibus, renibus ac intestinis canum ob rabiem cæsorum, & mox dissectorum, ipse aliiqve sæpius viderunt.

Sæpe

Sæpe S. S. ab hoc animali mutuatur similitudines.]

N. 12. Canum nomine indicantur (1) infideles Matth.15.26. comparationis membra Franzius deduxit. (2) profani verbi divini contemtores, qvi crudeliter sæviunt in veritatis præcones, Matth.7.6. (3) Christi & Ecclesiæ hostes & invasores Psalm. 22, 17.21. (4) Impuri, qvi variis sceleribus incorrigibiliter polluti sunt; Apoc.22.15. 2.Petr.2.22. Proverb. 26.11. (5) Pastores mercenarii, qvi pro Domini grege se ipsos pascunt, Es.56.10. *vide supra n.6.* Philip.3.2: *cavete a canibus, cavete a malis operariis.* (6) plebejus ac vilis homo, *Eccl.* 9.4. Unde humilitatis est, cum qvis se canem, atqve etiam canem mortuum appellat, uti 1. Sam.24.15, 2. Sam. 9.8. 2. Reg. 8.13. & contra, qvi alterum sic appellat, eum significat se prorsus spernere, & pro nihilo habere, 2.Sam. 16.9. Ita Job.30.1. indigni, qvi ponerentur aut compararentur cum canibus gregis, sunt homines infimæ ac contemtissimæ sortis. Consule D. Schmidium *in Commentar.* Alii, cum canibus ponere, accipiunt canibus præficere, qvod est munus abjectissimum. Et in hunc sensum R. Salomo, Kimchi aliiqve exponunt Abneris expostulationem 2.Sam. 13. 8. anne ego caput canis sum? i.e. *κυνάγωγος* præfectus canis, ubi rursum alii caput caninum vertunt, exponuntqve de vilissimo mancipio inter Judæos. Vide Drusii *Proverb. Class. 2. l. 3. n. 88. p. 267.* Familiare adhuc convitium est, qvo canem, qvem valde contemnunt, vocant Turci, Ungari Poloni aliæqve nationes. Inde forte originem habet convitii illa apud Gallos vox, *canaille*, & apud Italos *canaglia*, notantes, qvam

 latini

latini dicunt, fecem populi ac terræ filios, qvasi caninam prosapiam. Lubecenses, teste Meibomio *in Epistola de Cynophoria*, eodem respicientes, plebem infimam per contumeliam vulgo vocant, die Teven-Kinder / canicularum liberos.

MORALIA.

I. ADULATOR.

CAni pedum alienorum ulcera lambenti, epigraphen dabis: ETIAM ULCERA LAMBIT. Adulatorum hic genius est, qvi ipsa etiam Regum suorum vitia, ceu ulcera fœdissima, gratiæ aucupandæ causa lambunt, eaqve laudant. Talem in Henrici VIII. Angliæ Regis aula se exhibuit Franciscus Brianus, Eqves auratus; cum enim Rex Annæ Bolenæ filiæ suæ, amoribus captus, cogitaret eam in uxorem ducere; è Briano qvæsivit, *qvale peccatum videretur, matrem primum, deinde filiam cognoscere?* respondit Brianus; *Omnino tale, O Rex, qvale gallinam primum, deinde pullum ejus gallinaceum comedere*, uti refert Sanderus *lib.1. de Schism. Anglic.* Hoc nimirum jam olim conqvestus Regius Vates Psal. 10. 3. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniqvus benedicitur.* Picinell. Tom. 1. p. 359.

II. RIXOSI, INVIDI, AVARI, MALEDICI, SANGVINARII, LIBIDINOSI.

VIri Nobiles, qvi canum instar fuissent sævi, truculenti, sangvinarii, ac sangvine & rapinis omnia

omnia miſcentes, pœnæ ignominioſæ loco olim apud Francos, Svevos, Saxones & Bohemos canem in ſcapulis aut collo per aliqvot mille paſſus, aut unum aut alterum milliare germanicum, aut ex loco perpetrati alicujus facinoris, ad proximam eccleſiam, aut ad urbem regiam, in qva Imperator pro tempore reſidebat, portare prius cogebantur, deinde gravius ſupplicium, pro delictorum ratione, ſufferre. Ita Otto I. ſive Magnus Eberardum Franconiæ Ducem, Conradi Imp. fratrem, qvi collecta manu civitatem Elmeri occupaverat, incenderat, habitatoresqve omnes, nullo habito ætatis aut ſexus diſcrimine trucidarat, condemnavit in pœnam 100. talerorum, omnesq; militum Principes, qvos in ſuo facinore habuerat adjutores, dedecoroſa canum portatione affecit, ut ad urbem regiam Magdeburg eos portarent, Witechindus Monachus Corbeienſis *Annal. lib. 2.* Præfectus urbis Pragæ, Borivoi Ducis Bohemiæ, adverſus Ladiſlaum Regem inſurgentis, partibus addictus, qvod noluiſſet Ladiſlaum Dominum in urbem admittere, ſcabioſum canem portavit, a qvo ſtercore multipliciter inqvinatus eſt, deinde barba ipſi abſciſſa relegatus. Calviſius *in Chronol. ad an. Chr. 1009.* Arnoldus Moguntinenſium Epiſcopus, & Hermannus Comes Palatinus ad Rhenum, abſente Friderico Barbaroſſa in terra Italia, bellum concitarant, atqve omnia ferro flammisqve vaſtarant. Imperator reverſus, in Comitiis Wormacienſibus anno 1156. Archiepiſcopo qvidem ob ſenium, morumqve gravitatem, & Pontificialis ordinis reverentiam parſit, ſed Palatinum, una cum decem Comitibus, complicibus ſuis, canes per Teutonicum milliare portare

 juſſit,

jussit. Otto Frinsingensis Episcopus *lib.2. de rebus gestis Friderici Barbarossæ*, *sub qvo vixit*, *cap. 28.* Plura lege, in D. Joh. Henr. Meibomii *Epistola de Cynophoria, seu Canis portatione ignominiosa*, qvæ & seorsim prodiit, & adnexa est *Cynographiæ Paullini p. 244.*

Rixosi, invidi, avari, maledici, sangvinarii, libidinosi, uti similia faciunt cum canibus, ita & in anima sua affectus illos pravos, veluti canes cum ignominia sua ferunt, & tandem ad alios canes, extra cælestem patriam relegantur, *Apocal.22 15.*

III. PECCATORES OCCOECATI, INDURATI, ET DESPERANTES.

CAnibus rabiosis similes, qvoad (1) *causam efficientem antecedentem & disponentem.* Canes rabiosi fiunt esu morticinarum putridarum, vermibusqve scatentium, & marcescentis earum sangvinis; qvod si fuerint hæ carnes eorum animalium, qvæ pestilentia, aut ictu fulminis, aut venenosorum morsibus interierint, eo facilius, majoriqve afficiuntur rabie. Eadem qvoqve excitari solet computrescentibus aqvis freqventius potis. Matthiolus *in Dioscorid. l.6 c.36. p.1008.* Homines se occœcant & indurant, cum mortua opera sæpe cum delectatione faciunt, *Hebr.6.1.* qvæ plena veneno mortifero *Jacob.3,8.* dum comedunt panem iniqvitatis, vinum rapinarum, aqvas furtivas bibunt, *Prov.4,17. c 20.17. cap.9.17.* (2) *qvoad causam efficientem proximam.* Vermes in capite, renibus, ac intestinis generati, canem exagitant in rabiem. Peccata mortifera toties commissa,

missa, tot vermes sunt animæ & conscientiæ, qvi eam rodunt, & ad insanam pertinaciam peccandi excitant. (3) *qvoad symptomata.* Canis rabiosus spumam ex ore demittit, linguam foras exporrigit, oculis rubentibus torve tuetur, tumultuarie currit, in obvios qvosqve sive ignotos, sive notos ante, etiam Dominum ipsum irruit, mordet, ac iisdem malis rabiei inficit. Matthiolus *l. c.* Peccatores obdurati, verbum DEI aversantur, ore blasphemias & maledicta exspuunt, truces se præbent erga alios, cæco impetu qvoslibet, etiam cognatos suos adoriuntur & lædunt. (4) *qvoad eventum.* Canis rabiosus, dum qva sanari poterat, fugit adeo aqvam, insanabilis est, & interficiendus, ne pluribus noceat. Ita peccatores repudiantes verbum DEI, qvod si admitterent, per pœnitentiam redire ad sanam mentem poterant, aut a magistratu ob malefacta e medio tolluntur, aut in carcerem perpetuum infernalem, cum visum est DEO, detruduntur.

IV. CORRUPTA NATURA, PHILAUTHI.

CAtelli, cum ad speculum sistuntur, suam ipsi imaginem in eo apparentem indesinenter allatrant. Nimirum qvod alios ad amorem sui, catellum ad iram versus se excitat. Non novit sui imaginem esse, cui irascitur, sed peregrinum putat canem, qvem ferre neqvit. Imago hæc est elegans cordis humani corrupti & Philautiæ. Qverimur sæpe de aliis, & iracundia ardemus in eos, qvi nos lædunt, neqve cogitam⸗s ut plurimum in nobis esse vitium. Alius

nobis ea facit, qvæ displicent, nos viciſſim alteri facimus, qvæ pariter ipſum offendunt. Liberi indignationem noſtram adverſus ſe movent; iidem vero malitiam a nobis ingeneratam acceperunt. Nec minus catellis illis auditores improbi ſimiles, qvi irascuntur Concionatori reprehendenti. Optime qvadrat in pium ac fidelem Doctorem emblema Sapientis Viri, qvi ſpeculo picto adſcribebat: *Omnibus æqve fidum.* Fideles miniſtri Chriſti debent inſtar ſpeculi repræſentare homines, uti ſunt. Hoc igitur, dum præſtant, unus vel alter auditorum, qvi imaginem ſuam in concione animadvertit, graviter fert, ac Doctorem ſuum immeritum conviciis inſectatur ac lacerat, cum tamen ſibi ipſe, ſuisqve vitiis ſuccenſere debeat. Non ſunt illi genuini Auditores, qvi Concionatorem non æqve amant, & libenter audiunt, ſive redarguentem, ſive conſolantem. Ex Gottholdi zufälligen Andachten *p. 1057.*

CAP. XXII.

DE OVIBUS.

249 *Ovis pro genere ſumitur*]

N. 1. Hebræi vocabula capris & ovibus communia habent צאן *tzon* & שה *ſeh*, qvibus oves freqventiſſime, qvandoqve capræ ſignificantur, cujuscunqve ætatis aut ſexus. Habent enim capræ & oves multa inter ſe communia. Ita tamen differunt ea nomina, qvod צאן collectivum ſit, & totum genus ovillum aut caprinum indicet, vel plures ſaltim collectas; unde in numero ſingulari tantum legitur; at שה ſolùm uſurpetur de ſingulis. Patet id ex

Ezech,

*Ezeeh.*45.15, *Et* ſæh (ovis aut capra) *una ex* tzon i. e. grege ducentorum. Kimchi in Lexico vult, *tzon* aliqvando etiam armenta comprehendere, ut 1.Sam. 8.17.

N. 2. Peculiaria ovillo pecori ſunt (1) איל *ajil*, aries, Gen.22.13. Dan.8,4.6. (2) אמר *immar*, agnus *Eſdr.* 6.9.17. & paſſim in Paraphraſtis. (3) דכרין *dicbrin* mares ovium, i. e. arietes *Eſdr.* l. c. & in Paraphraſibus ſubinde. (4) טלה *taleh*, agniculus, agnus ſubrumus vel lactens *1.Sam.* 7:9. *Eſ.* 40.11. c.65.25. Sed *1. Sam.* 15. 4. בטלאים in *telaim* eſt loci nomen proprium ab agnis dicti. (5) כבש *Cabbas* mediæ ætatis agnus inter טלה & איל ab anno primo ad tertium, *Exod.*12.5. c.29.38. & alibi. Generatim ovem ſignificat *Levit.* 4.32. & in aliis qvibusdam locis. (6) כר *Car* agnus vel ovis paſcualis, *Deut.* 32.14. *1.Sam.*15.9.2. *Reg.* 3.4. *Pſalm.* 37.20. &c Nomen ex verbo כרכר *Circer* ſubſilire deduci poteſt, qvoniam in paſcuis læti agni ſaliunt, Pſalm.114, 4.6. (7) משנים *miſchnim*, agni bidentes vel biennes 1. Sam. 15.9. Scilicet *bammiſchnim* hebræis dictæ pecudes, atqve in his oves maxime, vel cum eminebant, vel etiam excidebant duo dentes altiores, per qvos ex minore in majorem tranſcendiſſe ætatem, atqve hoc ipſo præſtare judicantur. (8) עשתרות *aſchtaroth* Deut. 7.13. c.28,4.18.51. Arabs Pariſienſis agnos, Kimchi oves explicat. Alii pleriqve armenta vel greges reddunt. Videtur autem ea vox, uti Forſtero placuit, fœtus ovium notare, cum fœtui boum opponatur. (9) רחל *rachel* ovis, Gen.31.38. c.32.14. Cant.6.6. Jeſ.53.7. alibi in Scriptura non extat, ſed freqventer occurrit in Paraphraſtis,

Talmude, & Arabicis scriptoribus. Hinc Jacobi uxorum una Rachel dici potuit, vel ob mansvetudinem ovibus propriam, qua eadem de causa Quintum Fabium Maximum, ut verrucosum a verruca in labris, ita Oviculam a clementia morum appellatum, scribunt Plinius in libello de viris illustribus, & Plutarchus; vel a cura pecorum Gen.29.9. uti apud Romanos Porcius, Ovinius, Caprilius, Equitius, Taurus cognominati teste Varrone *de Re Rust. l.2. c.1.*

N. 3. Falso aut dubie tributa nomina ovibus sunt (1) a Schindlero, aliisqve בזק bæseck 1.Sam. 11. 8. cum sit loci nomen, Jud.1.5. (2) a Lexicographis plerisqve, Kimchio etiam & Buxtorfio יובל *jobbel* i.e. aries Jos.6,5.6. Nam ibi קרן היובל & שופרות היובלים sunt tubæ vel cornua soni grandis & protracti rustico more, ac sine dubio vox Jobel a Jubal, primo inventore Musices, deducta est. Hinc annus Jobel fuit annus, cujus promulgatio fiebat tali cornu, vel tuba ex cornu boum. Neque enim arietinum solidum, ac proinde cavum nihil habens, in quo flatus recipiatur, ad eum usum erat commodum. (3) קשיטה *Keschita*, qvam vocem occurrentem Gen.33.19. Jos.24.32. Job.42.11. Græci, Onkelos, Syrus, Arabs, Vulgatus aliiqve interpretes, agnum vel ovem vertunt. At videtur nummi genus intelligi debere, tum ex aliis rationibus, tum ex oratione Stephani Actor.7.16. qua refert agrum emtum pretio argenti, a filiis Emoris (patris) Sichem. Alii agnorum nomine ll. cc. accipiunt nummos agnorum imagine signatos. De qvibus omnibus ovium appellationibus, sive certis sive dubiis, prolixe egerunt Bochart. *P.1. lib.2. c.42. & 43.* Majus *Part.1. lib.2. cap.7.*

Sed

Sed præ omnibus maxime qvotidiana erant sacrificia ex ovibus]

N. 4. De hoc sacrificio תמיד *Tamid* seu jugi, consulendi Commentatores ad Exod. 29. &Num. 28. Codex Talmudicus *Tamid*, qvem Latinum fecit Gustavus Peringerus, Svecus, Orientalium Lingvar. in patria Professor, & Michael Arnoldus, Franeqveranus, qvi insuper notis eum illustravit; R. Mosis Maimonidis præfatio in Seder Kodashim, *in Porta Mosis a Pocockio edita pag.264.* & Auctores, qvi de sacrificiis universim scripsere, supra, cum de boum sacrificio ageremus, citati. Qvo jugi sacrificio, Christi sacrificium unum pro peccatis, in perpetuum validum, præfiguratum novimus ex Ebr.7. 26. c.10.12.14. Ad ritum simul offerendi olim, alludi Apocal.5.8.9. annotavit etiam recentissimus Apocalypseos Explanator Pontificius, Daniel Herveus, *Explanatione 18. p.135.*

Sicut statim in Paradiso ex ovibus parabantur vestes] 250

N. 5. Communem hanc opinionem esse diximus in proloqvio *ad Part.1. p.78.* Putant autem eo ipso, dum vestes ex ovium pellibus (purpureis, ut conjicit Ursinus *Analect. Sacror. l.6. n.15. p.351.*) fecit DEUS, ritum mactandi immolandiqve animalia, ad præfigurandam Messiæ mortem salutiferam docuisse, qvem isti deinde posteris tradiderunt. Neqve enim aliunde Abelem inductum esse, ut Numini de ovium suarum primigeniis offerret, qvam qvod ita edoctus a parentibus esset. Cæterum de vestibus primorum parentum dissensiones, tum inter Judæos, tum inter Christianos, in Commentariis ad Genes.

3.21.

3.21. invenire eft. Adde Nieremberg. *hiftor. Natur. l. 4. c. 25.* Wagenfeilii *Commentar. ad Sotam p. 339.* Witfii *Oeconom. Fœder. l. 4. c. 7. n. 4. p. 518.* M. Joh. Helvici Willemeri *Differtationem Philologicam de Tunica Adami Pellicea, Witeberg. anno 1680.*

Et ovis, qvam mactavit Abraham in monte pro Ifaaco, fimiliter erat typus Chrifti]

N. 6. Eum plenius explanare poteris, fi inter fe conferas Botfacci *allegorias p. 325. 518.* Urfini *Adverfar. Sacr. p. 286.* Baumanni *Analecta Sacra p. 614.* Bochart. *P. 1. Hieroz. col. 543.* Geieri *Concionem Funebrem* Dn. Friderico Tertio Daniæ & Norvvegiæ &c. Regi *habitam pag. 9.* Huetii *Demonftrat. Evangel. Prop. 9. pag. 1060.*

Omnino ftolidum]

N. 7. Vid. Ariftot. *l. 9. hift. an. c. 3.* Stupiditatem non femel vidit & rifit Joan. Faber *de aliis animalibus Novæ Hifpaniæ pag. 668.* dum laniones, ut qvo vellent perducere oves poffent, fi aries, qvem illæ præeuntem feqvuntur forfan non adeffet, cani Moloffo alicui pellem arietinam induerent, & eundem tintinnabulo fimul e collo fufpenfo præmitterent, qvem ftultus grex non aliter ac ductorem fuum arietem feqvebatur. Imago hæc eft, tum eorum, qvi fuos Duces ac Magiftros naturalium fcientiarum, fæpe pecudum more, non qva eundem effet, fed qva itur, feqvuntur; tum plebejorum hominum fimplicium, qvi poft Pfeudoprophetas ovinis pellibus amictos, fed intus & in cute lupos, improvide currunt. Matth. 7. 15.

251 *Moribus manfveta, caret felle, eft placidiffima*]

N. 8.

N. 8. Habent oves fel, nisi qvod in qvibusdam regionibus eo carere dicantur, apud Aristot. *l 1. hist. an. c. 22. l. 4. de part. c. 2.* Plin. *l. 11. c. 37.* Confer Aldrovand. *l. 1. de Qvadruped. Bisulcis c. 8. p. 165.* Blasii *Anatomen Animal. p. 104.* Ob mores autem mansvetos, placidos, patientes, Christus ipse cum agno & ove confertur Joh. 1. 29. 1. Petr. 1. 19. Es. 53. 7. Et Jeremias c. 11. v. 9. sub persona Messiæ, ut volunt veteres, & multi recentiores loqvitur: *Ego fui, ut agnus mansvetus, qvi ducitur ad occisionem.* Hebr. אלוף cum Hieronymo Bochart. *col. 250.* interpretatur ex Arabica lingva *mansvetus*, in qva *alepha*, mansvefactus fuit, etiam de brutis dicitur. D. Seb. Schmid exponit de duce gregis agno, cui Jeremias comparatur, monetqve, sine torsione seqventia verba ad Christum non qvadrare.

Vix reperitur animal, qvod pluribus obnoxium sit morbis]

N. 9. De morbis ovium & remediis, consuli potest Aldrovand. *l. c. p. 180.* & inter alios Oeconomicæ rei Auctores Dn. ab Hohberg *Part. 2. cap. 55.* Inter eos morbos est *Thsavval* Arabibus dictus, i. e. languor in ovium aut caprarum membris, aut maniæ genus, ob qvam non seqvuntur alias oves, sed pascua sua circumeunt, & longius divagantur. Itaqve oves aberrant a reliqvo grege, vel ob naturalem stupiditatem, vel ob morbum illum. Ad oves ejusmodi errantes respicitur Psal. 119. v. 176. Es. 53. v. 6. 1. Petr. 2. v. 25.

N. 10. Aliud in pecore vitium est, cum in opimis pascuis præ pingvedine lascivit, petulansqve & petulcum est. Cujusmodi oves pingues & robustæ

dicuntur,

dicuntur, ægrisqve & errantibus opponuntur Ezech. 34.16. Explicationem verborum fecit Bochart. *P.1. col.542. sqq.*]

252 *Debet autem ipsis Pastor hæc qvatuor*]

N. 11. De gregum Pastoribus Bochartus *P. 1. lib.2. cap.44.* agit, differens *Primò* de dignitate artis pastoritiæ præ agricultura; *Secundo* de nominibus Pastorum; *Tertio* de variis speciebus; alium esse dominum gregis, alium mercenarium Joh. 10.12. qvi custos peculiariter dici potest ex 1.Sam. 17. 20. inter mercenarios, alios esse primarios, sive principes gregis, aut pastorum, alios secundarios Gen.47.6.1. Paral. 27, 29. 30. 31. 1. Sam.21.7. maxime autem differre bonum a malo, qvi Zachar. 11. v.15.17. dicitur Pastor אולי i.e. stultus, & pastor אליל i. e. nihili, estqve juxta v.16. *pereuntes non visitans, errantem non reqvirens, & confractam non sanans, & stantem non sustentans* (i.e. valentem non alens cibo, medisqve aliis debitis) *& pinguis carnem comedens, etiam ungues earum avellens* (i. e. instar lupi rapacis ad suum omnia commodum convertens, ne vilissimis qvidem omissis, qvales sunt pedum ungulæ; confer Exod.10.26.). De malis Pastoribus dici Jerem.23.1. qvi oves dissipant, & errare sinunt, nec eas visitant. Adde Ezech 34.3. Porro Jobum c. 24. v. 2. Pastores ut hominum genus furax describere, qvi greges, qvos rapiunt, pascunt. Ad qvales Christus allusit Joh.10. 1. ajens, eos in caulam ovium, non per ostium, sed aliunde ingredi, qvod faciunt fures & latrones Joel. 2. 9. Contra DEUM boni pastoris personam induere Ezech.34.12. sqq. & Christum Jes.40. 11. qvi de bono Pastore tria dicit Joh.10. (1) *ingredi*

per

per ostium, ut à latrone distinguat: (2) *oves illi esse notas* (ex nota inusta aut impressa) *& vicissim illum ovibus.* (3) *vitam pro ovibus ponere*, i. e. exponere, qvomodo fecit David, & alius bonus Pastor facere solet Amos III. 12. Aliud boni pastoris specimen in Jacobo haberi, qvi innocentiam suam adversus avunculi calumnias ita tuetur Gen 31. 38. *Dum fui tecum bis viginti annis, oves & capræ tuæ non abortierunt*- (admissuræ enim Jacobi studio commode adhibitæ DEUS benedixit, Gen.30.27.) *& arietes* (oves) *non comedi*, (lenticulis & tenui victu contentus, ne qvid Domini commodis decederet). v. 39. *discerptam pecudem ad te non retuli, qvin ego illud luebam: de manu mea id reposcebas, sive interdiu, sive noctu furto esset sublatum.* (qvam iniqvam restitutionem DEUS prohibuit Exod. 22. 10. Unde Canon est Talmudicorum *in Bava Metsia cap.9. Non accipiunt oves ferreas ab Israelitis, qvia hoc esset fœnus, sed accipiunt oves ferreas a peregrinis.* Oves ferreas illi vocant, qvas pascendas ea conditione pastor accipit, ut, si pereant, illas teneatur Domino solvere & restituere.) v. 40. *æstus die me absumebat, & gelu noctu* (supple, obrigescebam; sicut Psalm. 121.6. die Sol non aduret te, nec Luna noctu, supple, refrigerabit; & 1.Tim.4.3. prohibentium nubere, & abstinere cibis, supple jubentium); *& ab oculis meis somnus fugiebat*, (cum soleret ἀγραυλεῖν i. e. in agris pernoctare, ovibus inter crates inclusis, ne noctu vagarentur. Hinc Luc. 2.8. pastores Bethlehemitici, qvibus apparuit Angelus, erant ἀγραυλοῦντες, in agris pernoctantes, & vigilias noctis servantes in gregem suum.

N. 12.

N. 12. Qvarto Bochartus explicat ſupellectilem & inſtrumenta Paſtorum; & qvidem (1) veſtes, qvibus ſub dio degentes ſedulo circa corpu convolutis, ſe tuentur adverſus imbres, ventos, frigus. Ad qvem Paſtoris habitum intendit Jerem 43. 12. *Et involvet terram Ægypti* (Nebucadnezar) *ut paſtor involvit veſtem ſuam*; i. e. per hypallagen, corpus veſte ſua.) Senſus: Ægyptum copiis obteget, ut paſtorem veſtis obtegit; ita ut locus ſit parallelus Ezech. 32. 3. D. Seb. Schmid ſic interpretatur: *Et induet terram Ægypti*, h. e. corpori regni ſui Babylonici adjunget eam; *ſicut induit paſtor veſtem ſuam*, h. e. corpori ſuo ſuperinducit arcte, ut probe adhæreat. (2) manticam ſeu peram 1. Sam. 17. 40. in qva paſtor viaticum, & qvicqvid neceſſe eſt, colligit. (3) mulctrale, vas, qvo lac excipitur, vel conſervatur; qvod עטין *atin* eſſe Job. 21. 24. pleriqve putant, qvod tamen valde incertum eſſe judicat Bochartus. (4) arma, tum qvibus cominus pugnant, ut virga ſeu pedum, מקל *makkel* 1. Sam. 17. 40. Zach. 11. 7. שבט *Schebath* Pſalm. 23. 1. & 4. Mich. 7. 14. unde ſub virga oves dicuntur tranſire, qvando numerantur, Levit 27. 32. Jerem. 33. 3. Ezech. 20. 27. tum qvibus eminus pugnant, ut tela & ſagittæ apud Virgil. *l. 3. Georg. & 4. Æneid.* Ita paſtor David in Goliathum pugnaturus, præter pedum fundam ſumſit, & lævigatos qvinqve lapides, qvos in pera geſtabat 1. Sam. 17. v. 49. & 50. (4) muſicam, ubi de ejus viribus admirabilibus, de Davidis cithara, ejusqve efficacia in compeſcenda Saulis veſania, & de paſtoribus profanis, qvibus muſicæ inventio tribuitur, tractat (5) tabernacula & caulas, de qvibus agens, rurſum Scripturæ loca aliqva illuſtrat. *Amat*

Amat ovis bona & viridia pascua]

N. 13. Vulgaris ovium pastus herba est Psalm. 23, 1.2. herbæ resecidæ æstivis solum mensibus sunt salubres. Pascuntur tam in montibus (Exod.3,1.) qvam in locis campestribus. Unde de ovis mysticis, i.e. Israelitis Babylone captivis Ezech. 34, 12.13. *Reqviram oves meas &c. ut pascam eas in montibus Israelis, in aqvarum alveis &c.* Assvetas tamen montanis pascuis, in campestria & vice versa duci, male cedit Oeconomo, monente Dn. ab Hohberg *Part. 2. Georg. Curios. l.9. c.48.* In calidis regionibus, pecora horis meridianis ad umbram & aqvas subducebantur, ne ex æstu diei in periculosos morbos inciderent. Ad qvem pascendi morem respicitur Cant. 1,7. Psalm. 23, 1.2. Ezech. 34.13. Jes. 49, 10. Apoc. 7, 16.17.

Ferme nihil est in ipso, qvod non aliqvas haberet utilitates] 254

N. 14. Usus ovium *primus* & antiqvissimus est in sacrificiis. Vid. Gen. 4, 3. & explicationem hujus primi sacrificii apud Bochart. *part. 1. lib. 2. c. 49. Majum Part. 1. p. 506.* de sacrificio Abrahami pro Isaaco *n.6.* de qvotidiano *n.4.* diximus. Agnum paschalem, aliaqve ex ovium genere sacrificia, Franzius mox considerat. Inter partes, qvas DEUS sibi delegit super altare suum adolendas optimas & pingvissimas, אליה aljah caudam legi Exod. 29, 22. Levit. 3, 9. c. 7, 3. & alibi, miretur, qvi ignoret ovium Orientalium caudas, non ita ut in nostris exiguas, & ne teruncio qvidem æstimatas esse; sed qvarum minimæ decem vel duodecim libras pendent, nonnullæ qvadraginta libras pondere excedunt, qvæ si trahi humi permitterentur, lacerarentur & corrumperentur: i-

deo paſtores ploſtellis imponunt eas, qvibus alligatæ una promoventur. Auctores id teſtantes, qva veteres qva recentiores annumeravit Bochartus *col.494. ſqq.* Adde iisdem Ludolfi *Hiſtor. Æthiop. 1. 10. 14.* Dapper. *Africam. p.23.616.627.648. in Deſcript.Inſular. African. p.32.* Nieuhov. *Part. ult. Legat. Batav. c.16. p.108.* Straus *Itinerar. pag.9. & 103.*

N. 15. Uſus *ſecundus* eſt ad victum. Caro palato haut ingrata eſt: præcipue anniculorum carnes laudantur: lac ovillum commendatur, Deut. 32,13. 14. Eſaiæ 7,21.22. Ezech.34,4.1. Cor.9.7. e lacte butyrum exprimitur Prov.30,33. qvanqvam butyri nomen minus ei conveniat, cum βȣ́τυρος ſit bovinus caſeus. Bochart. *col.474.* Caſeum ovillum ſufficit hic nominare. Adeps omnis Judæis interdicitur, ut res DEO ſacra & devota Levit.3,16.17. c.7,23. & 25. 1.Sam.2,14.15. Tamen Deuter.32,13.14. conceditur. Qvæ ut concilient Judæi, ajunt, pingvedinem a carne ſeparatam locis prioribus vendicari ſacrificiis, ac ne edatur, prohiberi: at adipis carni interſperſæ conceſſum eſſe, loco poſteriori extra ſacrificia, eſum. Bochart. *col.471.* Majus *part.1. p.514.*

N. 16. Uſus *Tertius* eſt ad amictum. Inſerviunt autem ei pellis & Lana ovilla. Pellis uſum antiqviſſimum oſtendunt ex hiſtoria, tum primorum hominum, (de qvibus n.5.) tum ſanctorum Patrum ac Martyrum Hebr.11,37. Lanæ uſum anteqvam declaremus, placet de colore, tonſione præmittere, & de corruptione ſubjungere.

N. 17. Color lanæ multiplex, ſed albus maxime vulgaris. vid. Gen.30.35. Eſ.1.18 Pſalm. 147. 6. Dan.7.9. Apoc.1,14. צחר צמר Ezech.27,18. eſt lana

ſumme

ſumme candida, qvæ errore viſus qvaſi ad rubedinem vergit, ſicut in lumine, & nive contingit. Albæ aut candidæ lanæ opponitur fuſca ſeu nigra Gen. 30. 32. Varius color eſt juxta l. c. in pecore נָקֹד *nakod* compuncto, cujus lana alba nigris maculis, aut fuſca maculis albis exiguis, inſtar punctorum conſperſa; in pecore טָלוּא *talu* maculoſo, ſeu magnis maculis adſperſo, cujus ſynonymum בָּרֹד *barud* Gen. 31, 10. 12. qvod Hebræi grandinatum explicant, ſeu reſperſum maculis inſtar grandinis; in pecore עָקֹד *akod* v. 35. i. e. pedibus vario, ſive qvod crura diverſo colore veluti faſciis revincta habet. Præterea oves rutilas in Aſia & Bætica, aliterqve coloratas commemorant Columella *l. 8. c. 2.* Plinius *l. 8. c. 48.* Conſule Bochart. *P. 1. lib. 3. c. 30. col. 991.*

N. 18. De tonſione ovium paſſim Scriptura; Gen. 31, 19. c. 38, 12. 13. 1. Sam. 25, 2. 2. Sam. 13, 23. Ex qvibus locis diſces, viris πολυμήλοις tonſionem fuiſſe alteram meſſem, dieſqve ejus ſolennes & convivales. Cum grege tonſarum ovium ſponſæ dentes conferri Gant. 4, 2. pleriqve putant. Aſt l. c. oves dicuntur metaphorice cæſæ vel dedolatæ, cum inter ſe tam ſunt ſimiles, qvam ſi ex ligno, aut ex ære, ad eundem typum efficta fuiſſent & fabrefactæ. Cum his dentes albi, æqvales, & inter ſe coaptati conferuntur. Bochart. *P. 1. col. 483.*

N. 19. Uſus Lanæ præcipuus eſt in veſtibus. Unde Prov. 27, 26. *agni* (agnorum lana) *in veſtitum tuum.* vid. Deut. 22, 11. Job. 31, 20. Ezech. 34, 3. c. 44, 17. Oſeæ 2, 9. ob hunc finem lana in commerciis eſt Ezech. 27, 18. a muliere ſtrenua & induſtria qværitur, i. e. comparatur Prov. 31, 13. Sacerdoti dabatur Deut.

 18. 4.

18.4. partem faciebat tributi a Rege Moabo Iſraelis Regi ſolvendi 2.Reg.3,4. qvo refertur Eſ.16.1. *Mittite* (Moabitæ) *agnum* (agnorum numerum olim imperatum) *dominatori terræ* (Regi Ezechiæ, qvi regno Iſraelis ab Aſſyriis jam deſtructo & abolito, Judææ totius nunc eſt verus & legitimus Rex, cui debetur tributum, qvod primum Davidi & Salomoni 2.Sam 8.2. & 1.Paral.18.2. poſtea lacerato regno Regibus Iſraelis ſolutum eſt 2.Reg.1.1. & 3, 4.) *e petra, quæ eſt verſus deſertum* (qvam poſteriora ſæcula vocarunt *Charach Moab*, i. e. arcem Moab). Specialis uſus ſacer erat ad aſpergillum ex hyſſopo & lana coccinea, Levit.14,49. Hebr.9,19.) Circa uſum autem lanæ in Lege prohibebatur שעטנז *ſchaatnes*, Levit. 19,19. i.e.commixtio lanæ & lini in eodem panno aut veſtimento ſimul, juxta Deut.22,11. De cujus interdicti ſenſu & ratione vide Bochart. *col 486.* Majum *part.1. p.524.* & Spenceri ſingularem opinionem *lib. 2. de Legibus Ebræor. Ritual. c.21. Sect.3.*

N. 20. Corruptio Lanæ contingit, vel ex cauſa externa, puta, a tinea vel blatta Eſ.51.8. vel ab interna, ſcil. lepra, Levit.13,47. &c. qvam æqvivoce dictam, & ſupra naturæ ordinem veſtibus & ædibus accidiſſe, ſentit Maimonides apud Bochart. *col.492.*

N. 21. Qvarto uſus alios notiſſimos a Franzio tactos, & a Dn. ab Hohberg. *Part.2.Georg.l.9. c.52.* notatos, recenſere omitto, adjiciens ſolum ex Engelgrav. *Pantheo Part.1. p.193. Tria ſunt animalcula infirma & exigua, quæ poſt mortem ſuam toti mundo imperare dicuntur: Ovis, anſer & apis. Etenim in ovis membrana, anſeris penna, Regum diplomata ſcribi ſolent, & cera, quam apis efformavit, obſignari. In*

ri. In candida illa agni immaculati membrana, peccata nostra non atramento, non penna, sed sangvine & stilis ulmeis exarata sunt, & misericordia cera consignata; in hac libellus noster supplex conscriptus, patri æterno exhibetur: eum sangvine proprio in sua carne conscripsit. Ecqvis hujusmodi causæ suæ Patronum reperiat, qvi in sua carne libellum supplicem, & causæ argumenta descripta gerat?

Tota sua vita pariunt]

N. 22. Oves pecudum omnium sunt fertilissimæ. vid. Ps. 144,13. Ps. 65, 14. Job. 1,3. c. 42,12. 2. Reg. 3.4. 1. Par. 5,21. 2. Par. 7,5. cap. 35,7. Josephum *de Bello Jud. l. 7. c. 17.* Qvotannis pariunt, ut plurimum unum agnum; sunt tamen & inter eas gemelliparæ, qvales in Judæa fuisse colligitur ex Cant. 4, 2. vid. Aristot. *l. 6. hist. c. 19.* Immo non solum sunt gemelliparæ, sed & biferæ, i.e, qvæ bis in anno pariunt. vid. *lib. cit. c. 18. & Problem. c. 10. sect. 46.* In Ducatu Juliaco & Clivensi oves bis parere, plerumqve gemellos, aliqvando & tres, ex Heresbachio confirmat Dn. ab Hohberg. *l. c. c. 50.* Idem de Mesopotamicis colligunt nonnulli ex Gen. 31,7.41. & luculentius ex cap. 30, 41.42. Ubi prior fœtura, utpote præstantior, Jacobo cedebat, posterior, qvæ serotina vulgo dicitur, Labani. Bochartus *col. 514.* arbitratus, nullum fœturæ duplicis vestigium in textu reperiri, קשורים *Keschürim* robustos, עטופים *athüphim* debiles explicat. Vid. ipsum Franzium *infra p. 271.* Cæterum cum tanta copia ovium fuerit in Judæa, & regionibus Orientalibus aliis vicinis, mirum non est, eas in divitiis connumerari sæpius in Sacra Scriptura. Loca, qvæ Prophetæ nominant, ovium & boum pro-

ventu celebria, ut in Judæa *Basan, Carmel, & Saron;* extra Judæam *Bosra, Kedar, & Nebajoth*, exqvisite explicavit Bochart. *part.1.l.2.c.48. col.531.*

amant societatem]

N. 23. Ut capræ se dispergunt, ita oves contra se condensant, tum extra metum, tum in metu, præ qvo se mutuo premunt. Ad qvam ovium naturam respexit Micheas 2, 12. cum DEI nomine minatur fore, ut præ metu hostium ingruentium & terram devastantium colligantur intra urbes, ut Bosræ oves in caulis suis, nempe cum lupus aut leo gregem infestat. Bochart. *col.517.*

Eandem emittunt vocem]

N. 24. Balatus ovium, qvem Latini dicunt, appellatur (1) generali nomine קול vox *1.* Sam. 15, 1. (2) שריקות sibili, Jud. 5, *16.* in cantico Deboræ. Bochart. *col. 470.* Majus *p. 487.*

255 *Daniel.cap. 8. v.3. & seqq. Imperium Persicum comparatur Arieti*]

N. 25. Conferri meretur Bochart. *col. 527.* D. Geier. *in Commentar.* Baumannus *in Analect. p. 1186.*

De agno Paschali Christo]

N. 26. De agno Paschali, ejusqve significatione, cum multi passim scripserint, nemo tamen eruditius Bocharto, qvi prolixo *capite 55. Part. 1. lib. 2.* explicat (1) nomen; (2) tempus; (3) locum; (4) ministros; (5) convivas; (6) ritus; (7) fructus & consectaria. Sed Bochartum nuper superavit, & emendandi alicubi rationes suppeditavit D. Seb. Schmid in Tractatu de Paschate, cujus prima parte, tum verba divinæ institutionis, tum alia Scripturæ loca de Paschate, accuratissime expenduntur, in altera ritus Judaici

daici tam vetustiores, qvam recentiores producuntur; in tertia, doctrina de Sacramento Paschali methodice traditur juxta nomen, genus, causas, puta efficientem, materiam, formam, finem & fructum, juxta objectum & adjuncta. Etiamsi autem in tota Lege nullus habetur mortis Christi typus ita expressus, qvam in agno Paschali, prout significavit Paulus *1.* Cor. V, *7.* & Johannes c. *19.* v. *36.* qvi ob eandem causam Christum nomine agni, duodetriginta locis designat in Apocalypsi; qvibus merito junguntur Jes. 53, 7. Actor. 8, 32. Joh. 1, 29, 36. *1.* Petr. 1. 19. tamen Spencerus *de Legibus Ritual. Hebraeor. l. 2. c. 4.* more suo negat, *DEUM omnia ad festum Paschale spectantia, ea praecipue de causa statuisse, ut imaginem qvandam rerum in Christo futurarum exhiberent, tum, qvod Judaei antiqviores, ultra rituum corticem & superficiem, ad sensa mystica penetrare non potuerint; tum, qvod multa Paschatis instituta ad Christum, nisi collo obtorto, trahi non possint. Arbitratur autem, DEUM legem Paschatos primario opposuisse Ægyptiorum superstitioni, qvi arietem honore praecipue colebant; secundario in memoriam liberationis ab Ægypti oneribus, & qvoad nonnulla festi instituta, ad schema vel imaginem Paschatis nostri Christi olim offerendi, qvam sagaciores Judaei considerarent.* Nos instituto nostro obseqventes, libentissime pulchram Christi cum agno paschali convenientiam, qvoad personam, mortem, mortis fructum, ejusqve applicationem ob oculos hic poneremus, nisi praescripta libelli brevitas inhiberet, qvae etiam in reliqvis nostrum commentarium in angustum coget. Nominamus igitur nunc Auctores, praeter

Bochartum & Schmidium, Urſinum *in adverſariis Sacris p.317.* Bauman. *in Analectis Sacr. p.497.834. 1338.* ex Balduino, Meiſnero, aliisqve; Witſium *in Oeconomia Fœder. l.4. c.9.n.33.* Huet *Demonſtrat. Evangel. Prop. 9. cap.93. & cap.170. n. 8.* Mulleri Θηρολογ. Bibl. p. 10. ex qvibus collatis luculenta comparatio parvo negotio efficietur.

Obiter monemus de Jacobo Gen.30,37.]

N. 27. De Jacobi facto duæ qvæſtiones natæ. Prior, an naturæ fuerit opus, vel divinæ virtutis ſupra naturam cooperantis, qvod Labanis oves fœtus, vel virgis vel agnis objectis, concolores parerent. Græci Patres pleriqve ad miraculum referunt, nominatim Chryſoſtomus, Cyrillus, Theodoretus, qvibus accedit e recentioribus Huartus *in Scrutin. Ingenior. p.698.* Latini naturali Jacobi induſtriæ tribuunt, inter qvos Hieronymus, Auguſtinus, Iſidorus, qvorum ſententiam amplectuntur Franzius, Bochartus *part.1. col.546.* Varenius, aliiqve. Qvod ſi autem diſſentientium argumenta recte conſiderantur, patet, nec Græcos plane excludere concurſum naturalium cauſarum, nec Latinos excludere concurſum ſingularem DEI. Scilicet, naturalibus mediis DEUS extraordinarie benedixit. Vid. Voſſ. *de Idolol. l.3. c.22.* Perer. *in Geneſin f.1139.b.* Rivetum *in Geneſ. Exercit.132.*

N. 28. Poſterior qvæſtio eſt, utrum Jacobo licuerit iis artibus avunculum ſpoliare gregis ſui maxima & præſtantiſſima parte? Affirmatur; qvandoqvidem DEO monente & movente id factum conſtat, Gen. 31, 12. Vide Gerhardi *Commentar.* Bochart. *col.547.* Rivetum *l.c.* & alios Interpretes.

N.29. A-

N. 29. Aliud miraculum in Gedeonis vellere Jud 6,36 37. considerat Bochart. *col.547.* & Gideonem a diffidentia purgat *col.550.*

CAPUT XXIII.

DE CAPRA ET COGNATIS.

Initio ex Grammatica notum est] 266

N. 1. Capræ vel domesticæ sunt vel silvestres. Inter domesticas agmen ducit hircus, barbatus ille gregis barbatuli cornigeriqve magister, nec arunco minus, quam cornibus ; ac odore gravis. Mari succedit fœmina, capra, cum fœtu suo, hædulis ac capellis, hircina prosapia. Hirci nomina qvatuor sunt hebraica. *Primum* est שעיר *Sair*, i. e. pilosus. Gen. *37, 31.* pilosus caprarum i. e. hircus. Confer Levit. 4, 23. 24. c. 9, 15. c. 16, 5. & 20. in fœminino genere Levit. 4, 28. pilosa caprarum, est capella. Cum itaque Moses, Israelitas ex Ægyptiaca servitute liberatos, vetat Levit. *17,7.* offerre sacrificia sua לשעירם *pilosis, cum qvibus fornicati erant*, intelligi possunt, *aut birci*, quos Ægyptii impense coluerunt; *aut bircorum* atque animalium aliorum pilosorum *imagines*, qvibus Ægyptii ad idololatriam maxime abutebantur, pingentes Panem caprina facie, hircinisque cruribus, Jovem arietina, Anubim canina, Bubasten sive Dianam feli similem; *aut dæmones*, qui coluntur in idolis, ut interpretantur Chaldæi, Syrus, Arabs. Es. 13, *21.* de Babylonis futura desolatione: *Et pilosi saltabunt ibi.* Et c. 34, *14.* de Idumææ desertis: Et sair *pilosus ad socium suum clamabit*, i. e. dæmon ad dæmonem, quorum ulula-

tus Arabibus *Alazipho* susurrus appellatur. Ratio, ob quam dæmones שעירים *seirim* nominantur, est juxta AbenEzram, Kimchium, Abarbanelem, qvod specie hircorum sæpe se adspiciendos exhibuerint. *Alterum* nomen est עתודים *atthudim*, plurale tantum in S. Codice, cujus singulare *athud* apud Arabes freqvens est. Sunt vero *atthudim* hirci majores, nomen ab עתר paratum esse, habentes, qvod sint parati & habiles ad omnia hircorum munia; præire gregem Jer.50,8. pecudes inire Gen. 31, 10. ad sacrificia Ps.65,15. ad commercia Ezech. 27, 21. Prov.27,26. ad lanienam, & alia. Porro, uti Principes אלים Exod.15,11. Ps.29,1.Ezech.17,13. c.32,21. & כרים 2.Reg.11,4.19. Ezech.21,22. id est arietes: ita etiam iidem עתודים i.e. hirci appellantur, quia hirci pariter sicut arietes gregem præcedunt.Es.14,9. *omnes hirci* (Principes) *terræ.* Zach. 10, 3. *in hircos* (Principes) *animadvertam.* Dan.8,5. Hircus caprarum vocatur Alexander. *Tertium* hircorum nomen est צפיר *tzaphir* Dan.8,5,21. Esdr.6,17. c. 8,35. 2.Paral. 29, 21. a *tzaphar* circuire, quod circumeat & gregem, & quando capram inire cupit, & rivales hominesve ferit: in gyrum enim moveri, & in obliqvum ferri solet. Majus *part.1. p.542.* *Quartum* & ultimum hirci nomen est תיש *Tajisch* Prov.30,31. Gen.30,35. c.32,14.2.Paral.17,11. *Quintum* Hirci nomen aliqui sumunt ex 2.Reg.17,30. ubi Chamathæorum idolum אשימא *aschima* hircum glabrum vel calvum explicant Talmudici *in Sanhedrin cap.7.* & ex iis R.Salomo & Kimchi. Sed hoc fabulosum putat Bochart. *P.1. col.649.* Leonis nomen esse conjicit Majus *p.571.*

N.2.Uni

N. 2. Universo caprino generi nomen est commune עז *Es* ab obfirmata fronte, seu robore frontis, quod per cornua se exerit. Ita Dan 7. Alexander M. roboris potissimum ratione hircus caprinus dicitur, qui cornutum arietem adortus, efferatis viribus eum humi prostratum conculcavit. A voce hebræa Chaldæis & Syris *Issa*, Græcis *αἴξ*, *αἰγὸς*, Germanis Geiß/vel ut alii pronunciant, Ges/per e longum, capra denominata fuit. Majus *P.*1. *p.533.* 1. Reg. 20, 27. Israelitarum turmæ pusillæ duæ, immensæ hostium multitudini nullo modo conferendæ, fuisse dicuntur, *ut duo* (i. e. pauci, 1. Reg. 17, 12. Jerem. 3, 14. Oseæ 6, 2.) *greges caprarum*, eine geringe und schwache Heerde. Bochartus *col. 622.* pro gregibus caprarum, ex Arabica lingua mavult intelligere hinnulos caprarum, i. e. capreolos, quem refutat Majus *p.532.*

N. 3. Hædum Hebræi vocant גדי *gedi* Gen. 38, 23. 1. Sam. 10, 3. Es. 11, 6. & capellam גדייה *gedia* Cant. 1, 8. Sæpe dicitur hædus caprarum, Gen. 27, 9 16. c 38, 17. Jud. 13, 15. & alibi. Inde colligunt R. Salomon & Kimchi, nomen גדי esse commune agnis & hædis, & גדי caprarum dici *διακριτικῶς*, ut distinguatur a גדי ovium: quam observationem contra Bochartum *col. 632.* tuetur Majus *p. 538.* Ab hædis nomen habet *Engedi*, vicus in agro Jerichuntino, quem Hieronymus interpretatur fontem capri, vel quod in celsis rupibus solis capris esset accessibilis, vel quod ex eo ex montibus delapso potum hædi caperent.

N. 4. Caper proprie Latinis est castratus mas. Græcis *κάπρος* idem est, quod aper: ideo, si qui Græci

Græci interdum hanc vocem pro Latinorum capro usurparunt, voce latina usi fuerunt. De silvestribus capris paulo post agemus.

Quod nunquam sine febre esse putetur]

N. 5. Mirantur hanc Varronis, aliorumque qua veterum, qua recentiorum assertionem Plinius *l 28. c.10.* Dn. ab Hohberg. *Georg. P. 2. l.9. c. 60.* cum non solum lactis tanta salubritas prædicetur, sed & plurima medicamenta saluberrima ex caprino genere petantur. Poterit autem sine febri morsus caprarum arbori exitialis esse.

267 *Cum devorat herbam, quæ dicitur Eryngium, confestim quasi attonita stat capra*]

N. 6 Fabulæ hujus veteris originem leges apud Gesner. *l.1. de Quadruped.* p.277. Pierium Valerian. *l.10. c.2.* Aldrovand. *de Quadruped. Bisulcis cap.9. f.266.b.*

268 *Inter sangvinem hircorum & adamantem naturalis esse dicitur & mirabilis ἀντιπάθεια*]

N. 7. Dicitur adversus experientiam. vid. Bodini *Theatrum Naturæ lib.2.p.231.* Boetium *de Gemmis l.2. c.4.* Wormii *Museum l.1. Sect.2. c. 17. p. 103.* Thomam Nicols *de Gemmis* p.54. Boyle *de Gemmarum Origine & virtutibus Sect.1. p.24.* Brovvn. *Pseudodox. Epidem. l.2. c.5.* Le Grand *Histor. Natur. Part.5. art.9. n.10.* Konigii *Regnum Minerale* p. 99.

Quod alias attinet ad usum caprarum]

269 N. 8. Usus Primus caprarum est in sacrificiis, de quibus hic nihil peculiariter dicendum, cum eadem in plurimis ovium & caprarum fuerit ratio, in holocaustis, in sacrificiis salutaribus, in piacularibus, & pro peccato & pro noxa, in paschali Sacramento,

& aliis.

& aliis. vid. Levit. 1,10. c.3,12. c. 4,23. Exod. 12. Hircum Asasel cum Franzio infra contemplabimur. Ex Spenceri opinione *de Legibus Ritual. Hebr. l. 2. c. 8. sect. 2. fere extrema*, hircus in Judæorum neomeniis Jehovæ pro peccato sacrificari debuit, eo quod gentes in mensium initiis, Lunam hirco oblato propitiare solerent, & in festo tabernaculorum, vel collectionis frugum, hircus caprarum vel hædus in sacrificium pro peccato, jussu DEI immolatus est, quod frugibus collectis, hædum dæmonibus offerendi consvetudo inter Zabios obtineret. Quæ iterum ita asserit, ut neget iis sacrificiis Christum præfiguratum fuisse.

N. 9. Alter usus est in victu. Lac apud quosdam populos in quotidianis cibis est. Prov. 27,27. Galenus *in libro* περὶ εὐχυμίας *c. 4.* Et Varro quidem R. R. *l. 2. c. 11.* primas dat ovillo lacti, & caprino secundas; sed caprinum ovillo præferunt Dioscorides, Galenus, Paulus Ægineta, Ætius apud Bochart. *col. 636.* Caprini butyri non ita frequens apud nos est usus, quam bovilli, sed caseis materia servatur, quos, ut sunt varii palato homines, quidam præferunt ovillis, quidam posthabent. Hædi apud hebræos fuerunt in deliciis. Gen. 27,9.14.17. Jud. 13,15. 1. Sam. 16,20. Gen. 38,17. Jud. 15,1. depulsi lacte olere incipiunt, & carnes minus gratas habent, tempestive castrati melius sapiunt. Utriusque sexus carnes vetulæ non laudantur. vid. Mundii *Commentarium de victu humano ab animalibus petito cap. 3. n. 3.* Lex de hædo non coquendo in lacte matris suæ, ter repetita Exod. 23,19. c. 34,26. Deut. 14,21. torquet Interpretes. Bochartus postquam adduxisset col. 635. sqq. expositiones, unam

unam allegoricam, & quinque literales, ex his eam eligit, quæ Aben Esræ est, DEUM, quod profanæ gentes facerent, noluisse a suo populo fieri, cum immanitatem atque crudelitatem referat, hædum in lacte matris suæ coqui; ut lex sit similis aliis, de bove, ove & capra cum fœtu suo non mactandis, Levit 22, 28. & matre cum pullis non accipiendis Deut. 22, 6. Docet etiam Bochartus, quomodo Judæi recentiores eam legem ampliaverint, & quam superstitiose observent. Spencerus l.c. asseverat, cum veteres Idololatræ, non tantum hædum in lacte matris coquerent, sed cum diis suis, rei rusticæ præsidibus offerrent, partes aliquas hædi lactisque comederent, tandem etiam lacte illo agros & arbores præcipue, post collectionem frugum, in spem fertilitatis majoris aspergerent, DEUM sua lege illum ritum magicum & idololatricum vetuisse. Ad quam opinionem habuit ducem Karaitam, Scriptorem anonymum, allegatum etiam a Bocharto *col. 639.* ex D. Cudvvorth *libro Anglicano de ver. notion. Cœnæ Dominicæ.*

N. 10. Tertius usus est in vestibus & integumentis. Pellibus, uti sine dubio prisci mortales, sic sancti viri tecti incedebant. Hebr. 11, 37. Imitatores nominavimus *cap. 5. n. 41.* Isidorus *lib. 1. Epist. 475.* de Simone illo Monacho: *ex caprinis pellibus contexta vestis, qua amictus est, nudum esse ostendit.* Ex pilis textis vestes & integumenta conficiebantur. Ad quæ conducebant villi caprarum longiore pilo, quæ tondentur ut oves, quales memorant in Africa Virgilius *lib. 3. Georg.* in Arabia, ubi tentoria cilicina, i. e. caprarum pilis texta fiebant, Solinus *c. 46.* in Ly-

cia

cia Ælianus *l.16.c.30.* (cujus alterum locum, *l.17.c.33.* non de capris, sed de camelis Caspiis Franzius debebat accipere) in Phrygia Varro *l.2. de R. R. sub fin.* in Cilicia Aristot. *l.8.c.22.* Plinius *l.8.c.50.* in quo loco, *citraque Syrtes*, non male legi, *citraque Syrias*, arbitratur Bochartus *col 025.* cum in Israele mulieres pilos caprarum nevisse constet, & ex iis aulæa facta, quibus tectum fuerit tabernaculum, Exod.25, 4. c.26,7. c.35,6.23.26.c.36,14. Sunt autem villi duæ species; unus crassior, ex quo fit pannus, cujus usus est in saccis & ciliciis; alter longe subtilior, ex quo fit pannus cymatilis & undulatus, Hispanice *Chamelote*, tantæ tenuitatis, ut sericeo parum cedat. Latere, ajunt, hanc quasi lanuginem, sub crassioribus caprarum pilis. vid. Busbeckium *epist. 1.* Unde & vocem *Zambelitas*, minus convenienter Franzius adhibuit. Neque prætereundum est, in Oriente pilos caprinos humanis non prorsus absimiles esse. Quo pertinet, quod Callisthenes apud Ælian. *l. 16. c. 30.* capras Lycias bene capillatas describat, ita ut ab iis dependeant cincinni, & quasi quidam comarum cirri: Et quod in Apuleji Asino *libro tertio* Photis, cum non potuisset Bœotii juvenis capillos apud tonsorem surripere, prout a domina jussa fuerat, quia tonsor prohibuerat id scelus, capillos caprinis utribus detonsos forficulis, flavos, ac Boetio juveni cõsimiles auferret, eosque dominæ suæ dissimulata veritate traderet. Proinde galericuli ex hædina pelle confecti, ad dissimulandum calvitiem, Martialis meminit l.12. epigr.45. Ex quibus lucem capiunt quædam Scripturæ loca. Gen. 27, 16. Rebecca hædinis pellibus texit

texit Jacobi collum & manus, ut haberetur pro fratre Esauo, qui natus erat hirsutus toto corpore, ad instar villosi pallii Gen.25,25. quomodo Poetæ Satyros describunt. Hinc, qui Satyrorum in theatris personam sustinebant, hinnulorum & hircorum pellibus induebantur. 1.Sam 19,13. Michal Davidis uxor, posteaquam maritum fune per fenestram dimisisset, *teraphim* i e pupam aliquam grandem, tumultuario opere confectam in lecto ponit, & una etiam ad cervical כביר העזים magnum seu longiorem caprarum, *supple*, pilum; (uti Exod. 25,4. *byssus & capræ*, i. e. pilus caprarum; c.26,7. *aulæa caprarum*, i.e. ex pilo caprarum; c.35,26. *neverunt capras*, i.e. pilos caprarum) qui Davidis cæsariem mentiretur. Cant.4,1. c.6,4. *Capillus tuus est, ut grex caprarum*, i.e. ut pilus gregis caprarum, simili ellipsi, cujus modo exempla recensuimus. Unde Cant. 5, 11. tribuuntur Sponsæ cirri crispi. Bochart. *col.623.* sqq. Sanctius *ad Cant. IV.1*

270 *In more positum huic est animali, conscendere altos montes, circumsaltare*]

N. 11. Capræ, inprimis hædi pecus est lascivum, inquietum & vagum, quod ut suæ gulæ atque libidini satisfaciat, nihil non tentat, excelsa appetit, ardua atque prærupta saxa percurrit, modo aliquid appareat, quod voluptuarios sensus titillet & capiat. Et quia sic se interdum a prominente scopulo suspendunt, ut non tam insistere pedibus, quam e manibus pendere videantur, perdentes, vocantur Virgilio *Eclog.* 1. & Ovidio *l. 1. de Ponto eleg.9.* Confer Aldrovand. *de Quadruped. Bisulcis l.1.c.9. f.265. b.* Inde admonetur Sponsa Cant .8. *pascere hædos suos juxta*

juxta tabernacula Pastorum, i. e. immoderatos atque præcipites affectus, qui eo statim advolant, unde aliquid se ostentat ad mulcendos animos opportunum, unde frequens est casus, extrahere domi, alere ruri, a mollibus ad dura transferre, spectare aliorum severam disciplinam, qui sub pellibus agunt, ab illis discere, ubi sponsus cubet, quem in pascendis hœdis modum teneat, quantum illis dandum sit, vel quietis vel pabuli, nec probare aut sequi alia vestigia, quam quæ videntur juxta Pastorum caulas impressa, loca videlicet plana & tuta, ubi nullus sit casus, aut certe ejusmodi, ut quis ab eo facile resurgat. Sanctius *in Commentar. ad l.c.*

Sylvestris capra nominatur caprea, ex cujus genere sunt Dama, rupicapra, ibices seu Capricorni, & Oryges.]

N. 12. Etsi vulgo Capræ silvestris genus fiat caprea, quod ipsa corporis figura capram referat, tamen cum ea sit cornibus ramosis & cervinis, potius mediæ naturæ inter capram silvestrem & cervum habetur a Gesnero *p. 324.* Vossio *in Etymolog. voce Caper.* Cervino generi prorsus transcribitur ab Aldrovando *de Quadruped. Bisulcis cap. 16. fol. 304. b.* Peyero *de Ruminant. p. 38.* Juxta quos Autores ad Capras silvestres proprie pertinent Ibices, Rupicapræ, Bubali, Damæ veterum, Pygargus, Oryges, Capra Bezoartica, quibus quidam adjungunt Capram Moschi, & alias bestias.

N. 13. Caprea, sive Dorcas, Reh / colore cervis non dissimilis, sed mole corporis longe inferior, qua vix capras æquat. Mas, Rehbock /

cornua in capite gerit decidua, ſenis plerumque ramis diſtincta; Fœmina Rehgeiß; capreolus δορκάδιον, ein Rehböcklein / i. e. hinnulus vel pullus capreæ, qui nondum adolevit. Hebræum nomen צְבִי *tzebi* capream aut capreæ marem ſignificat, proprie decus notat, unde in capreas, decorum & venuſtum animal fuit translatum. Chaldæis *Tſade* in *Teth* mutato appellatur טביא *tabja*, & in fœminino טביתא *tabjetha* vel *tabitha*. Hinc *Tabitha* puellæ nomen Actor. 9, 36. a Luca græce redditur δορκάς. Et aliàs mulieres in Oriente a capreis nomina habebant, quod id animal, tam a forma, quam a placiditate morum apud veteres laudaretur. Repete dicta cap. 15. de Cervo n. 14. & 15. Oculi non ſolum venuſtiſſimi, ſed & alacres vividique, quibus acerrime vident, laudantur; unde nomen δορκάδων Græcum ipſis inditum notant Grammatici, ἀπὸ τοῦ δέρκειν. Velocitatem capreæ in Script. S. deprædicari obſervavimus l. c. n. 10. Adde Prov. 6, 5. Siracid. 27, 20. (aliis 22.) Arabes habent proverbium: *Caprea umbram ſuam reliquit.* Hoc exponente Damire ferit fugacem hominem. Caprea enim in latibulo umbram propter æſtus vehementiam captans, ſi ex eo ſemel fugerit, nunquam ad illud revertitur. Hinc explicatur Eſ. 13, 14. *Et erit ut caprea expulſa.* Agitur de Babylone, in cujus umbram multi ſeceſſerant tanquam in tutiſſimum propugnaculum. Sed Medis ad eam devaſtandam concurrensibus, prædicitur fore, ut unusquisque eam deſerat, atque ut caprea e latibulo ſuo expulſa inde diſcedat, nunquam poſtliminio reverſurus. Bochart. *P. 1. lib. 3. c. 25.*

c. 25. Cant. 4, 5. sponsæ mammæ cum geminis hinnullis capreæ conferuntur. Vid. Bochart. *l. c. cap.* 24. Capreæ esus mentio fit Deut. 12, 15. 22. cap. 14. 5. cap. 15. 22. & in Salomonis cibariis capr[illegible] nominatur. 1. Reg. 4, 23.

N. 14. Rupicapra, quod in summitatibus montium & rupium duntaxat degat, Germanis Gems/(a græco, ut apparet, κέμας, quod capreæ silvestris speciem, rubri coloris notat, juxta Ælian. *l. 14. De animal. c. 14.*) item Fels-Geiß. Magnitudo ejus quæ capræ villaticæ, color inter fuscum & nigrum, qui tamen æstate magis ad rufum, hieme ad fuscum vergit. Cornua fœmellæ uti mares habent nigricantia, osseo cranii processu longo firmata, erecta primum ab exortu, & aliquo usque rugosa, tandem superne in uncum acutum ac lævem retrorsum inflexa & hamata, quibus (ut ait Peyerus *de Ruminant. p. 39.*) non tam suspendunt corpus, quo pendulæ fiant, quam saltu præcipites actæ se excipiunt ac tutantur. Post cornua duo observantur foramina patentia, quibus aerem haurire a venatoribus aliisque perhibentur. Sæpe ad arenosas ac nitro imprægnatas petras descendunt, indeque arenam lambunt, uti villatica pecora salem, ad appetitum excitandum. Circa quæ loca occultant se venatores cum bombardis, & pro more accedentes bestias ex improviso feriunt. Vivæ captæ cicures fiunt, ut canum instar euntes sequantur. Caro salutaris habetur. In Rupicapræ primo aut secundo ventriculi loculo nascitur pila, oblonga plerumque figura, pondere levissimo, magnitudinis variæ, aliquando subviridis &

fine cortice, aliquando cute coriaceâ nigrâ, splendente, rugosâ obductâ: alia castaneo colore, alia subcineritio, odore aromatico grato: constat enim herbarum ac radicum Alpinarum aromaticarum ac odoratissimarum, depastarum & mansarum fibris, pilos referentibus. Aliquando ex unius stomacho duæ etiam pilæ exemtæ. De generatione earum, ac vario in medicina usu videndi D. Georg. Hieron. Velschius *in Dissertationibus duabus de Ægagropilis*, Bauhinus *de Lapide Bezoar cap. 13.* Wormius Musei l, *1.* Sect. 2. cap. 8. p. 61. Joh. Jacob Harderus Prof. Basileensis in Dissertatione de Rupicaprarum interraneis, & Ægagropilis, annexa *Ephemer. Naturæ Curiosor. German. Dec. 2. An. 1.* Peyer *de Ruminant. p. 163.* Dicitur ea Ægagropila a nonnullis Badzahar Germanicum, sicuti lapides in renibus rupicaprarum quandoque reperti, Badzahar occidentale omnimode referre, scribuntur a Wagnero *in Historia Natural. Helvet. p. 185.* qui similes plane ex boum renibus extraxit *p. 172.* ubi *p. 169.* præmiserat, in juvencarum etiam, vaccarum & taurorum ventriculis pilas pilosas sive tophos reperiri, ad medicinam utiles. Confer Peyer. l. c. p. 285. זמר *Samar* Deut. 14, 5. esse rupicapram putat Bochart. *col. 909.* alii alcen, alii camelopardalin intelligunt. Vide *ad cap. 10. n. 7.* יחמור *jachmur* Deut. 14, 5. & 1. Reg. 4, 23. Munsterus & Judæi recentiores in Germania capram rupicolam verterunt, & Bochart. *col. 911.* docuerat, esse proprie rufæ vel rubræ capreæ genus, quamvis, usu sic volente, significatio vocis potuerit latius patere, donec in Arabicis de animalibus scripto-

ptoribus didicisset, *jachmur* vel *jamur* rufum esse animal circa Euphratem cervo simile, sed velocius, & serratis cornibus, quibus diffindit ramos arborum.

N. 15. Damas veterum Africanas Franzius ex Plin.*l.11.c.37.*aut Scaligeri *Exercit 207.* descripsit. Adde Peyer de *Ruminant.p.40.*Ab iis Damæ recentiorum, cervini generis differunt. Vid. Gesner. de *Quadruped. l.1.p. 334.* Aldrovand. *de Quadrup. Bisulcis l.1.c. 12.p.302.& cap. 18. p. 305.* Peyer. *p.35.* Harduin. *ad l. c. Plinii sect. 45. & ad l.8. c.54.sect. 80.* Cæterum rupicaprarum cornua, nodosis quidem circulis multis exasperata sunt, non tamen ramosa.

N. 16. Ibex vulgo Capricornus,mas,qui major ein Steinbock/ fœmella quæ minor ein Ibsche/ vel Ibschgeiß/ Helvetiis ex latino vocatur. Dicirur etiam Caper silvester, & Alberto M. montanus. Hirco magno major est, colore fulvo,cruribus gracilibus. Cornua habet atra, vasta,nodosa ad firmitatem per intervalla, ad dorsum reclinantia, & protensa usque ad clunes, sed antrorsum, inflexa & adunca, observante Harduino ad *Plin.l.8.c.53.* quæ nonnunquam ad trium ulnarum longitudinem accedunt,& ultra 20. nodos hebent ac 16.vel 18. libras ponderant. E rupe una editissima in aliam, haut exiguo dissitam intervallo, se librat, ceu tormento aliquo actus ac rotatus: neque in pedes quidem, ut cæteræ capræ feræ, sed in cornua ipsa, quorum aduncitate petris adhærescit primo, tum inde revulsus sponte, incredibili vi quadam, quo libuit, demum exsilit. Gesner

p.331. Aldrovand. *l. c. c. 13. fol. 302.* Wagner *Histor. Natural.* p.176. Peyer. *de Ruminant. p. 38.* Hebræis eſt יעל *jaal* ab עלה i.e. ſcandendo. Hinc יעלים *jaalim* ibicibus excelſi montes pro refugio aſſignantur Pſ. 104, 18. ſunt petrarum incolæ Job. 39, *3.* rupes ibicum ſunt editiſſimæ 1. Sam. 24, 3. Bochart. *P. 1. l. 3. c. 23.* אקו *akko* Deut 14, 15. Syrus, Chaldæi, Arabes, R Salomo ibicem interpretantur: Bochartus *l. c. cap. 19.* hirci ſilveſtris ſpeciem, alii alcen, de quibus *cap. 10. n. 7.*

N. 17. Oryges, caprarum ſilveſtrium genus, alios eſſe a Plinio, alios ab Oppiano deſcriptos, putat Aldrovandus *de Quadruped. Biſulcis l. 1. c. 24. f. 313. & c. 25. f. 316.* Aſt Bochartus *P. 1. l. 3. c. 27. col. 966. ſeqq.* conatur efficere, ut pro iisdem habeantur. Eſt autem ὄρυξ græcis proprie inſtrumentum foſſorium acutum, quo terra eruitur, & lapides fodiuntur. Inde Oryx appellatum animal, quod cornu habet inſtar τοῦ ὄρυγος, ſive foſſorum, ſive lapicidarum, notum Africæ non ſolum ulteriori, ſed & Æthiopibus ac Ægyptiis. Ad bovis magnitudinem accedit juxta Herodotum, rhinocerotem fere æquat ſecundum Oppianum. Color illi, ſcribente eodem Oppiano *Cyneget. l. 2. v. 455. ſeqq.* lacteus, dorſum pingue, acuta & alta cornua, funeſta nigra, ferro & ſaxo duriora, animus intrepidus & ſævus, non canes, aprum, taurum, leonem metuit; venatorem ſæpe de rupe præcipitat. In Amphitheatro Romano multos canes ab oryge interemptos exſtat apud Martial. *l. 13. Epigr. 95.* Curribus nihilominus regiis junctos apud Ægyptios legas. Ariſtoteles & Plinius uno cornu beſtiam orygem

gem describunt, , quod non de omnibus, sed aliquibus accipit Bochartus *col. 956.* tabulam afferens orygum Africanorum unicornuum veterem in Italia repertam. Orygem monocerotem in India narrat etiam Kircherus *Mundi Subterran. Tom. 2. fol. 66.* Bellonius *Observat. l. 2. c. 51.* & ex eo Dapper *Africæ p. 117.* opinantur capras silvestres Africanas, quas hodie Gazellas nominant, esse veterum Oryges: sed descriptio illarum, quæ traditur, cum Oppiano non convenit. Anatomica Gazellæ descriptio edita est Parisiis an. 1669. & repetita, tum in Actis Anglicanis an. *1669*, mense Julio p. 834. tum in Blasii Anatome Animal. Part. *1.* cap. 9. p. 42. Multa de Oryge invenies apud Bartholin. de Unicornu cap. 10. 11. 12. 13. In tantis de hac bestia tenebris, nihilominus Bochartus l. c. studiose nititur persuadere, ראם *reem* vel רים in Sacro Codice esse orygem. vid. supra *cap. XI. n. 33.* Idem cap. 28. col. 973. existimat cum LXX. Aquila, Symmacho, Theodotione, Hieronymo תוא *tho* vel תאו *theo* dici Orygem Deut. 14, 5. ubi in Judæorum cibis refertur, & Jes. 51, 20. quo loco Propheta Judæos animo defectos jacere dicit in compitis, כתוא מכמר *ut orygem in reti* scilicet detentum & implicitum, unde, cum se expedire frustra conatus est inutili labore, victus tandem fatiscit & humi jacet.

N. 18. Pygargus capra silvestris Lybica Herodoto, Æliano, Plinio memorata, a Juvenale inter gulæ cupedias relata, nomen habet, si scholiasti Juvenalis veteri assentimur, a clunibus albis: πυγη namque nates dicuntur. Ejus bestiæ nomen Deut.

14,5. in Græca versione, & in vulgata legitur, pro hebræo דישון *dischon*. Non tamen ab albo colore, sed a cinereo דישון dicitur. Nempe Hebraice cinis est דשן *deschen*; & cinis ad nigrum vergit potius. Sed potest, inquit Bochartus *P.1.col.902.* idem animal esse *πύγαργον*, i. e, natibus album, & alibi cinereum; quomodo pygargus definitur a Bellonio, quamvis sub Tragelaphi nomine, *Lib.1. Observat.c.54.* vel דישון est verus Tragelaphus ab Agricola & Gesnero descriptus, Germanicis ein Brandhirsch / vide supra *cap.15. n. 5.* Aliam de nomine Pygargi conjecturam attulit Aldrovandus *de Quadruped Bisulcis l,1. cap.15.fol.304.*

N. 19. Bubalus vel Bubalis olim fuit in genere caprarum silvestrium, deinde nomen ad boves feros, de quibus suo loco commentati sumus, translatum est errore vulgi, sed pervetusto, quem Plinius notavit *l. 8. c. 15.* βύβαλος itaque pro יחמור *jachmur* in Græca versione Deut. 14. 5. (nam 1.Reg. 4, 23. aliter redditum fuit) capræ genus est, non bovis silvestris, quem intellexisse videtur Vulgatus, non solum ubi illa hebræa vox occurrit, sed & alibi bubalos nominans. vid. Bochart. *l. c. col. 910.* Gesner. *l.1.de Quadruped.p.330.* Aldrovand. *l.c.cap. 14.f.303.* Peyer. de Ruminant: p.40.

N. 20. Capra *Bezoar* vulgo dicta est a lapide pretioso, qui in ea reperitur. *Bâd*-Zeher enim, Bad-Zahar, & Bâ-zahar, vel Pâ-zahar est vocabulum Persarum, (apud quos literæ B. & P. frequenter, in primis in initio dictionum commutantur) compositum ex *Zahar* vel *Zeher* venenum, & *Bâ* vel *Bâd*, seu *Pa* vel *Pâd*, quod adverbium in com-

compositione adversitatem seu repugnantiam notat, uti *Re* Latinorum, vel ἀντὶ Græcorum, significatque proprie antidotum, Wiedergifft; κατ᾽ ἐξοχὴν tribuitur lapidi in caprarum silvestrium genere, cujus virtus adversus venena reliqua omnia antidota multum antecellere creditur. Ea autem Capra Bazahari fera, quæ in Perside & aliis regionibus Orientalibus invenitur, Europæis perhibetur non longe absimilis, nisi quod erectis longioribusque cornibus est, ac pelle interdum Tigridis instar variegata. Lapillus in ejus ventriculo ex herbarum saluberrimarum implicatione, propemodum ut in rupicapris Europæis concrescit, (de quibus paulo ante num 14.) aut etiam in aliqua interna alia parte, ex alimoniæ excrementis, quod aliqui referunt, colligitur & gignitur. Sed & in India Occidentali ejusmodi capras esse ajunt. Inde cum alii lapides Bezoaris Orientales, alii Occidentales sint, præferuntur longe Orientales, & inter hos Persici cæteris. Admirabiles ejus lapidis virtutes & facultates portentosas, ab aliis prædicatas, non tantas, mille edoctus experientiis invenit Bontius *In Historia Natural. & Medica Indiæ Orientalis l.4.c.45*. Quod ut facilius credamus, addit, lapides illos miseris hircis & capris tam molestos esse, quam hominibus lapides vesicæ & renum, ideoque eas tardius vel citius incedere, prout lapidem aut parvum aut magnum gerunt, unumque aut plures, quod astutissimis Armenis & Persis bene notum sit; ac insuper optimum Bazahar gigni in Simiorum ventriculis: & cum illic eruantur non absimiles ex felle, aut ventriculo aprorum atque histricum, videri eos quoque,

Hh 5 qui

qui ex humana vesica eruuntur, non esse penitus expertes virtutes Bazaharicæ; ac se comperisse pestis tempore, tali lapide cum sudores, tum urinam probe expelli. Plura desideranti indico Nicolaum Monardem Hispalensem, *in libello de lapide Bezoar & Scorzonera*, Garciam ab Horto *Histor. Aromat. l. 1. c. 45.* Silvaticum *in Tractatione de Unicornu, Lapide Bezoar, Smaragdo & Margaritis*, Caspar. Bauhini Medici Basileensis *librum de Bezoar*, Boetium *de Lapidibus & Gemmis l. 2. c. 91. seqq. cum annotationibus Tollii*; Nicols *de Gemmis cap 52. p. 184.* Nardum Anton. Recchum *de rebus Medicis Novæ Hispaniæ l. 9. c. 14. p. 325.* & ad eundem Fabii Columnæ Lyncei *Additiones p. 893.* Nieremberg. *Histor. Natur. l. 9. cap. 60. 61. 62.* Pisonem *in Histor. Natural. & Med. Indiæ Occidentalis l. 3. sect. 3. p. 97.* Marcgrav. *de Chili regione cap. 6.* Schottum *Phys. Curios. l. 8. c. 26. §. 7. p. 1001.* Deusingii *Dissertationem de Lapide Bezoar, in Fasciculo p. 320.* Harsdorferi *Secretar. German. Part. 6 epist. 37. p. 684.* Salmuth *ad Pancirolli Nova reperta Tit. 3. p. 115* *Aldrovand. de Quadruped. Bisulc. c. 21. 22. p. 311.* Reies campum Elysium *quæst. 67. n. 23. p. 905.* Tavernier. *Part. 2. l. 2. cap. 24. p. 142. Part 3. p. 56.* Francisci Lustgarten *p. 1200. seq.* Grabam *in Præfatione Elaphographiæ*, Ephemerid. *Naturæ Curiosor. Dec. 2. Ann. 2. p. 420. Ann. 3. p. 174* in quibus Auctoribus haud leves dissensiones, tum de genere ipso animalis, tum de lapidis generatione, viribus, atque notis, quibus a supposititiis, quem varium impostores circumferunt, discriminetur offendes.

N. 21. Animal Moschi, i. e. pretiosi ac suavis odoramenti illius in India, Tartaria, Sina, Aldro-

drovandus capris accenset, alii capreis annumerant, alii leporis aut vulpis figura & magnitudine describunt. Qui inter diversas ejus ab auctoribus productas icones eam, quæ exactissima putatur a Luca Schröckio, Med. D. & Physico Augustano, recentissimo solertissimoque Moschi scrutatore, intuetur, inter capras non referet, nec inter capreolos, cum barba & cornibus careat, exertos etiam dentes, quibus animal moschiferum instructum, capreolorum, dorcadum, cervorumque genus nullum ostendat. Cruribus & pilis capreolum repræsentat, vultus lupinus est, collum fere camelinum. Nec minor circa ipsum Moschum est opinionum varietas. Aliis in extuberante quodam ejus bestiæ abdominis receptaculo, ex sanguine vel succo ei analogo concrescit; aliis animal id, persecutione canum prius fessum & anhelans, plagis abunde excipitur, donec tota cutis sanguine grumoso a verberibus canumque morsibus maxime infletur & intumescat; tum, cum incalescit adhuc, pellis ubivis attollitur, & ligaturis strictioribus cum sanguine illo grumoso inclusо circumligatur tota in nodos, deinde statim, vivente adhuc animali, abscissi noduli sanguine illo pleni, pro moscho optimo reservantur, qui sic in bursis coriaceis, ut ab animali abscinduntur, a mercatoribus transfertur. Juxta alios, ex renibus & testiculis conficitur. Aliis ex animalis virgis tamdiu cœsi, donec occidat, tota carne cum sanguine, separatis ossibus, confusa pistaque efficitur. Cumque tam dissona, vel de animali, vel de moscho narrent nonnulli testes oculati, colligendum est, mo-

ſchum variis modis, ex diverſis quoque beſtiis pa-
rari, atque ejus virtutem non eandem eſſe poſſe.

274 *Levitici 16. deſcribitur hircus ἀποπομπαῖος.*]

N. 22. Circa Typum obſerventur (1) Sacerdos offerens; (2) Hoſtia; (3) Finis; (4) Actiones & Ceremoniæ.

N. 23. Sacerdos offerens erat Aaron, & poſt eum quilibet Pontifex ſummus, corpore prius lotus, & veſtibus, non aureis ſuis & ſplendidis, ſed vulgaribus linteis indutus, tanquam in mœrore conſtitutus, & remiſſionem peccatorum ſibi & populo impetraturus v. 3. 4. Ut ſe præparare prius oportuerit Pontificem ſeparatum a domo ſua, ſeptem diebus ante Expiationis diem, legitur *in Maſechet Joma cap. 1.*

N. 23. Hoſtia erant duo hirci v. 5. שעירים i. e. hirci ætatis tenerioris, ſi Kimchio credas, oppoſiti עתודים capris majoribus vide *ſupra n. 1.* Græci reddiderunt χίμαρον, hircum parvulum. Illos oportuiſſe eſſe eodem colore, eadem ſtatura, eodem pretio, adjiciunt Rabbini *in Joma cap. c. 6.* Idem habent Barnabas in *Epiſtola*, Juſtinus Martyr *Dialogo cum Tryphone p. 259. c.*

N. 24. Finis, ut eſſent hirci in peccatum, v. 3. i. e. ſacrificium pro peccato unum, licet modo diſſimili offerrentur. Id confirmatur tum ex v. 9. 10. 21. 22. tum ex lege de perſona vel domo lepra infecta, duabus avibus expianda, quarum una mactabatur, altera viva dimittebatur, Levit. 14, 49. ſeqq. Uti enim ex duabus avibus; ita etiam hircis duobus, licet ceremoniæ adhiberentur diverſæ, unum ſacrificium pro peccato coaluit.

N. 25.

N. 25. Actiones & Ceremoniæ fuerunt vel antecedentes & communes, vel concomitantes & propriæ, vel consequentes.

N. 26. Antecedentes & communes spectabant, vel hircum utrumque vel Sacerdotem. Nimirum tres hircum utrumque, una Sacerdotem.

N. 27. Primò Pontifex hircos accepit e cætu filiorum Israel v.5. utpote pro quo integro expiatio fieri debuit; vitulum, quo se prius expiavit, de suo accepit, notante Lyra.

N. 28. Secundo a Pontifice sistebantur duo hirci coram Jehova ad portam tentorii conventus, v.7. uterque enim DEO pariter offerendus erat, quanquam ratione diversa. Situs utriusque aut statio narratur in Joma & a Maimonide.

N. 29. Tertio Pontifex super utrumque sortem jecit, sortem unam Jehovæ, alteram Azazeli, v.8. & 9. Sortitionis modum non expressum audent describere Judæi in Masechet eit. Pro quibus sors jacta sit ait Sacer Scriptor: nimirum sors una ליהוה Jehovæ, altera לעזאזל Azazeli. Cujus postremæ vocis quatuor sunt famosæ expositiones.

N. 30. Prima est recentiorum pene omnium, per Azazelem ipsum hircum intelligi, qui in desertum emittebatur. Ratio, quia nomen ex עז *ez* caper, & אזל *azal* abiit, compositum est. Unde verba ita interpretantur: *Aaron jaciet sortes super duos hircos, unam sortem Domino*, i. e. in hircum Domino mactandum, *& alteram in Azazelem*, i. e. in hircum in desertum dimittendum. Advocant in auxilium præter alios Græcos interpretes etiam LXX. qui cum nomen azazel semel ἀνεῤῥημένου-

τὸν relinquant, bis per ἀποπομπαῖον, i. e. emissa-rium reddant; nam ipsimet interpretantur διεςαλ-μένον εἰς ἄφεσιν. Objicitur (1) Sensus valde im-plicatus & difficilis evadit: ponat sortes duas unam ליהוה Domino & unam לעזאזל Azaeli i. e. hir-co emissario v. 8. Et hircus super quem ceciderit sors לעזאזל pro hirco emissario, vel ut sit hir-cus emissarius, mittatur לעזאזל in desertum v.10. qui miserit hircum לעזאזל v. 26. (2) non videtur hircorum unus posse dici Azazel, nisi sup-ponatur hircorum alterum dictum fuisse Jehova, quod absurdum. (3) DEUS voce שער אזל po-tius, quam עזאזל usurus erat, cum vox ea sensum clariorem faciat, & de שעירים duobus hircis proxime dixisset.

N. 31. Secunda interpretatio est, Azazel nomen montis esse asperi & prærupti in deserto. I-ta Jonathan, Saadias Gaon, Jarchi, Kimchi, & Hebræorum plerique. Sed (1) nusquam Moses dicit mons Azazel, uti dicit montes Ararât, mons Aba-rim, mons Ebal, mons Garizim &c. (2) nemo in re-gione toties peragrata & accurate descripta memi-nit montis Azazel.

N. 32. Tertia interpretatio est Bocharti, qui conjicit Arabes ex verbo *azala* separare & recede-re, formasse ad formam aliorum multorum no-men azâzil, quod χωρισμοὺς vel ἀναχωρήσεις; i. e. separationes aut secessus significaverit; & ex azâzil hebræos sumsisse suum עזאזל Azazel. Ita hir-corum unum recte dici Domino fuisse servatum, nempe ut super altare mactatus illi esset in cibum, quod de victimis legitur Levit. 21,6. & passim; alte-rum

rum servatum לעזאזל ad azâzel, πρὸς ἀναχωρήσεις, i.e. ut in locum deserti remotum & separatum deducatur, qui vocatur v. 22. terra גזרה *gesera* excisa, aut divulsa a locis habitatis. Qua conjectura nihil posse esse accomodatius ad mentem Sacri Scriptoris statuit Majus *P.1.p.557.* Nam distinguitur hircus ab Asasel v. 10: hircum autem, super quo cecidit sors pro Asasel seu ad Asasel, i. e. ablegandum in Asasel locum desertum, statuat vivum ante Jehovam, ad expiandum super eo, ad dimittendum illum in Asasel, in deserta מדברה *midbara.* Quod posterius vocabulum explicationis uberioris gratia adjectum est. Atque hinc v.21. Asasel plane omittitur, quia *hammidbara* cum He emphatico seu demonstrativo (qvod solum legitur ibi) indicat locum Asasel, qvo mittendus caper sit. Accedit v.22. illum locum describi per terram *gesera* excisam, inviam & asperam. Objicit Spencerus (1) voces originis Arabicæ vix unqvam in Pentateucho reperiuntur: (2) in verbis v.10. *hircus, in qvem cecidit sors ad azazel, dimittatur ad azazelem in desertum*, vox deserti vel azazel otiosa futura est, & tautologiam inferet, cum solitudines omnes sint recessus, aut loci ab hominum freqventia separati.

N. 33. Qvarta interpretatio est, Azazel esse Diabolum. Probant (1) *ex Significatione.* Apud Judæos Azazel dæmonis est nomen, sicut Sammael, Azael, Machazeel, (2) *ex etymologia.* עזאזל est עז אשר אזל capra qvæ ivit, i.e. creatura, quæ principium suum non tenuit, & a DEO descivit: Solent autem in Scriptura dæmones hirci vocari; ut Levit. 17, 7. 2. Chron. 11, 15. (vide supra n. 1.)

Ita

Ita Witſius. Aut componitur ex עז fortis,& אזל abiens,cito recedens,fugiens. Eſt enim Diabolus fortis abiens,aut recedens,qvia a DEO celeriter abiit, & defectionem fecit in æternum ; qvia angeli boni manſerunt fortes ſtantes *Zach.* 6,5. *Luc.*1,19. cum abirent angeli mali *Jud* v.6. qvia dæmones ad locos deſertos abeunt,in iisqve morantur,Devt.32,17. qvia de loco in locum ſemper abeunt,nec uspiam moram faciunt, præſertim ſi repulſam patiuntur , Job.2,2. Matth.12,43. 1.Petr.5,8. Jac.4,7. (3) ex conſtructione verborum, eorumqve ſenſu plano & facili. Ita Spencerus. Enim vero nominati viri docti, Witſius & Spencerus , neutiqvam volunt Diabolo hircum muneris loco oblatum , ne turbaret ſacrificium die expiationis, qvæ horrenda impiaqve fuit opinio Judæorum nonnullorum, Elieſeris in Capitulis,in libro Capthor,Jachiadæ, aliorumqve dicta emollientium R.Moſis Gerundenſis , Lipmanni, Bechai , & Chriſtianorum qvorundam antiqviori ævo, ſuperiori autem Poſtelli,ab ipſo inter Judæos Abarbenele graviter refutata; ſed uterqve aſſerit,etiam hircum Azazelem fuiſſe DEO ſacrum. Et juxta Witſium qvidem miſſus is eſt in deſertum,ut a Diabolo vexaretur; ex Spenceri ſententia, hircus peccatorum omnium immunditiem auferens, ad Dæmones , tanqvam anathema, amandatus,oſtendit (1) eosdem eſſe immundos , populumqve a colloqvio & familiaritate ipſorum ſe elongare debere : (2) flebilem peccatorum omnium ſortem ; ad qvam alluſit Chriſtus in parabola , qva hirci peccatis onuſti ad ſortem & locum Dæmonum ablegantur Matth.25,33.

N. 34. Actio Pontificem maximum concernens

cernens, erat expiatio, partim deprecatione, partim sangvine mactati vituli, pro se & familia sua, qvæ juxta circumstantias imperatur v. 11. seqq. scilicet ut purus mundusqve pro aliis Pontifex expiaret. Confer *Joma cap. 4. n. 2. sqq. cap. 5. n. 1. 2. 3.*

N. 35. Videamus nunc actiones concomitantes & proprias, vel circa hircum pro Jehova, vel circa hircum emissarium.

N. 36. Hircus, qui sorte Jehovæ cesserat, jugulabatur pro peccatis populi, & sanguis illius inferebatur intra velum; quo sanguine primum sanctum sanctorum, dein tabernaculum conventus, tandem sanguine vituli atque hirci permisto, altare thymiamatum expiabatur a peccatis filiorum Israelis v. 15. 16. 17. 18. 19. *Joma c. 5.*

N. 37. His peractis Pontifici negotium cum hirco emissario erat. Primo Pontifex personam populi totius sustinens, hirco manus duas super caput ponebat, ritu in aliis sacrificiis usitato, Levit. 1, 4. cap. 3, 2. cap. 4, 4. & 33. cap. 8, 14. 18. in quibus tamen & una sola manus adhibita. Secundo confitebatur omnia populi peccata. Formula confessionis brevis & accommoda præscripta legitur *in Joma cap. 6.* Iisque ritibus Pontifex & victimam DEO tradebat, & peccata populi in eum transferebat, unaque cum iis iram DEI, pœnasque populi cervicibus imminentes. Tertio hircum peccata populi ferentem tradebat viro, ad id officium destinato paratoque deducendum in desertum, ibique liberum dimittendum. A bestiis laceratum volunt Abulensis, Cornel. a Lapide, Franzius, Varenius, alii. Desertum, in quod extructo templo dedu-

cebatur, ab urbe abfuit juxta Talmudicos *in Joma cap.6.* duodecim milliaria. Lightfoot conjicit, fuisse emissum hircum versus Bethoronem, quæ & 12.mill.passuum distabat ab Hierosolymis, & rupes vicinas habuit horridas asperrimasq; *in Centuria Chronograph. Matthæo præmissa cap.54.*

N. 38. Quibus ritibus lege præscriptis, antiqui Hebræorum Magistri addiderunt (1) Sacerdotem frustum panni in linguæ formam coccinum in capite hirci emissarii alligavisse, ut ab hirco mactando discerneretur, *in Joma cap.4.* Quod ad imitationem gentilium receptum fuisse putat Spencerus, magis pie alibi, ut mox monebimus, sentiens. (2) Hirci piacularis, jam abeuntis in desertum probris & contumeliis onerationem. Nam eum aliqui stimulis urgebant, alii pilos ejus vellicabant, alii frequenti sputo insequebantur, alii cum execrationibus dimittebant, ut in illius caput mala gentis omnia verterentur. Joma *cap,6.* Barnabas *in Epistola*, Tertullianus *lib.3.contra Marcion.* Atque his, & uni modo memoratæ, de panno rubro ad collum hirci alligato, ceremoniis, pie magis, quam ante nunc judicat Spencerus, occasionem dedisse propheticas quasdam scripturas. Cum enim (addit ipse) textus illi, Jes. 63,1. *Quis ille, qui venit ab Edom, vestes rubras habens a Bozrah*; cap.50, 6. *dedi genas meas vellentibus pilos, nec abscondi faciem meam ab ignominia & sputo*; Zachar.12,10. *aspicient eum, quem pupugerunt*, & hujusmodi de Messia dicti merito crederentur; cum etiam hircus emissarius, populi noxas auferens, Messiæ typus & imago prophetica haberetur, fidei consonum est, viros

quos-

quosdam propheticos (ut hircus ille typus illustrior evaderet) instituisse, ut circumdatus coccino, maledictus, consputus, convulsus, compunctus, extra civitatem in perditionem abjiceretur, manifestis inde notatus insignibus Dominicæ passionis, uti loquitur Tertullianus *l.c.* (3) Hirci piacularis a summitate rupis ad ima præcipitationem, *in Joma cap. 6*, quam Rabbini sine dubio jusserunt fieri, postquam aliquando emissus hircus e deserto rediisset, de quo mala populus sibi præsagire solebat, aut alia ratione quadam inducti, de qua Spencerus conjectat. (4) panniculi coccinei divisionem, quam ante præcipitationem hirci ductor faciebat, dimidium rupi affigens, dimidium inter cornua ejus alligans. Tradunt Gemarici in Joma *cap.* 5. linguam coccineam olim alligatam fuisse ad ostium porticus exterioris, aut etiam interioris, & cum albesceret illa præcipitato hirco, lætatum esse populum, utpote de remissione peccatorum certissimum, juxta Esa, 1, 18: *Si rubra ut coccinum fuerint peccata vestra, tanquam nix exalbescent.* Si rubra maneret, mœstum illum, ejulantem & confusum stetitisse. Ob quam causam Rabbinos statuisse, ut hircum in desertum ducens, partem ejus ad rupem, & partem inter cornua hirci alligaret, ejusque mutationem observaret & referret. Id signum remissionis peccatorum, annis quadraginta ante templi Hierosolymitani secundi excidium desiisse fieri, neque lucernam vespertinam amplius exarsisse, templi autem fores per se patuisse, iidem Talmudici adducunt *in Joma cap. 4.* Atque uti id, quod de foribus templi sponte apertis dicunt, non vanum esse docent Evange-

listæ, velum templi medium scissum esse, patiente Christo, annis quadraginta ante templi desolationem, memorantes: ita de panno coccineo, in festo Expiationis albescente, traditioni Judaicæ aliquid tribuunt magni nominis nonnulli Theologi: alii tamen fabulis annumerare non verentur, in quibus cudendis Talmudistæ sunt studiosissimi.

N. 39. Actiones consequentes fuerunt: (1) Pontifex exutis vestibus lineis, & corpore abluto prius, indutus deinde vestibus, in signum lætitiæ, Pontificalibus, docente Lyra, holocaustum pro se ac populo obtulit. v.23.24.25. Traditio est, Pontifici in reliquo cultu sacro non licuisse pergere, donec is hircum in desertum venisse comperisset. Postquam igitur panniculus croceus non amplius portæ templi affigeretur, quo inalbescente cognoscebatur, peracta esse omnia cum hirco, inter Hierosolymam & Zuck lapides erexerunt, quibus stabant speculatores, & cum hircus ad desertum accessisset, qui proxime desertum stabat, agitavit sudarium, quo viso reliqui omnes ordine signum dederunt, ut fama hujus rei ad Sacerdotem celeriter perveniret, *Joma cap.6.* (2) Vir hircum deducens lavare vestes & corpus suum tenebatur, antequam in castra reverteretur, v. 26. (3) Juvencus, quem Pontifex pro se obtulerat, & hircus, quem obtulerat pro populo, efferendi erant extra castra, ut ibi pelles & caro, & fimus eorum comburerentur, v. 27. Comburentes itidem lotionibus, uti Pontifex, & Hirci deductor se purgare debebant. Scilicet cum hircus ille *κάθαρμα* publicum esset, Israelitarum omnium peccatis oneratum, omnes circa id versa-

t

ti contagionem & immunditiem quandam, ex ejus contactu contrahere censebantur.

N. 40. Hæc nos breviter, de Sacrificio piaculari solennissimo & anniversario Judæis, diximus, quæ prolixius legi possunt in Joma, Codice Talmudico, sæpius citato, (quem de sacrificiis die expiationis peculiariter tractantem, ex hebræo sermone in latinum vertit, & commentariis illustravit Robertus Sheringhamus Cantabrigiensis; in Bocharti *Hierozoico P. 1. l. 2. c. 54. toto*, in Frischmuthi *duabus Dissertationibus de Hirco emissario, Jenæ 1664. & 1668. habitis*, in D. Pfeifferi *Dubiis vexatis ad Levit. 16.* in Spenceri *de legibus Hebræor. Ritual. lib. 3. Dissert. 8. de Hirco emissario satis diffusa.*

N. 41. Illius autem sacrificii solennissimi emblemate repræsentatum Christum, plurimi Christianorum agnoscunt, licet in applicatione ceremoniarum hactenus recensitarum, non ubique ab omnibus admodum convenienter facta, differant. Duas rationes applicandi monstravit ipse Franzius, præter cujus Scholam sacrificiorum, evolvendi Balduinus *in Passionali typico Part. 2. p. 10. seqq.* Gerhardus *Homil. part. 1. p. 736.* Botsaccus *alleger. p. 565. & 437.* Ursinus *in Adversariis Sacris p. 545.* Mulleri Θεολογ. *Bibl. p. 229. seqq.* Bochart. *l. c. col. 660.* Majus *P. 1. p. 558.* Witsius *de Oeconomia Fœderum DEI l. 4. c. 6. n. 58. seqq.* Bene omnia fluent, si Hircum utrumque pro uno sacrificio capias juxta n. 24. dicasque, Christi passionem utroque hirco adumbratam: & priore quidem, qui mactabatur, ipsum actum expiationis, quæ facta est profusione sanguinis, & immolatione in ara crucis; posteriore, qui

in desertum emittebatur, fructum immolationis, qui erat deportatio peccatorum nostrorum e conspectu DEI, ut impunes relinqueremur, Christo pro nobis pœnas luente. Atque ita etiam ratio ordinis apparet, cur post jugulatum priorem hircum, alteri peccata longe auferenda imponerentur. Nam ablatio peccati fieri non potest absque sanguinis effusione Hebr. 9. quod caput lucem Sacrificio huic expiatorio magnam affert. Utrumque quidem præstabatur in sacrificiis ordinariis, sed quia posterius non ita conspicuum erat in cæteris, peculiari symbolo DEUS adumbrare illud voluit in solenni hoc festo, ad majorem populi consolationem. Ita similiter in purificatione leprosi, altera avis mactabatur, altera, sed postea quam sanguine mactatæ tincta esset, ad liberum in agros volatum dimittebatur, ut eo modo, tam ipsa leprosi mundatio, quam mundationis certissima demonstratio significaretur. Alias circumstantias non paucas accommodandi modum, sumere poteris ex iis, quæ de Vaccæ rufæ typo disseruimus.

N. 42. Quam bene autem omnia cohærere feceris, sordebunt tamen Spencero pleraque, ex cujus doctrina DEUS legem de hircis, gentilium moribus se accomodans, præcipue tulit, ut τεραπολατρείαν, cui in Ægypto addictus fuerat populus extirparet, simulque opinionem, de duobus rerum principiis, uno bono, altero malo eradicaret. Confitetur tamen ipse, evidentia scil. rei convictus, *nonnullas Christi figuras, obiter, & quasi aliud agentem DEUM, institutis legis medias interseruisse; Christum in nonnullis expiationis institutis, noctis tam*

claris

claris expressum, ut neminem e Judæis oculatiorem paulo latere potuerit; ritus expiationis nonnullos plane typicos fuisse, & ad prototypi similitudinem tam scite & sapienter effictos, ut eorum intentio, & instituendi ratio a captu quovis vulgari facile percipiantur; DEUM expiationem hircis duobus, ἱλαστικῷ uno, altero ἀποδιοπομπαίῳ fieri voluisse, ut in iis expiationis olim a Christo faciendæ natura & integritas, aut perfectio repræsentaretur. Junge piam Spenceri meditationem n.38. relatam. Quæ vero dedit Spencer, rursus aufert scribendo: *usum mysticum hircorum, hebræorũ vulgarium captum excessisse procul dubio, nec eorum centesimam partem, ultra legalium eorum institutorum superficiem penetrare potuisse:* & rursum: *si piaculares hirci tot rerum Evangelicarum figuras, easque tam claras exhibuerint, Mosen Christi passionem &c. magis aperte, quam ipsos Prophetas prædixisse, & DEUM ad explicationem Evangelii non per gradus, sed saltus processisse.* Ex concessis a Spenero, argumentum in eum fecimus cap.3. n.15. extremo.

CAPUT XXIV.
DE SIMIA.

Etiam notum est animal, cum quo cognationem habet &c.] 278

N. 1. Simia vel Simius, sed fere apud Poetas, media inter hominem quadrupedumque genus bestia, atque utrique communis, ex judicio Aristotelis *l,2. histor. c. 13. sect. 83.* suo nomine vulgo accepto tot species, forma, colore, cauda, jubis, barba,

barba, magnitudine differentes complectitur, ut non parum facessat negotii historiæ ordinem meditanti. Omnes tamen in hoc conveniunt, quod hominis figuræ proximæ, posterioribus cruribus erigantur, ad omnia dociles sint & imitatrices.

N. 2. Summa earum genera, præeunte Scaligero *in Commentar. ad l. c. Aristotelis*, duo constitui possunt, alterum sine cauda, alterum caudatum.

N. 3. Cauda carens vulgarem simiam continet, & Cynocephalum. Vulgaris & glauco, & viridi, & croceo est colore. Reperitur in Africa, & in India tam Orientali, quam Occidentali. Ad nos ex iis regionibus delata haut raro hodie conspicitur. Olim circa ann. 1494. Simiam Domino pagi elapsam, in silva reperientes rustici Bohemi, magno concursu facto, pro dæmone occiderunt: in cujus facti memoriam Dominus stultorum pagum posthac appellari voluit, rusticisque censum annuum imposuit, quem hodieque pensionem simialem appellant. Balbin. *Miscellan. Regni Bohem. Dec. 1. lib. 1. cap. 60. p. 135.*

N. 4. Cynocephalus, i. e. Caniceps, caput habet caninum, corpus reliquum Simiæ vulgaris, qua major, validior, efferatior. Hodie Itali babuino, Galli babion, Belgæ baviaen, Germani Bavian vocant, consentientibus Gesnero, Aldrovando, Vossio de Idolol. l. 3. c. 74. Babionem a Cynocephalo distinguit Charlethon in Onomastico, nullam tamen illius descriptionem afferens. Bestia est faceta admodum & docilis, sed & salacissima. Carolus I. Rex Angliæ, referente Charlethone

unum

unum in aula sua servabat, sed post biennium sclopeto confici jussit, ob insignem salacitatem. Fuit enim tam solutus, ut ad primum puellarum aulicarum conspectum libidine effervesceret, & in amplexus ruere auderet. Imago hæc esse potest, stolidi & inepti proci.

N. 5. Caudatorum Simiorum species multæ sunt. Omnes Cercopitheci i.e. Simii caudati ex rei veritate appellantur, (κέρκος enim caudam, & πίθηκος simiam significat) sed usus significationem tam generalem non patitur.

N. 6. Primo enim Cercophithecus vulgo dicitur Simius, canino capite ac dentibus, insidiosus, cauda valde prolixa, colore croceo. Italis Gatto maimone; catus, quod more cati caudam gerat; maimone, vocabulo a græco μιμὼν, simia detorto, docente Aldrovando: Gallis Marmot, quasi marmona, i.e. maris simia; mona enim Hispanis simia est; Germanis Meerkatz / i.e. marina felis; marina quidem, quasi trans mare advecta, uti Romani struthionem dixere passerem marinum; felis autem Italorum exemplo. Differentias alias Cercopithecorũ, vel in America, vel in India Orientali, vel in Africa, recensitas a Gesnero *p.968.* Aldrovando *de Quadruped. Digitat. vivip. l. 2. c. 6. fol. 245.* Scaligero *in Commentar. ad l. c. Aristot. f. 197. seq.* Lerio, *in Historia Navigationis in Brasiliam cap. 10. p. 122. seqq.* Joan de Laet. *in Descript. Indiæ Occidental. l. 15. c. 5. f. 553.* Dappero *in America p. 624.* Clusio *in Auctario ad lib. 5. Exoticor. post cap. 15. f. 370. seqq.* Nieremberg. *Histor. Natural. l. 9. c. 44. seqq.* Nardo Antonio Reccho *Rerum Medicarum Novæ Hispaniæ l. 9.*

c. 7. fol. 318. Marggravio *Histor. Natural. Brasil. l. 6. c. 5. fol. 226.* Erasmo Francisci im Lustgarten/ *fol 385. & seqq.* Dappero Africæ *f. 380. 458.* in Descript. Insular. African. p. 32. non sine molesto labore statues, etiamsi alium *Barbatum*, alium *Erectum*, alium *Leoninum*, alium *Moschatum*, alium *Ambiguum*, cum Jonstono satis commode feceris. Non omittendum hic κῆβον, κῆπον, aut κεῖπον, Romanis Cepum aut cephum, Hebræis קוף *Koph*, juxta Vossium *l. d.* & Bochartum *Part. 1. col. 994.* ejusdem esse originis & significationis voces: & Vossius quidem græcas & latinas deducens ex hebræo, simiam aut Cercopithecum interpretatur; Bochartus autem putat קוף esse ex nomine Æthiopico Cephus, de quo Plinius *l. 8. c. 19.* Solinus *cap. 33.* notareque Simiæ genus Æthiopium, aut Troglodyticum, quod Salomonis classis, ex Troglodytis in ora Æthiopiæ secum adferebat, 1. Reg. 10, 22. & 2. Paral. 9, 21. cum vulgares Simiæ in ea Africæ parte maxime abundent, quæ ab Ægypto extenditur, usque ad columnas Herculis. Verosimile autem valde est, si κῆβον habeas pro cercopitheco vulgari, non esse κῆπον cephum, quod & descriptio hujus peculiaris sit apud Strabonem *l. 16. fol. 775. ex Artemidoro*; Diodorum *lib. 3. Bibl. fol. 168* Ælian. *l. 17. hist. anim. c. 8. ex Pythagoræ libro de mari rubro*, & is duntaxat semel Romæ visus scribatur, cui & Simiæ vulgares & Cercopitheci haut raro procul dubio conspecti.

N. 7. Secundo est Sphinx a Plinio, Solino, Agatarchide apud Photium, Diodoro Siculo recensita, ex Simiarum Æthiopicarum genere, cujus reliquum corpus hirsutum est, sicut cæteris Simiis, pe-

ctus

ctus vero ad collum ipsum usque glabrum; quæ mammas muliebres habet, faciem rotundam admodum, & quæ ad muliebrem formam accedit, uti spectatores ejus delinearunt Philostorgius *l. 3. histor. Eccles. c. 11.* Pierius Valerianus *Hieroglyph. l. 6. c. 11.* Confer. Spanhem. *libr de præstantia Numismat. p. 210.* Camerar. *Cent. 1. Subcis. c. 71.* Germanis nominatur Jungfrauaff. Poetarum Sphingem fabulosam explicant Mythologi. vid. præter Natalem Comitem Mytholog. l. 9. c. 18. Philostorg. *l. c.* Camerar. *l. d.* Gesnerum *l. 1. de Quadruped. f. 979.* Salmuth *ad Pancirol. l. 1. Tit. 32. p. 106.*

N. 8. Tertio est Satyrus, cujus descriptio ex Solini *cap. 30.* petita est; uberior habetur apud Philostorg. *l. c.* Tulpium *Observ. Medicar. l. 3. p. 274. & seqq.* Jacob Bontium *Histor. Natur. & Med. l. 5. c. 32* Gassendum *in vita Peireskii lib. 5. an. 1633. Tom. 5. Oper. fol. 314.* Confer Spanhem. *l. c. p. 214.* Quemadmodum autem Cynocephali Simii occasionem fabulæ dederunt, ut homines quidam tales putarentur, sic Satyri, rarius & majoris admirationis Simiarum genus, ab aliquibus veterum homines silvestres, ab aliis dæmones crediti sunt, quibus Poetæ, & Simii eorum pictores plastæque, caprinos pedes & cornua affinxerunt, ut admirationem & superstitionem augerent, ceu non sine ratione post Philostorgium Gesnerus opinatur *p. 974.* Itaque, qui viri docti negant Satyros, inter quos plurimos Bochart. *P. 2. Hieroz. l. 6. c. 7.* hominum genus silvestre eo nomine intelligunt.

Accedit hoc animal, in pluribus particulis corporis, proxime ad similitudinem corporis humani.] 279

N. 9. Si-

N. 9. Simiam, imitationem ridiculam hominis quoad animam & corpus appellavit Galenus *de Usu Part. l.3. c. 8. l. 13. c. 11.* Ut alias convenientias omittamus, Simia & pectus latum, & claviculas, & scapulas, humerique articulationem humano similem habet, secus ac reliqua quadrupeda, quorum acuto thoraci conjuncta ossa lata scapularum, ac crura etiam anteriora ad solam ambulationem firmata. Nihilominus, ut differentias etiam alias taceamus, Simiæ crura posteriora, ab humanis admodum diversa sunt, quoad concavitatem, defectum genuflexionis, & carnium circa ischia. Unde nec stare, nec currere, nec sedere illa bene potest; immo inter genus bipedum & quadrupedum ambigit. Vide *supra n. 1.* & Galen. *l. c.* Blasii *Anat. Animal. part. 1. c. 33.* Konigii *Regnum animal. p. 99. & 104.*

383 *Diabolus semper solet esse Simia DEI.*]

N. 10. Legendus in hanc rem est peculiaris Dilherri *liber an. 1640. Jenæ editus*, qui inscribitur: DEI Simia Diabolus, seu Caeozelia gentilium. Inter Germanorum proverbia est: Der Teuffel ist unsers HErrn GOttes Affe / apud Joh. Agricol. deutsch. Sprüchwört. *n. 24. p. 17.*

MORALIA.

I. FIDEI AMISSIO PERICULOSA.

Simias in India venatores capiunt duobus modis. Uno, cum eas in arbore consedisse viderint, pelvim aqua plenam in conspectu ponunt, oculos sibi ea abluentes: postea visco pro aqua posito abeunt,

eunt, atque eminus insidiantur: ubi animal ex arbore descenderit, & sese visco illeverit, & conniventi palpebræ cohæserint, accedentes vivum capiunt. Alter modus est; culeos in braccæ modum induunt venarores,& abeunt, aliis relictis villosis & visco illitis,quos cum induerint Simiæ, capiuntur. Strabo *l. 15. f. 699.* Hæc est ars dæmonis, qui fidei primum & rationis lumen hominibus extinguit, ut occœcatos capiat, ac in malorum voraginem præcipitet. Theodoretus *Oratione de Fide:* Quod est oculus in corpore, hoc est fides in mente.

II. DIABOLUS HYPOCRITAS DETEGENS.

FOemina superba Parisiis, alterius defunctæ, suo instinctu abscissos capillos pulchre aureos, quasi suos diu gestaverat. Cum aliquando in deductione nuptiali ad templum,præ aliis pulchra sibi videretur, Simia rupta forte catenula soluta in illam solam insiliit, ac capillitium detraxit, ut calva illa stans ab omnibus rideretur. Mulieri huic similes illi, qui imaginaria sua justitia, & operibus suis hypocriticis, instar Pharisæi Luc. 18, 11. 12. coram DEO & mundo se efferunt, iisque ornati ad nuptias agni venire volunt Apoc 19,7. Talibus Diabolus tempore tentationis larvam detrahet, eosque in die ultimi judicii nudos & deformes, coram Angelis & electis sistet. Moller *Allegor. p. 384.*

III. PARASITI, SCURRÆ.

IN Indiæ Orientalis arundinetis a viæ utraque parte densis, inultæ Simiæ in greges sibi infestos divisæ degunt. Eas ad jucundum spectaculum evo-

caturi, vascula oryzæ legumine referta quinque vel sex, ad intervalla 40. vel 50. passuum disponunt, appositis ad singula quinque vel sex baculis. Retrocedentibus aliquo usque hominibus, statim accurrunt Simiæ ex utraque parte vasculis, ringunt mutuo, aliquando propius accedunt, aliquando recedunt, verbera metuentes. Tandem audaciores ex iis vascula invadunt, oryzam voraturæ. Sed adversariæ impedituræ baculos apprehendunt, verbareque gustantes incipiunt; & hæ verberatæ vicissim baculos arripiunt, sicque mutuo se fustigant inter risus & cachinnos spectantium, donec imbecilliores cedere, & escam relinquere victricibus cogantur. Tavernier *Part.2. l.1. c. 18. fol. 69.* Parasitos & scurras Principes viri ad mensas suas advocant, ut gestibus verbisque se mutuo exagitent ac vexent; ex quibus ineptiis, ac verbis plusquam otiosis, assidentes profanæ mentes delectationem maximam capiunt, illætabilem piis, ac Sanctis Angelis assistentibus.

CAP. XXV.

DE GULONE, ET SCIURO ET MUSTELIS VARIIS, COGNATISQUE QUIBUSDAM.

GULO.

287 *Gulo est animal quoddam veteribus incognitum.*]

N. 1. Gulonem, Germanis Vielfraß/ (male Wildfraß in Scaligeri *Exercit. 203.*) aut Hyænam

nam esse Septentrionalem, aut bestiam ei similem qui putarunt, allegati sunt *cap. 20. n. 13.* Iis junge Bochart. *P. 1. col. 837.* Majum *P. 2. p. 843.* Descriptio desumta est ex Olai *l. 18. c. 7.* cum qua conferenda Schefferi *in Lapponia cap. 29. p. 339.* Animal non in terris modo degit, sed plerumque etiam in aquis more lutrarum, quibus majus est & validius. Unde aliqui ad lutras referunt. Quod Olaus narrat *cap. 9.* illud ubi cadaver reperit, violenter se cibo implere, ut tympani instar venter extendatur, & ob id angustia inter duas arbores inventa se stringat, & violentius quod ingestum est egerat, atque sic extenuatum ad gulam & cadaver redeat, donec totum absumat, ii, qui in Norvvegia fuerunt interrogati, inauditum sibi esse fassi sunt Joanni Fabro Lynceo *p. 489.*

SCIURUS.

Sciurus notissimum animal.]

N. 2. Græcis σκίουρος, a σκιὰ, umbra, & οὐρὰ, cauda. Ex vocabulo Sciuri, Gallorum est escurieu, vel escureau, hodie un écureüil: ex Gallico detortum putat Gesnerus, Eichhorn / vel Eychorn. Verosimilius est Germanos primum vocasse Eichhermlein / i. e. mustelam quercuum, uti etiam non pauci Animalium Scriptores appellant: Unde corrupta vox nata Eichhörnlein / & porro Eichhorn. In Germania intra primum ætatis annum, observante Alberto M. Sciuri nigri sunt, rubent tantum non omnes adulti, nisi quod in Franconia nigros æque frequentes perhibeant. In Polonia rutili cum cinereo repetiuntur, quales mul- 289

ti

ti etiam in Bohemia: in Russia toti cinerei, in Helvetia rutili & nigri plurimi, aliquando & albi capiuntur. Italia fere omnes educat nigriusculos: Americani nigri admodum existunt, sed & alii aliter colorati: Nieremberg. *l. 9. hist. natur. c. 34.* Dapper *Amer. p. 289.* In India albos magno numero conspexit Della Valle *Part. 4. f. 33. b.* In Lapponia, per quam incredibiliter multi sunt, aliisque Septentrionalibus regionibus, colorem mutant quotannis, & appropinquante hieme pro rufo griseum accipiunt, qui maxime in pellibus eorum æstimatur. Color hic, quo longius septentrionem versus degunt, hoc est incorruptior, minusque permixtus cum rufo, item, quo tempus anni longius abest ab æstate. Itaque in media hieme præcipua est eorum venatio per ictus telorum obtusorum, in æstate nulla. Schefferus *in Lappon. c. 29. p. 342.* Agricola Sciurum ad glires, alii ad mustelas, Matthiolus ad mures reducunt. Certe Sciurus tum dentibus, quales omnibus muribus sunt, instructus est binis anterioribus in superiore, & totidem in inferiore maxilla latis & longis, tum iisdem fere cibis delectatur. Vid. Joan. Fabrum *p. 584. seqq.*

N. 3. Species Sciuri constituitur Mus Ponticus Aristoteli & Plinio nominatus, quod a regionibus ad septentrionem circa Pontum peteretur, ad usum ornatumque vestium; alias Varius vel varus a colore, venetus a Venetis vel Venedis, Sarmathiæ olim gente; Germanis Fech vel Wech/quasi Fennicum aut Venetum, aliis Werck/forte ex vario; aliis expresso etiam coloris nomine, grauwerck i. e. varium, canum, vel cinereum. Differt autem

Sciu-

Sciurus iste varius a nostrate solo colore. vid. Gesner. *lib. 1. f. 839.* Aldrovand. *l. 2. de Quadrup. Digitat. Vivip. c. 27 f. 403.*

MUSTELA.

Ita appellatur quasi mus longior]

N. 4. Est etymologia Isidori *l. 12. de Origi-* 291
nib. c. 3. Juxta Vossium *in Etymolog.* deducitur a mus; tela est vocis productio. Aliorum opiniones invenies apud Gesner. *l. c. f. 858.* Aldrovand. *l. d. cap. 15. f. 307.* Joan Fabrum Lynceum *de animal. Novæ Hispaniæ fol. 586.* Germani ex sono, qvem edit, acuto, sibilisqve serpentum valde simili, per onomatopœiam appellant, Wisel vel Wisele / observante Agricola *in libro de animantibus subterraneis*, & assentiente Gesnero *fol. 852.* Hebræum חלד *choled* Levit. 11, 29. omnes Scripturæ interpretes, Hebræi, Chaldæi, Syri, Græci, Latini, Germani, Itali, Angli, Belgæ, & Lexicographi vertunt mustelam, ubi talpam intelligi contendit Bochartus *P. 1. lib. 3. c. 35.* licet Talmudicis Doctoribus חולדה *chulda* plerumqve sit mustela. Rutæ esum ante pugnam cum serpente, licet Ælianus *l. 4. hist. an. c. 14.* Plinius *l. 8. c. 27. l. 20. c. 13.* aliiqve veteres referant, in fabulis habet Rollenhagen cap. 14. der warhafften Lügen. Colorem mutant mustelæ; æstate fuscæ aut subrutilæ conspiciuntur, hieme candidæ, atqve hæ, nisi qvod cauda in mucronem desinat nigerrimum, Armelini (Hermeli vel Hermelein) nominantur. Confer Schefferi *Lappon. c. 29. p. 343.* Species sub genere mustelæ comprehenduntur, tum domestica, tum silvestris. Silvestris porro alias sub se continet ab Auctore recensitas, cui jun-

gendi Agricola, Gesnerus, Aldrovandus *ll. cc.* Matthiolus in Dioscorid. *l. 2. c. 24.* & Wagnerus *Helvet. curios. p. 180. sqq.*

Levit. 11. v. 29. prohibetur mygale.]

294 N. 5. Vocem hebræam, qvæ *l. c. v. 30.* legitur, אנקה *anaka*, Græci & Hieronymus verterunt μυγάλην, mygalen, i.e. murem mustelino colore, qvi Latinis mus araneus, aut a veneno, qvod illi commune est cum aranea, aut, qvod aranearum instar sublimia petat, & vel per aciem gladii illæsus gradiatur, peracuto rostro, serpentinis dentibus est præditus: per totam Italiam, & præcipue in Tridentino solo, deinde etiam in Germania vagatur, non tamen in frigidioribus regionibus venenatus est. Aldrovand. *l. 2. de Qvadruped. Digitat. Vivipar. l. 1. c. 33. f. 441.* Helvetii nominant Mützer/ reliqva Germania Spitzmauß/ ab acuta rostri figura, aliqvi Zißmauß a voce. Gesnerus *lib. 1. de Qvadruped. f. 845.* At Bochartus *P. 1. l. 4. c. 2. col. 1065.* calculum suum addit qvatuor veteribus Interpretibus, Syro, Samaritano, Arabi Erpeniano, & alteri Parisiis edito, qvibus l. c. *anaka* est lacertæ species, ab acerbo stridore sic appellata.

MELES seu DACHSUS.

Huc etiam referri debent Meles seu Dachsi.]

296 N. 6. Omnes Auctores hodie conveniunt Melem & Taxum idem animal significare præter Salmasium, qvi *in Plinianis ad Solinum Exercitationibus fol. 1009.* ex Varrone conatur elicere, Melem veterum esse mustelam, putorium. Meles seu Melis fœminini generis est apud Grammaticos, Alberto M. & recentioribus qvibusdam masculini, uti felis:

felis: dicta videtur a *μέλι*, qvia est animal avidum mellis. Taxus, Taxo, (*taxonis*) Alberto & aliis Daxus pro mele, est vox novitia, qvæ vix legitur usurpata ante Scriptorem operis de mirabilibus Scripturæ inter Augustini Opera repositi, &, ut videtur, sæculo septimo aut octavo scripti, in cujus *lib. 1. c. 7.* vulpes, taxones, lepusculi, & sesqvivoli (forte *sciuruli*) conjunguntur. Originem agnoscit Gallicam secundum Bochartum. Nam taxea lardum Gallice dicitur, apud Isidor. *Origin. l.20. c.2.* Inde Taxo nominata bestia, qvæ habet cum Sue communem pingvedinis abundantiam, Italis Tasso, Vasconibus Taisson, Francis Blereau notante Harduino ad Plin. *l.8. sect.58.* Est carnivora, cuniculorum pernicies, anseribus etiam & gallinis insidiatur, & nefrendes porcellos integros vivos ad cavernam trahit. Cicuratur tamen, ut animalibus cæteris non noceat, & instar canis herum comitetur. Dn. ab Hohberg. *Georg. curios. Part.2. lib. 12. c.72.* Anatomia ejus exstat in Ephemer. Natur. Curios. Dec.II. An.V p.55. confer Brovvn. *Pseudodox. Epidem. l 3. c.5.* Hebræi, qvorum princeps R. Salomo *in Ezech. 16, 10.* propter allusionem vocum, תחש *thachasch* taxum, seu taxonem esse statuunt, qvos seqvuntur recentiores omnium lingvarum Interpretes, Exod. 25,5. cap.35, 23. c. 26, 14. c.36,18. c.39,34. Num.4,6.8.10.11.13.14. qvibus locis pelles תחשים *thachaschim* taxorum vertunt. Qvod qvam inconveniens sit, elucescit ex Ezech.16,10. ubi inter ornamenta Sponsæ, i.e. Ecclesiæ Judaicæ recensentur calcei, *thachasch*, qvibus melinis seu taxeis, ne lixæ qvidem & calones libenter utuntur. Rectius ergo Scripturæ Interpretes veteres, Græci Seniores, Aqvila,

la, Symmachus, Hieronymus reddiderunt pelles hyanthinas aut hyacinthinas. Eum enim colorem voce תחש significari, confirmat Bochart. *P.1.col.985.*

ECHINUS.

198 *Notissimum hoc est animal*]

N. 7. Echinus minor, seu Ericius, Erinaceusve terrestris, Germanis ein Igel / Belgis ein Eysern Verckel / qvasi porcum ferratum dicas, ob duplicem rostri figuram, aut caninus est, ein Hunds-Igel / aut porcinus ein Sau-Igel : Hoc animal, omnium fere regionum, rigidissimos in cute gerit aculeos, qvi vix gladio secantur : in orbem rotari potest propter musculum, per totum dorsum longum & latum, qvi cutem contrahit. Anatomicas circa ejus partes alias observationes petere licet ex Joan Fabro Lynceo *de animal. Nova Hispan. f.484.* De Blegny *Zodiaco Medico Gallico An. Secundo sive 1680. mense Junio, Observat. III. p.123.* Blasii *Anatome Animal. Part.1. cap. 15.*

N. 8. Echinus major sive Hystrix, i. e. Sus setosa, Italis porco spinoso, Germanis ein Stachelschwein / aliis Dornschwein / item Meerschwein vulgo, qvod incognita & peregrina pleraqve marina & transmarina solet appellare, freqvens in India, Africa, Syria, Persia.

N. 9. In Sacra Scriptura קִפּוֹד *Kippod* est Hericius juxta Græcos, Hieronymum, Hebræos, Arabes, sub qva voce etiam hystrix comprehenditur. Atqve si hanc intelligamus, ubi Prophetæ minantur, fore ut populosæ urbes, qvales in Chaldæis Babylon, in Assyria Ninive, & Bostra in Idumæis, hystricibus

bus in hæreditatem cedant,res eo magis ad horrorem comparata erit. Hystrix enim hericio & major & ferocior est, & propter missiles spinas, qvas in canes & venatores, immo & leones, lethiferas certo destinatoqve ictu vibrat, longe terribilior. vid. Tavernier *Part.1.l.4.c.3.f.159.* Ita Jes. 14, 23. de Babylone: *Ponam eam in possessionem Kippod*, (i.e. terrestris echini,) *etiam stagna aqvarum* (i.e. non modo desolabitur urbs,sed & vicina stagna sic exarescent, ut tam apta futura sit in iis, qvam in urbe echino terrestri sedes,qvi locis aridis maxime delectatur.) Sophon. 2, 13. poni dicitur Ninive in desolationem & siccitatem,atqve ita demum fieri, ut *Kippod* in ea diversetur,v.14. Et Esa. 34,11. anteqvam Idumæa tradatur in possessionem *Kippod*, mutantur in picem torrentes, & pulvis in sulphurem.Consule Bochart.*P.1.l.3.c.36.* Mülleri *θηρολογ. Bibl.p.323.*

FIBER vel CASTOR.

Fiber animal est ἀμφίβιον &c.] 301

N. 10. Germanis Biber per plurimas Europæas regiones invenitur, nisi qvod in Anglia, ubi etiam olim fuit, hodie nusqvam compareat, teste Merreto *in præfat. ad Pinacem Rer. Natural. Britan.* In America magno sunt numero. Dapper *p. 146.* Castoreum in testiculis non continetur, uti Franzius tradit ex vetusto errore, qvem adhuc Kircherus *in Arca Noæ l.1.sect.3. c.5.p.72.* asservat, sed prope anum peculiaribus receptaculis seu folliculis membranosis,ab utroqve latere, in fœmellis æqve ac in masculis est involutum. vid. Rondeletium *libro de amphibiis cap. 8.* Saracenum in Dioscorid. *l.2. c.26.*

Matthiolum in Dioscorid. *l.2.c.23.* Acta Philos. Angl. an. 1669. mense Julio *p. 832.* Ephemerid. Naturæ Curios. Germ. *Dec.1.An.2.& 3. Observ. 251.p.349.* Blasii Anatomen Animal. *part.1. cap. 10.* Dn. ab Hohberg *Part.2.l.11.c.111.* Brovvn *Pseudodox. Epidem. l.3. c.4.* Acta Eruditor. Lips. an. 1684. mense Augusto *p. 360.* Joannis Marii Physici Ulmani, postea Augustani *Castorologiam, cum additamentis* Joannis Franci, *August. Vindel. 1685.*

LUTRA.

302 N. 11. Aliis canis fluviatilis, qvia in morem canis prædam inqvirit in aqvis. Vitam agit in regionibus, qvibus piscosæ aqvæ. Qvare in Italia, Gallia, Germania, Helvetia, Sarmathia freqvens. Nec in India deesse scribitur. Et cum Castor circa fluvios tantùm, lutra circa flumina & lacus versetur, pestis piscium maxima est, qvippe qvos optimos capit, & plures, qvam vorare potest, morsu enecat. Caro frigida, fœtida, & insalubris est. Unde & Carthusianis Monachis ejus esus, pariter ut Fibri conceditur. Gesner. *lib.1.p.777.* Conf. Aldrovand. *de Qvadruped. Digitat. Vivipar. l.2.c.12.f.288.* Dn. ab Hohberg *P.2.l.11. cap.112.* De Latace, aliisqve lutræ congeneribus bestiis Gesnerus legatur *l. c.* Similis Cani fluviatili est canis marinus amphibius in litoribus etiam Pomeraniæ, longo collo, qvod extendere & contrahere potest, oculis splendentibus, & multos colores variabiles exhibentibus, dentibus fere lupinis, pilis albicantibus, lingva bifida, pedibus prioribus caninis, posterioribus anserinis. Viviparus est, piscibus vivit; agros, vineas & hortos litoribus adjacentes vastat.

stat. Plura ex Micrælio & Jonstono Dn. ab Hohberg. *l. c.*

Simul sub Ohim & Zibim intelligi debent, Jes. 13, 21.] 303

N. 12. ציים *Tziim* esse feles agrestes, dictum *cap. 18. n. 3.* אחים *Ochim* non est genus animalis, sed ferarum ululatus, qvibus deserta persotant, prout Græci & Arabes interpretes acceperunt: confirmat Bochart. *Part. 1. col. 865.* Itaqve verba Prophetæ sic reddenda: *Et recubabunt ibi feles, & replebunt domus eorum clamoribus.*

MORALIA.

I. GULONES, HELUONES.

PEllis Gulonum commoda ac pretiosa æstimatur. Gaudet enim fuscata nigredine, instar panni Damasceni diversis ornata figuris, atqve pulchrior aspectu redditur artificum industria, qvi colorum conformitatem pro vestium genere coadunant. Soli Principes & magnates eo indumento, tunicarum more confecto, hiemis tempore utuntur. Dormientibus sub harum pellium tegumentis evenire solent somnia ejus animalis vitæ naturæqve conformia, de epulis, voracitate, & insidiosa animalium venatione. Nam tegmine eo externo traducitur phantasia animantis qvondam vivi, in hominem subter dormientem, a particulis vel effluviis cerebrum afficientibus: sicut iisdem pellibus induti, bibendo & comedendo nullum saturitatis vestigium relinqvunt. Olaus M. *l. 18. c. 7. & 8.* Helmontius *de Magnetica vulnerum curatione n. 165.* (confer supra cap. 16. morale 3.)

Kk 4 Mul-

Multi magni, medioxumi, minimi hominum helluando assvetudinem luxuriæ, qvasi pellem Gulonis induunt, per qvam, sive vigilant, sive dormiunt, nihil aliud cogitant, nil appetunt, nil desiderant, nil agunt, qvam ut cibo potuqve se ingurgitent, & ne gula careat, vi fraudeqve asseqvantur.

II. AVARI.

CRicetus vel viverra (der Hamster) in caverna suas innumera grana comportat pro hieme, & ab esu qvoqve fœminam suam sociam arcet ex metu, ne deficiat pabulum. Sed a pueris effossus occiditur, qvæqve conqvisivit frumenta, ipsi auferunt. Ejusmodi Cricetum dixeris, & divitem avarum Luc. 12, 16. sqq. & omnes ei similes stultos, qvi multa, nõ sine damno aliorum, corradunt bona, nec qvicqvam de eis largiuntur egenis, ne forte ipsimet careant; nescii, sibi mox ex hac vita discedendum, bonaqve aliis, pro qvibus non collegerunt, relinqvenda esse, Psalm. 39, 8. Gotthold's zufällige Andachten. *Cent. 1. n. 75. p. 126.*

II. PROCRASTINATIO BONI NOXIA.

VEteres dilationis damna subjecturi oculis pinxerunt Erinaceum cum inscriptione: PROCRASTINATIONIS DAMNA. Erinaceus, qvia senti fœtus suos esse spinosos, contrahit alvum, ut remoretur partum; qvo autem longiores moras interponit enitendo, hoc acerbius pungitur, & laceratur. Ita multi qvo pariunt tardius, hoc & ægrius dant: longe suavius dedissent, si dedissent citius. Differendo magis adglutinatur pecunia, & difficilius exit e manu.

Hc

Hic illud Domini opportunissimum Johan. 13, 27. *Quod facis, fac cito.* Ecclesiastes ad tollendas moras exstimulat c. 11. v. 6. Cunctatione res omnes redduntur imperfectæ, præsertim beneficentia, qvæ sæpe tanto est sterilior, qvanto lentior & morosior. Sapiens ac fidele monitum Salomonis seqvere, Prov. 3, 28. Dabo tibi vox aurea, vox optima, qvam penitus corrumpit neqvissimum cras. Martial. *l. 5. epigr. 54. aliis 60.* Drexel. de Eleemosyna *Part. 2. cap. 1. §. 3. Tom. 2. Oper. p. 231.* Peccatores etiam similes deprehenduntur Erinaceis fœminis ejusmodi. Nam qvo diutius peccata sua pœnitentia deponere differunt, eo gravioribus malæ conscientiæ aculeis torqventur.

IV. VINDICTA PROPRIA.

Vindicta exercenda est gaudium tristium, exercita est tristitia lætantium. Non inconcinna ejus imago erit Echinus, acutis spinis asperrimus, qvem manus summo impetu verberat. Nam vindicans seipsum, plus se lædit, qvam alium. Exempla qvamplurima prostant in Harsdorferi *Theatro Tragico, & alibi.*

V. CUPIDI DIVITIARUM, VOLUPTATUM, HONORUM.

Histrio qvidam Ratisponæ, dum illic Matthias Imperator cum conjuge, ac tota aula degeret, ludicro spectaculo eos oblectaturus, in atrio aulæ Cæsareæ theatrum erexit, in perticis vestes varias, pannosqve suspendit, in abacis vasa aurea, argentea, torqves, gemmas, & qvicqvid apud Palatinos in pre-

tio est, longa serie collocavit: dixisses eum mundo mundum ostentare voluisse. His ita comparatis, omnis ordinis ac dignitatis homines conveniunt, & ut fit, ubi magna corpora, illic & umbræ; insuper & plebs omnis sistris ac fistulis convocatur, cum longe plures cupiditas evocasset. Omnia tecta obsidebantur, summa exspectatio: prodit tandem Morio, ut Rex tragicus, urnam fortunæ manu qvatiens, leviqve pretio, ad ingentia lucra Spectatores animat. Hic ergo qvisqve primus in theatrum conscendere, & manum urnæ inserere: qva ilico reducta, omnes cum rubore, & compuncti decedebant; errorem enim vero qvisqve suum tegebat, ne insuper ludibrio esset. Posuerat hic Sycophanta in urna vivum echinum, qvi acriter suos vultures pungebat. Ita lucro, divitiis, honoribus, voluptatibus inhiantes, curis, sollicitudinibus, anxietatibus, die nocteqve excruciantur, & cum ea injuste parta apprehendunt, animas suas vulnerant. Engelgrav. Lux Evangel. *part. 1. pag. 155.*

CAP. XXVI.

DE CROCODILO, LACERTA, SALAMANDRA, STELLIONE.

CROCODILUS.

Proprius est Ægypto.]

307 N. 1. Etiam alibi in Africa, nec non in utraqve India reperitur. Partium exacta descriptio extat apud Blasium in Anatome Animal. *P. 3. c. 14. p. 274.* in Museo Romano Societatis Jesu *Part. 2. cap. 6. f. 34. b.* Gassendum in vita Peireskii *lib. 5. an. 1636. f. 326.*

326. Lingvam habet manifestam, maxillam utramq; ad motum promtissimam. Lacrymæ Crocodili, qvæ in proverbium abiere, si qvid verum ei subest, non vere eo nomine appellantur, sed abusive. De iis prolixe tractavit Gothofred Voigtius *in Deliciis Physicis cap. 2. a. p. 89. ad 131.* Idem judicium fuit *cap. 12. n. 30. supra* de eqvorum, aliorumqve animantium lacrymis. Leviathanem Job. 40. v. 20. &c. & cap. 41. descriptum, esse Crocodilum Niloticum, post Bezam, & Deodatium astruit Bochart. *Part. 2. l. 5. c. 16. 17. 18.* Adstipulantur Ludolf. *Histor. Æthiop. 1. 11. 7.* Noldius *in Concordant. p. 958.* D. Pfeiffer *in Dubiis Vexatis ad l. c.* Communiter Interpretes intelligunt Balænam, cum qvibus non tantum Franzius *Part. 3. c. 2.* sed & Coccejus ac Schmidius *in Commentariis* faciunt. Similiter תנין *thannin*, qvod æqve ac לויתן *Leviathan* draconem & cetum alias significat, etiam pro Crocodilo sumi notat Bochart. *l. c. col. 795.* Ezech. 29, 3. 4. *Pharao Rex Ægypti, magne* thannin, *qvi cubas in medio rivorum tuorum* &c. c. 32, 2. 3. *Tu eras sicut* thannin *in maribus* (i.e. in Nilo & lacubus vicinis,) *& prodibas per flumina tua* &c. In qvibus verbis Pharao (allusione simul ad nomen facta, qvod docentibus Arabibus Crocodilum significat) cum Crocodilo affabre confertur, non cum balæna, qvæ nec pedes habet, nec sqvamas, nec versatur in Ægypti rivis & fluminibus, nec inde adscendit in terram, nec retium indagine capitur.

DE LACERTA.

Sciuncus seu scincus.] 312

N. 2. Etsi Gesnerus, Rondeletius, & alii recen-

centiores Scincum & crocodilum terrestrem promiscue usurpant, ac si sint idem animal; persvasissimum tamen est Bocharto *P.1.lib.3.c.1.* terrestrem crocodilum apud plerosqve veteres non fuisse scincum, animal æqve ἀμφίβιον, ac majorem crocodilum, sed illud ipsum animal, qvod ab Hebræis Levit. 11,29. צב *zsab* nominatur, de qvo ex Arabum monumentis multa affert. Ibidem v.30. כח *coach* est lacertorum in Arabia maximus & validissimus, *gvarik: &* חומט *chomet* est lacerta in arena degens. Bochart. l. c. *cap. 3. & 5.*

DE SALAMANDRA.

313 N. 3. Legenda D. Joh. Pauli Wurfbain Salamandrologia auctius edita an. 1683. in qvam diligenter congessit, qvæ apud multos Auctores passim extant. Præter alia annotavit post Bellonium, Aldrovandum, Hoffmannum, non oviparam esse, sed viviparam Salamandram, ultra triginta foetus simul enitentem. Adde Joan Fabrum *de animal. Nova Hispan. fol. 749.* Gassend. *Phys. Sect. 3. membro poster. l. 1. c. 3. fol. 201.* D. Sachsii *Gammarolog. l. 1. c. 2. §. 1.* Jacobi Sponii *Itinerar. Part. 1. fol. 79. b.* Bochart. *Part. 2. l. 6. c. 5. col. 823. sq.* לטאה *letaa*, Levit. 11, 30. Syrus Salamandram vertit; sed Lutherus Eydex; & contra כח, de qvo modo diximus, ipsi est der Molch/ qvo nomine Salamandra, Germanis non ignota alias appellatur, forte a Milch/ qvod liqvore lacteo turgeat. Bocharto *P. 1. col. 1075.* לטאה videtur esse *vvachara* Arabicæ lacertæ genus nobis ignotæ, similes tamen in multis stellioni & Salamandræ.

DE

DE STELLIONE.

N. 4. Germani, Galli, Angli carent, nec nomen ejus habent, teste Gesnero *de Quadruped. Ovipar. p. 85.* Adde Aldrovand. *de Quadruped. Digitat. Ovipar. l. 1. c. 10. f. 655.* Joan Fabrum *de animal. Nova Hispan. f. 746.* Reperitur in Italia, Sicilia, Thracia, Græcia, Hispania, Arabia. Ab hoc scelesto & fraudulento præ cæteris animali nomen invenit apud JCtos crimen stellionatus, qvo omne delictum ex fraude vocant. vide Dig. *Tit. 20. lib. 47.* Plin. *l. 30. c. 10.* Vossium *in Etymolog.* Aldrovand. *l. c. f. 656.* Saavedrã Symb. 48. in qvo adulatores aulici stellis variis per dorsum distincto & fraudulento huic animali assimilãtur, cuj9 epigraphe: SUB LUCE LUES, שממית *semamith* Proverb. 30, 28. esse stellionem, domesticam lacertam, in parietum fissuris & rimulis habitantem, qvam inde Hispani Dragon de las casas, seu Draconem ædium appellant, pro certo tradit Bochartus *Part. 1. præfat. l. 9. & lib. 1. c. 9. col. 67. l. 4. c. 7. col. 1083. fusissime*, & rursum *Part. 2. l. 4. c. 23. col. 604.* Sed D. Geierus in Comment. mavult, donec certiora afferantur, araneam intelligere cum Chaldæo, R. Salomone, R. Levi, Vatablo, Mercero, Junio, Belgis, Luthero, aliisqve plurimis.

MORALIA.

I. HOMO TIMIDUS, DIABOLUS.

CRocodilus fugax animal audaci, audacissimum timido. Seneca *Natural. qvæst. l. 4. c. 2.* Hinc geminum emblema: uni inscribatur: FUGAX AUDACI;

DACI; alteri: IN TIMIDOS AUDAX: Utrumq; malignos qvosdam homines concernit, qvi debiles ac mansvetos ausu petulanti & temerario infestare soliti, e generosorum conspectu desides aut consternati aufugiunt. Et Diabolus, ubi in effœminatum ac vitiosum hominis animum incidit, vires suas exerit, & ingenti audacia incursat; at Christiano athletæ cedit. Jacob. 4,7. *Resistite Diabolo, & fugiet a vobis.* Augustinus serm. 197. de Tempore: *venit Christus, & alligavit Diabolum. Sed dicet aliqvis, si alligatus est, qvare adhuc tantum prævalet? verum est, fratres charissimi, qvia multum prævalet, sed tepidis & negligentibus.* Picinell. *Tom. 1. p. 148.*

II. CHRISTIANUS, INVIDUS, RIXOSUS, AVARUS.

STelliones nullo alio cibo, nisi rore & araneis pascuntur: Plinius *l. 11. c. 26.* Unde lemma: ROS ET ARANEA CIBUS. Ideam hinc desumere licet Christianorum vitiosorum, qvi qvidem rore cœlesti, meditationibus, orationibus, sacro Eucharistiæ epulo freqventer pascuntur, simul tamen etiam aranearum veneno victitant, dum animos invidia, rancoribus, avaritia, aliisve pravis affectibus nutriunt, Caino non absimiles, qvi victimas litaturus, manus qvidem devotas, cor autem livore & odio sqvalidum præferebat. Sermone ad hunc converso Bernhardus ait *Serm. 24. in Cant. Qvid miraris, o Cain, si non respicit ad te, (DEUS) qvi ita divisus es in te? si manum devotioni, qvid animum das livori? Non concilias DEUM tibi, discors tecum non placas, sed peccas.*

CAP. XXVII.
DE CHAMÆLEONTE, RANA ET TESTUDINE.
CHAMÆLEON.

N. 1. Χαμαιλέων cum plerisqve Vossius in Etymolog. deducit a χαμαὶ, humi, & λέων, ut ad verbum sonet, humilem sive pumilum leonem, qvod capite leonem æmuletur, aut, qvod Gesnerus vult, cauda; aut, qvod instar Leonis rapinam & venationem in alia animantia exerceat, uti Licetus sensit. Bochartus *P.1. col. 1081.* rejecta vulgari originatione, qvod animali ei pigerrimo & timidissimo vix qvidpam commune esse videatur cum Leone, conjicit, uti Chamæleontem Arabes *Gemel* vocant, vel *jemel jehoud* i. e. camelum Judaicum, ita Pœnos in Africa גמל appellasse, vel גמליון *gamalion;* unde facta sit vox χαμαιλέων græco more inflexa, ut videretur esse græca. Camelum autem ab Arabibus appellatum, qvoniam chamæleoni, uti vituli caput, & pisciculi corpus, & stellionis pedes, ita cameli gibbum illi tribuunt: nam cameli instar dorsum habet tuberosum. In Palæstina etiam freqventer occurrit, & in Brasilia ac Mexico. In Europam illatus ob aerem frigidiusculum non diu vixisse deprehensus. Gesnerus nomen Germanicum ein Ratten-Eydex finxit *ex ratto mure,* qvem magnitudine, cauda, crurum altitudine referat, *ac lacerto,* qvem reliqva ex parte fere repræsentet, qvasi muri-lacertum dicas. Descriptionem bestiæ post Aristotelem fecerunt spectatores, Bellonius *in Observationibus passim, ut l. 2. c. 25. 34. 60.*

34 60. Joannes Landius ap. Scaliger. *Exerc. 196. sect. 4.* Franciſcus Nydermayer, Dn. Georgii Landgravii Haſſiæ Medicus, in Epiſtola ad Joan. Fabrum ſcripta an. 1626, qvam hic inſeruit *Expoſitioni animalium Novæ Hiſpaniæ f. 722.* Joan Faber modo dictus *l. c. f. 725.* Kircherus *Arte Magna Lucis & Umbræ lib. 1. part. 3. c. 7.* Gaſſendus *Phyſicæ Sect. 3. membro poſterior. l. 1. c. 3. Tom. 1. Oper. f. 201.* & in vita Peireskii *l. 5. ad an. 1637. Tom. 5. Oper. f. 329.* Bontius *Hiſtor. Natural. & Medic. Indiæ Orientalis l. 5. c. 6.* Della Valle *Part. 4. f. 202. ſq.* Panarolus, Bartholinus, Pariſienſes Anatomici apud Blaſium in Anatome Animal. P. 1. c. 12. Confer Ephemerides Eruditor. Gallicas an. 1669. Acta Anglicana menſe Julio eod. anno.

N. 2. Aere chamæleontem nutriri, ante Ovidium, ac Plinium qvi ſcripſerit, vix invenies. Hos autem ſecuti plurimi, tam veteres qvam recentes. Sed oculati teſtes, Bellonius, Nydermayer, Faber, Kircherus, Gaſſendus, Pariſienſes, Bontius viderunt eum lingva valde longa, jaculi inſtar celeriter evibrata & reducta captare muſcas ac devorare, item vermiculos aliaqve inſecta, qvorum omnium reliqviæ in diſſecti inteſtinis deprehenſæ. Adde alios, qvi ſimiliter ſuis oculis obſervarunt, Breuning. Oriental. Reiſe andere Meerfahrt *c. 17. & 26.* Voſſium *de Idolol. l. 3. c. 55.* & his antiqviores Arabes Damirem & Algazelem apud Bochart. *col. 1081.* Inediam tamen per annum integrum tolerat Chamæleon, qvæ ipſi communis cum lacertis, ſerpentibus, & inſectis nonnullis paſſio, potuit una accedentibus aliis ejus proprietatibus, veluti, qvod auram ore hiante captet, qvod ob pulmonem magnum inflatum tumeat,

qvod

quod parum sanguinis habere putaretur, opinionem facere hominibus observantibus de solo ex aere victu vid. Voigtii *Curiositates Phys. cap. 5. de Chamaleontis victu*, Brovvn *Pseudod. l. 3. c. 21.* Sachs. *Gammarolog. l. 1. c. 2. p. 11.* Wormii *Museum f. 315.*

N. 3. Color nativus aliis pallens & cinereus, aliis viridis, aliis niger, aliis varius. Aldrovand. *l. 1. de Quadruped. Digitat. Ovipar. c. 14. f. 670.* Jonston. *de Quadruped. l. 4. cap. 7. p. 200* De ascititio mire dissentiunt Ζωόγραφοι, quasi animos lectorum chamæleone mutabiliores efficere intenderent. Aristoteles l. 2. hist. an. c. 14. *Mutat colorem* (Chamæleon niger natura) *ubi inflatur toto corpore: pallescit moriens, qui color etiam defumto durat.* Cum quo non consistere putat Joan Faber p. 739. quod asseruerit idem 4. de part. animal. c. 11. *ex metu colorum variationem provenire*, cum in metu habitus animalium non tumescat, sed comprimatur. * Plinius l. 8. c. 33. Solinus c. 43. *colorem mutat subinde toto corpore redditque semper, quemcunque proxime attingit, præter rubrum candidumque.* Plutarchus in Quæst. Natural. f. 916. F. in libro de discernendo adulatore ab amico f. 53 D. de Solertia animal. f. 978. E. *Chamæleon ob metum tantum omnem colorem assumit, excepto albo.* Ælianus l. 2. hist. an. cap. 14. *Niger colore mutat seipsum, ac se cito in viriditatem convertit, & alius rursus visus, album colorem, tanquam aliam personam histrio si inquit.* Bellonius l. 2. c. 25. *Chamæleontes (in Ægypto) frequenter reperiuntur in fruticibus Rhamni, qui in varios colores sese commutant. Magna ex parte, ex viridi pallent, interdum ex cæruleo virescunt. Inde fit, ut non faci-*

 le

le observari qveant: nam ramo insidentes simili viriditate prædito, etiam a diligenter reqvirentibus vix inveniuntur: Breuning: Er verändert seine Farbe offtmals: da es auff der Erden laufft/so ist es erdfarb: da es auff grünen Gesträuche oder im Grase/so ist es grün: setzt man es auff etwas blaues/so nimpt es dieselbe Farbe auch an; auff schwartzen ist es schwartz/ und also auch von andern Farben/ also daß es augenscheinlich/ nachdem es auff unterschiedene Farben gesetzet/in ipso momento, die eine verlieret / und die andere annimpt. Aldrovandus fol. 671. *Vir nobilissimus chamaleontem donatum sibi, in candido sudario inclusit, domum reversus animal abiisse putabat, qvoniam sudarii candorem assumserat.* Nydermayer: *Colores, qvos assumeret, observare nullos alios mihi licuit, qvam nigrescentem, cineritium, albumqve & aliquando ex his omnibus mixtum, modo maculis nigris, albisque punctatim, modo iisdem in lineas transversas non longas diductis.* Joan Faber. *Attestari valeo, colores dicto Chamaleonti eosdem fuisse. Ubi enim pellicula alba insedit, albicantem; ubi panno nigro impositus fuit, nigricantem assumsit colorem, minime autem rubrum aut viridem, licet hi ipsi supponerentur.* Kircherus: *impositus panno viridi viridem colorem ita assumebat, ut vix a panno discerneretur; albo linteo involutus ita albescebat, ut a linteo non bene distingveretur; unde quidam opinabantur se bestiolam perdidisse. Mortuus colorem non mutat.* Vossius judicat, cum cutem chamæleon habeat corneam ac perspicuam, de qva etiam Pierius *l. 27. c. 23.* ac Bartholinus apud Blasium testantur, *nullam*

ess

esse rationem, cur non omnes colores, etiam rubrum recipiat ac referat instar speculi vel aliorum lævium corporum. Bontius; *Duos colores Chamæleontem viridem, flavum vel cæruleum, præ ira vel metu induere vidi, ut qui domi in cavea aluerim hanc lacertam aliquoties: mutare autem colorem in ejus corporis speciem, cui insidet, nugacissimum est.* Parisienses observarunt, *Chamæleontem fuscum, & ad cæruleum vergentem variùm, ad Solis lucem, obscuriorem fuscum, qui ad rufum tenderet, recepisse, reliquam cutem, Sole non illustratam, suum fuscum in varios splendidiores colores mutasse, qui maculas ad pollicem latas Isabellæ coloris a flavescentis pallidi granorum, cum claro interioris cutis fusco mixtura producebant. Sole non amplius lucente, primum fuscum sensim rediisse; si ab adstantium aliquo tangeretur, plurimas statim admodum nigras maculas in humeris & pedibus apparuisse, quales non sunt visæ, quando ab illis, qui ipsum curabant, tangebatur. Linteo candido 2. vel 3. minutis involutum, subcandidum exceptum esse, quem colorem aliquandiu retentum, sensim amiserit. In res varias & diversorum colorum positum, nullum colorem præter candidum assumsisse, nec hunc etiam, nisi primo experimenti tentamine. Insuper habitum quoque immutasse: nam interdum apparuisse valde pinguem, cum hora præterlapsa tam macilentus fuerit, ut nonnisi pelle obductus videretur.* Monconys cognovit *chamæleonem oppositum Soli apparere viridem, etiam ibi, ubi nullæ sunt herbæ; expositum candelæ apparere nigrum, licet impositum chartæ albæ; inclusum pyxidi apparere flavum & viridem: neque plures quam quatuor*

colores accipere. Gassendus: pluries observavimus, *chamaleontes* seu virides, seu cinereos, seu variegatos, *nullum prorsus appositorum colorum speciem induere sed levem duntaxat atrorem, qua parte aut Soli, aut igni obvertuntur, subire.* Della Valle in Insula Cypro vidit Chamæleontem cicuratum cinereum, sed punctulis quibusdam variegatum, funiculo in ædibus circumduci a puero, qvi cum ipso luderet; accepit in manum suam: relatum eidem bestiolam recipere alios colores, non juxta res appositas, qvod vulgo perhibent, sed pro ratione frigoris vel caloris, motus vel qvietis, aliarumqve circumstantiarum: variationem colorum in eodem deprehendere nunqvam potuit, qvamvis multis modis efficere tentaret. Cicurari posse bestiolam confirmat Breuningius.

N. 4. Qvis nunc oculatorum testium, tantas nihilominus lites ausit componere? Aliqvorum interim dissensiones, aspicientium colores ejusmodi apparentes facile natura sua ex multis causis variabiles, oriri potuerunt, (1) dum alii viridem, alii pallentem aut cinereum, alii nigrum, alii variegatum chamæleonem viderent: (2) dum qvidam inflata & tumida cute perspicua, qvidam flaccida; (3) aliqvi metuentem, aliqvi extra metum, aliqvi iratum conspicerent. (4) dum hi in aëre frigido, isti calido, illi temperato, nonnulli in regionibus, in quibus nascerentur, alii in exteris contemplarentur. Pluribus ergo experimentis opus est ad dirimendam qvæstionem.

N. 5. תנשמת *thinschamat* Levit. 11, 30. ubi Græci, Onkelos, Hieronymus, Salomo, Kimchius, Pomarius, Aquinas, & novi Bibliorum inter-

pre-

pretes Pagninus, Münsterus, Arias, Genevenses, Angli, Itali, Germani habent talpam, est Chamæleon a כשמ spirando vel aspirando dictus, qva hianti ore semper est, & aëre vesci creditur, sicut docet Bochart. *P.1.l.4.c.6.* qvi simul animadvertit, in Græca Versione Sophon.2,14. alienam esse Chamæleontum mentionem.

RANA.

Manifeste coire deprehenduntur, & semina vel ova copiosissima parere ranæ.] 322

N. 6. Confirmant elegantibus experimentis Brovvn. *Pseudodox. l.3. c.13. parte 3.* Schvvammerdam *in Dilucidat. Histor. General. Insector. p.194. sqq.* Leeuvvenhœck *in Anatomia & Contemplatione nonnullorum Naturæ invisibilium Secretor. p.62.* D. Augustus Qvirinus Rivinus *in Actis Eruditor. an. 1687. mense Majo p.284.* Oligerus Jacobæus *in Observationibus de Ranis & Lacertis cap.1.* Adde Blasii *Anatomen Animal. Part.3.c.24.p.290.* Kircheri experimentum *Mund. Subterran. Tom.2. l.12. Sect.2. c.8. fol.392.* generationem ranarum ex palustris limi, vel fossarum pulveribus exhibendi, aliquoties tentanti Francisco Redi non successit; *de Generat. Insector. p.206.* Justum de ranis tractatum fecit Libavius *Batrachiorum libris duobus, Parte IV. Singularium, p.180. ad 468.*

Existimant aliqui, ranas cum pluviis delatas, vi naturali ventorum in nubes fuisse raptas] 323

N. 7. Ranunculas, qvæ crebro per pluvias æstivas, aut statim post ipsas apparent, & cum eis delapsæ creduntur, ex latente in terra pulverulenta se-

minio genitas, & delitescentes, ubi ea compluta est, prodire verosimile est: quia (1) in domuum tecta aut tabulata decidere non observantur; (2) lapsu non attritæ, sed sanissimæ, integerrimæ, & ad motum suum comparatissimæ sunt; (3) in earum, quæ modo natæ existimantur, sectarum stomachis herbæ & excrementa in intestinis reperiuntur, teste Francisco Redi *in Observationibus de Viperis pag. 75. & de Generat. Insector. p. 208.* Interim DEUM, cum puniturus est homines, ranas innumeras variis modis posse immittere, bene adjicit Franzius. Exemplum qvod allegat, exstat Exod. 8, 1. seqq. breviterqve repetitur Psalm. 78, 46. Psal. 105, 30 qvæ loca omnia dilucidat commentario Bochartus. *Part. 2. l. 5. c. 2. & 3.* confer Sapient. 19, 10. Lutherus in Psalmis Kröten reddens, ad exaggerandam pœnam, ranarum speciem fœdam nominare voluit. Nec desunt in historia profana clades a ranis illatæ. Civitas in Gallia ab iis pulsa. *Plinius l. 8. c. 29.* DEUS ranarum pluviam immisit circa Pæoniam & Dardaniam, qvarum tanta fuit copia, ut vias impleverint. Cumqve adeo eas occidendo & domos occludendo nihil proficerent, sed & vasa implerentur, & cum cibis ranæ seqverentur, neqve aqvis uti liceret, neqve pedes uspiam in terra figere, cum ubiqve coacervatæ essent, & mortuarum fœtor illis esset gravis, dicuntur ex ea regione (incolæ) se subduxisse. *Phanias Aristotelis discipulus, & amicus Theophrasti, citatus ab Eustathio in lib. 1. Iliad. p. 26. Heraclides Lembus, qvi sub Ptolemao Philometore vixit apud Athenæum l. 8. c. 2. Adde Diodor. Sicul. l. 3. p. 164. Justin. l. 15. c. 2. Ælian l. 17. hist. an. c. 41.*

Apos

Apoc. 16, 13.] 325

N. 8. Qvinam sub ranarum mysticarum typo lateant, cognoscant ipsi, tum ex vitiis suis, qvibus impurissimis ranis similes, tum ex nota peculiari v. 14. qvæ est clamoribus suis Reges ad bellum concitare. Nimirum, & ranæ ultra solitum vocales, tempestatis signa existunt, & præter solitum freqventes, pestem præsagiunt, aut etiam inferunt, observante Avicenna apud Damirem.

BUFO.

Rana rubeta grandissima seu bufo) 326

N. 9. Nam & alia minor est venenata in vepribus freqvens, muta, furva tergo, ventre picta maculis, punctisqve rubris, & in sicco maxime vivens: Germanis Feuerkröte. vid. præter Gesnerum & Aldrovandum, *Libavius l.2. Batrachior. c.16. sqq. Part. 4. Singular. p. 369. sqq.* & Christianus Franciscus Paulinus *in peculiari libello de Bufone, edito Norimbergæ 1686.* De lapide bufonio alexipharmaco, qvem in capite bufonis reperiri tradunt, (nam & alius eo nomine mineralis, alius artefactus circumfertur,) multi dubitant. Lege Rollenhagen warhaffte Lügen *cap. 14.* Libavium *l.1. c.22. sqq.* Brovvn *Pseudodoxiam l.3. c.13.* Paulinum *Sect.1. cap.3. p.20.* Oligerum Jacobæum *de Ranis & Lacertis p. 85.*

TESTUDO.

N. 10. Germanis Schildkröt/ quasi bufonem clypeatum dicas; nec immerito: siqvidem magnam cum ranis ac bufonibus similitudinem fabrica interior demonstrat, detecta ab anatomicis. vid. 329

Blasii *Anatomen Animal. Part. 3. cap. 3'.* Oligerum Jacobæum *l.c.p. 102. sqq.* Lienem, Gassendo non observatum *in vita Peireskii lib. 2. an. 1607 ff. 268. b. & Physica Sect. 3. f. 202.* descripserunt Severinus & Jacobæus. Joan. Faber Lynceus omissa cæteris observavit *in Expositione aliorum animalium Nova Hispaniæ*: solam testudinem, sive aqvaticam, sive terrestrem, vertebris in Spina dorsi carere, singulari naturæ providentia, *p. 484.* & pulmones non in medio ventre, seu thorace, verum sub diaphragmate, inusitatissimo ordine naturæ sitos *p. 685. & 727.* qva observatione paradoxum suum corroborat, nullum a pulmonibus receptum aerem cor ingredi. Junge Acta Anglicana *an. 667. p. 404. an. 1668. p. 596.* Terrestris reperitur in Græcia, Italia, freqventissime in Africa, Asia, America, Insulisqve plurimis. Qvæ Franzius addit de exploratione viæ cornibus emissis facta, ad cochleas pertinent, qvas cum testudinibus confudit *jam supra pag. 28.* & ab aliis Auctoribus pariter confundi observavimus. Lacustris non solum in remotissimis regionibus, sed & in Italia, Gallia, Polonia, Hungaria, Helvetia reperitur. Marina, in omnibus fere locis marinis capi dicitur. Differunt autem inter se admodum magnitudine, qvæ in nonnullis fere incredibilis narratur. vid. Salmuth. *ad Pancirol. Part. 1. Tit. 49.* Joan Fabrum *p. 731.* Kircheri *Museum Part. 2. cap. 6 fol. 26. b.* Francisci Lust-garten *f. 330. sqq.* Della Valle *Part 1. p. 124. a.* Strauss *Itinerar. f. 204.* Omnes ediles sunt, & in deliciis passim habentur. De captura marinarum Indiæ Orientalis gentes, Tunqvinenses & Cochinchinesii inter se disceptant, æqve ut Angli Belgæqve de jure hale-

ces capiendi. Hoseæ 12, 11. aliis 12. ubi in hebræo est, *Aræ eorum* (Galgalitarum) כגלים ut *gallim* (seu lapidum acervi) *super portas agri*; Græci, Syrus, & Arabs habent, *altaria eorum ut testudines, super desertum agri*. De qva interpretatione conjecturam facit Bochartus *Part. 1. col. 67. & 1090.* χελωνὶς Judith. 14, 13. in qva corpus Holofernis projectum jacebat, fuit *Kubba* (Num. 25, 8.) i. e. conclave, qvó lectus circumdatur, aut camerati operis, aut a materia sic appellatum. Bochartus *col. 1092.* Atqve ei usui inservire poterant maximæ illæ testudines in mari Indico, qvibus accolæ tanqvam cymbis utuntur, aut qvas adversus cæli injurias in tecta & domicilia erigunt.

MORALIA.

I. SUPERBUS, JACTABUNDUS.

RAna sonoris vocibus coaxans guttur inflat, ac pectore intumescit. Lemma: DUM COAXO, TUMESCO. Ita homines jactabundos de suis vanitatibus altum inflari ac superbire sæpe videas. Inter eos Moab Jerem. 48, 29. Ranam putes superbum Prædicatorem, qvi dum e pulpito clamat, intumescit, aliorum plausum sollicite exspectat, seq; ipsum vanissime circumspicit. Prosper lib. 1. de vita contemplativa: *Prædicator non in verborum splendore sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat, non vocibus delectetur populi clamantis, sed fletibus; nec plausum a populo studeat expectare.* Picinell. *Tom. 1. f. 462.*

II. DETRACTOR, HÆRETICI.

RAnæ valde coaxant obstrepuntque, quando nocturnæ umbræ, ac quieta silentia mundo incumbunt: at quam primum lampadem accensam stagno propinquare contigerit, mox illius splendore perculsæ obtumescunt. Unde lemma: LUCIS FULGORE MUTESCUNT. Ita detractores in hominum optimorum fama proscindenda, omnem conatum adhibent: at, si vir quidam meritis ac virtutibus illustris intervenerit, quantocius linguam contrahunt & obmutescunt. Scite Poeta:

Lumine perculsæ cessant maledicere ranæ,
Et victus veri luce Sophista tacet.

Ursacius & Valens, Episcopi Ariani, ingentes turbas adversus S. Hilarium concitarunt, cœlumque passim clamoribus repleverunt: at ubi publica disputatione cum illo congredi, ac fidei veritatem collato pede propugnare sunt jussi, subito, cum præsentis eruditionem pertimescerent, comparuere elingues, & Imperatori pro Hilario in pristinum Episcopatum restituendo, supplicarunt. Picinel. *l. c. f. 463.* Confer Gotholdi Zufällige Andachten *p. 802.*

III. POENITENTIA INCONSTANS, DOMINIS DUOBUS SERVIRE.

RAnæ in terris degunt interdiu, & in palude noctu coaxant. Complures mane in sicco, & in terra promissionis uxori spondent, & sancte confessario promittunt, se popinas & ebrietatem vitaturos: vespere in palude, & luto temulentiæ cum bibonibus coaxant & clamant: mane in templo ad mensam

Do-

Domini, vesperi in diversorio ad mensam aleatorum, ad pocula Bacchi: quos Paulus coarguit 1. Cor. 10. *Non potestis bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Mane accipiunt corpus (& sanguinem) Jesu, noctu junguntur corpori meretricis. Istiusmodi homines Nicodemo non absimiles videntur, qui venit ad Jesum noctu, & audiebat verbum ejus, per diem in Synagoga Pharisæis aures præbebat. Unde Gregorius Nazianzenus eum vocat nocturnum tantum DEI cultorem Et Orat. 16. sub finem: *Ille tantum ex dimidia parte Christum amans Nicodemus.* Ex Engelgrav. Luce Evangel. *Part. 2. p. 388.*

CAP. XXVIII.
DE MURE, GLIRE, ET TALPA.
MUS.

N. 1. Mus alius est (1) domesticus, hicque 332 aut minor, sub quo sorex communiter comprehenditur, qui aliquando est lar ille, vel bestiola domestica, der Hauß-Uncke / elevans unum vel alterum terræ arenæve acervulum, & glocitans instar gallinæ pullos pascentis; (*Ephemerid. Naturæ Curios. Dec. 2. An. 3. Observat. 74. p. 166.*) *aut major*, quem rattum appellant non solum Germani, verum etiam Hispani, Galli, Itali, Angli. (2) aquaticus. (3) agrestis Feldmauß / (4) silvaticus, vel simpliciter dictus, vel specialiter (α) mus avellanarum eine Haselmauß / (β) glis, Germanis nonnullis eine

grosse

grosse Haselmauß. Gesnerus, Aldrovandus, Jonstonus, sub peculiari titulo tractant, quidam cum ratto pessime confundunt; (γ) mus Alpinus, vel montanus, Italis Marmont, vel Murmont, unde Germanorum Murmelthier/deductum. Vide præter Gesnerum & Aldrovandum Erasmi Francisci Geschichtspiegel/*fol.1465.* ex Stumpfii Chronico Helvetiæ. Murem Ponticum, & murem araneum, ob similitudinem quandam cum muribus dicta animalcula, descripsimus *cap.25.n.3. & 5.* Ad mures agrestes pertinet Mus Norvvegicus, incolis vulgo Leming, vel Leminger, Olao M. Lemner, aliis Lemblar appellatus, quasi murem falciferum dicas, noxium animal, quod in Norvvegia quandoque magna copia proveniens (putant autem plerique e nubibus cum pluvia decidere) prata segetesque devastat: nam vel solo morsu, quæ attingit, præ virulentia emoriuntur; & consumtis frugibus mortuum, morbos post se pestilentes relinquit. Scripsit de eo fuse. Olaus Wormius *in peculiari tractatu Haffniæ edito an.1653. & in Museo l.3.c. 23. fol.522. seqq.* Adde Schefferi *Lappon. cap.29. p.344.* Hebræis עכבר *achbar*. i. e. agri consumtor vel vastator proprie murem agrestem notat, qui agrorum certa est pestis, teste experientia Sic Philistæorum agros, qui arcam Domini captivam tenebant, mures vastabant 1.Sam. *6, 5.* In Hispania Cantabri, in Italia Cosani, in Thracia Abderita murium copia ita afflicti leguntur, ut partim peste, quæ eorum mortem sequebatur, perirent, partim patriam relinquere ob inopiam frugum consumtarum cogerentur. De noxa, quam faciunt mures Norvvegici, jam mentionem fecimus.

Confer Ephemerid.*Natur.Curios. Dec. 2. An. 5. Observ. 110. p. 218.* Francisci Lustgarten.*fol. 1025.* Jesaias 66,17. inter cibos, quos Judæi sui temporis in DEI legem rebelles ultro sibi deligebant, *achbar* murem agrestem nominat. Posteriores tamen Hebræi eam vocem acceperunt pro mure quovis, & potuit ipse Moses sic usurpare Levit. 11,29. ubi Murem, immundum animal lex pronunciat, tum præter alias causas, tum quod inutile & noxium est, & typus eorum, qui dicunt:

Nos numeri sumus, & fruges consumere nati.
Hebræi pro causa afferunt, quod murinæ carnis esus oblivionem inducat. Sennacheribi cladem, quam Angelo tribuunt Sacri Scriptores, & Josephus exæroso pesti immissæ divinitus, Ægyptiis in Herodoto, ex quo Franzius adduxit, ad mures agrestes referre, Bochartus opinatur *Part. 1. l. 3. c. 34.* quod est de Mure vulgari: Fabulosum hoc, quod de muribus ei historiæ addiderunt, censet Reinerus Reineccius *Histor. Julia part. 1. fol. 267.* nam Æthiopum terrore, quos Sethon in auxilium accersiverat, Sennacheribū a finibus regni recessisse.

TALPA.

N. 2. Talpa non solum habet ocellos, quanquam membrana obductos; sed & non minus atque nos, dum in diurno splendore oculos palpebris obductos habemus, discernit a tenebris lucem, qua e latibulis egressus velut admonetur, ut securiores sedes repetat. Id jam a Simplicio Aristotelis Commentatore animadversum *in lib. 3. de Anima fol. 50. edit. venetia 1527.* Luculenter confirmarunt post alios Rol- 387

len-

lenhagen in warhafften Lügen/*cap.16.* Aldrovand. *de Quadruped. Digitat. vivipar. l.2. c.36. fol. 452.* Jacob Thomasius *in Discursu Physico de visu Talparum Lipsiæ 1659.* Kircherus *Mundi Subterran. Tom. 2. Sect. 4. cap. 1. fol. 92 b.* Brovvn *Pseudodox. l. 3. c. 18.* & Anatomici apud Blasium *in Anatome Animal. Part. 1. c. 35.* in Ephemerid. Naturæ Curiosor. *Dec. 1. An. 2. Observ. 57. p. 114.* Auditu propiora satis exquisite percipit. Adde Anatomicis allegatis Ephemerid. *Dec. 2. Ann. 1. Observ. 130. p. 331.* Nomina Talpæ Hebræa sunt (1) חולד *choled* Levit. 11, 29. a חלד *chalad.* penetrare & suffodere, juxta Bochartum adductum *cap. 25. n. 4.* (2) חפרפרה *Chaphorphera* vel חפרפרת *chaphorpharath* a חפר *chaphar* fodere, geminatis radicalibus, ut significatio sit intensior, designetque animal, quod in terræ fossione totum est. Jes. 2, 20. *in illa die projiciet homo idola sua argentea, & idola sua aurea, quæ ad adorandum sibi fecerat* לחפרפרות ad chapharpheroth *talpas & vespertiliones*, i. e. e sublimi loco, in quo eminebant, dejicier in tenebras, ne amplius superstitiosis hominibus suo fulgore illudant. Videtur proverbialis locutio fuisse, ad talpas & vespertiliones projici, pro eo, quod est in despectum & contemtum dari. Ad literam implevit Jacobus idola suæ familiæ infodiens sub terebintho Gen, 35, 4. אשר *æschat* Psalm 58, 9. non est talpa, ut Chaldæi, multique Hebræorum exponunt, sed mulier. Ita Aquila, Symmachus, Theodotion, Hieronymus, vid. Bochartum *P. 1. l. 3. c. 35.*

MO-

MORALIA.

I. AVARI, DIVITIARUM CUPIDI.

Mus, nullo adhuc lardi sapore percepto, in muscipulam delabitur: Unde lemma: DUM PRÆDAM PETO PEREO. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, 1. Tim. 6, 9. Ambrosius *Serm. 14. in Psalm. 118. Dum prædam petis, laqueo te nectis.*

II. OTIUM, PECCATOR CONSVETUDINEM INDUENS.

Glis Somnolentus lemma præfert: IN LONGAM DIEM. Hæc imago tam generatim otiositatem, ignaviam, & torporem significat, tam specjatim animam, scelerum lethargo sepultam repræsentat. Huic Paulus acclamat Ephes. 5, 14. *Surge, qui dormis, & exurge a mortuis.* Rursus vociferatur Rom, 13, 11. *Hora est, jam nos de somno surgere.* i.e. interprete Anselmo: *surgendum est a somno desidiæ, ut mente vigilemus, & bonis operibus occupemur. In vitiis nostris requiescebamus torpentes, & veluti quodam sopore detenti: sed nunc scire debemus, quia hora est, ut jam ab illo somno mentis surgamus.* Picinellus *Tom. 1. f. 390.*

III. JUDEX INJUSTUS.

Glires, alios domesticos, & in eadem regione natos omnes ingenti amore prosequuntur, exteros magno infestant odio & occidunt. Plinius *l. 8. c. 57.*

c.57. Quare glis cognominari poteſt **Efferus extraneis.** Judices quosdam injuſtos, ac pravitatis affectibus regi ſolitos hæc imago ſpectat: ſunt enim, qui adverſus alienigenas nimium exacerbati, conterraneis ſuis omnia connivent. Huic claſſi jure accenſeas Devidem, qui audito infami ac violento, Ammonis filii ſui, cum ſorore Thamare inceſtu, nec verbulo tantum ſcelus ulciſci parabat, ſed tacita indulgentia id prætéribat. 2. Sam. 13, 21. *& noluit contriſtari Spiritum Ammonis filii ſui, quoniam diligebat eum.* At ubi exterus quidam de ovicula furtim ſublata ad ſuum tribunal delatus fuerat, mox excanduit cap. 12, 5. Picinell. l. c.

IV. INDOCTUS, HÆRETICUS, IN OPINIONIBUS AUT PECCATIS OBFIRMATUS.

HAbet talpa oculos, ſed membrana obductos, ut lucem claram non percipiat. Unde lemma: **Oculatus cæcutit.** Genuina imago hominum indoctorum, hæreticorum, & in peccatis obfirmatorum, qvi oculos habent nec vident, & aures, nec audiunt, inſtar idolorum Pſalm. 115, 5. 6. Confer Matth. 13, 13. Speciatim imaginem habemus Judæorum, qvorum cordibus velamen impoſitum eſt 2. Cor. 3, 14. 15.

V. RIXOSUS ET LUCRICUPIDUS.

TAlpa ad comparandum victum continuo ſuffodit pulcherrimos hortos & frugiferos agros, planta-

plantarum radices arrodit & corrumpit, aggestis tumulis hortos amœnissimos & pascua lætissima lædit, & ingrata aspectu facit: In medio opere & labore noxio hortulanus insidiatus, bipalio aggerem eruendo illum capit & trucidat. Qvam bene autem sub terra in tenebris cibum suum videre & prædari poterat; tam cæcus est in lucem Solis subito protractus. Similiter homo mundanus facit: fodit & prædatur in tenebris, lucrum qværit cum damno & pernicie aliorum: memoriam hostilis & lucricupidi animi passim relinquit: sed utut versutus valde in rebus terrestribus, rerum tamen spiritualium & cœlestium est ignarissimus. Interea mors adstans exspectat nutum divinum, qvo accepto terrestrium omnium consiliorum & machinationum mox finem facit, & talem hominem ex terra in terram, ex bonis temporalibus in sepulchrum abjicit, in qvod nud⁹ & inglorius descendit. Sed uti in vita sua tenebras magis amavit qvam lucem: ita post hanc vitam lucem in æternum non videt; Psalm 49, 18. 20. DEUS bone, quam miser homo essem in hoc mundo, si lucem cœli non possem videre, & Te, æternam lucem, videre nollem. Præstaret talpam esse, qvem mortuum neqve boni neqve mali sensus manet, qvam hominem impium, qvi in æternas tenebras, in qvibus ejulatus erit & stridor dentium, abjicietur. Ex Gottholdi zufälligen Andachten *Cent. 2. n. 41. p. 271.*

CAP. XXIX.
DE MIXTIS ANIMALIBUS QVADRUPEDIBUS.

Leopardus nascitur ex coitu Pardi & Leænæ.] 339

N. 1. Qvod adulterium Plinius & alii veteres descripsere. Adde Gesner. *de Qvadruped. l.1. f. 938.* Dapperi Africam *f. 19. & 393.* Americam *f. 14* Majum *P. 2. cap. 3. p. 740.* Cave autem confundere Leopardum hunc & Pardum, qvem Leopardi nomine hodie venire annotavimus *cap. 8. num. 14.* Dapperum ipsum ab hac confusione non esse immunem, deprehendes.

Camelopardalis nascitur ex commixtione Cameli & Pardalis.]

N. 2. Ita Diodorus *l. 2. f. 134. & alii.* Rectius cum Plinio, & recentioribus plurimis sentiemus, denominationem animalis hujus in Æthiopia nobis remotissima factam, non quod ex Camelo & pardali procreetur, sed quod proceritate colli & crurum, maxime vero anteriorum, formaqve item reliqua, demto tamen gibbo referat camelum, & variegatione macularum Pardum: Giraffam vulgo jam appellant, Arabes Zurnapa, vel potius Zurapha. Descripserunt Philostorgius *l. 3. c. 11.* Bellonius *Observat. l. 2. c. 49.* Gesner *de Qvadruped. l 1. f. 160.* Aldrovand. *de Qvadruped. Bisulcis cap. 35. f. 382.* (quem circa nominis rationem perstringit Joan. Faber *de animalibus Novæ Hispan. f. 500.*) Jonston *de Quadruped. f. 102.* Busbeck *Epistol. 1.* & præ cæteris accurate Antonius Constantius in Epistola ad Galeottam Manfredum Faventinorum Principem, data Fani 17. Calend. Januar. an. 1487. in qua agit de Camelopardali, quam Laurentio Medicæo donaverat Sultanus Ægyptius. Ex ea epistola decerpsit potissima Bochartus *Part. 1. l. 3. c. 2.* in quo ut jam supra *cap. 24. n. 14.* monuimus, adstruit זמר *Samar* Devt. 14, 5. non esse camelo-

par-

pardalin, quam intellexerunt Græci, Hieronymus,& e vernaculis non pauci. confer Majum *Part. 2. cap. 4. p. 745.*

Mulus ex asino & eqva, item ex tauro & asina.]

N. 3. Mulus alius procreatur ex asino & equa, alius ex eqvo & asina, alius ex onagro & eqva, vel ex asina, alius ex tauro & asina. Ex asino & eqva præstantissimus habetur, & proprie mulus dicitur. Ex equo & asina latinis veteribus hinnus vocatur, sequioribus burdo, quæ tamen vox promiscue etiam ab Hieronymo aliisqve usurpatur pro quovis mulo. Hebræis mulus פרד *pered* nominatur, a פרד *parad* separare, i. e. animal natum iis parentibus, qui naturali consorte separantur, ut cum alienis copulentur.

N. 4. Mularum proprie dictarum (nam quas in Cappadocia, Syria, alibique parere Aristoteles aliique referunt, sunt sui generis, ob similitudinem nomen mularum tantum habentes) sterilitas ideo decantata est, ut proverbio occasionem dederit: *Cum mula pepererit.* Ideo prodigii loco apud gentes olim habitum est, cum mula peperisset. Anatomia vero mularum rationes subministrat, ob quas quidem eæ steriles pleræqve, sed tamen & quædam sine miraculo parere possint. Considera Stenonis Observationes ex Actis Danicis a Blasio excerptas *in Anatom. Animal. Part. 1. c. 17. p. 70.* Honoratum Fabri *de Plantis & Generat. Animal. lib. 5. prop. 67.* Hinc partus mularum subinde a recentioribus scriptoribus memorantur. An. 1518. Romæ apud Julium Cardinalem Mediceum mulæ partus editus est. Porendici summam rerum amplitudinem ominabatur

 tunc

tunc Pierius Valerianus (*lib. 13. Hieroglyph. cap. 28.*) haut vane: nam idem Leoni X. fratri, interveniente octo mensium Papa Hadriano VI. successit Clemens VII. Malignus ergo augur est Harduinus Jesuita, ad *Plin l. 8 sect. 69 n. 19.* Lutheri defectionem criminans eo prodigio notatam fuisse. Scaligeri ætate Romæ partus mulæ bis contigit, teste ipso *in Aristot. Histor. Animal. f. 762.* In Languedocia an. 1581. & in Arvernia tempore Honorati Fabri mula enixa est fœtum. vid. Dn. ab Hohberg *Part. 2. Georg. c. 5.* Itaque incredibile nihil narrant Varro l. 2. de Re Rust. c. 1. & Columella l. 7. c. 36. Africanarum mularum partus tam frequentes esse, quam partus equarum, si quidem illas ex diversæ speciei parentibus editas constaret.

N. 5. Usus mulorum est (1) in oneribus ferendis, 1. Paral. 12, 40. (2) in equitando 1. Reg. 1, 33. 2. Sam. 13, 29 cap. 18, 9. Persarum Regis angari Esther. 8, 10. utebantur אחשתרנים *achaschteranim* filiis equarum, i. e. mulis: estq; *aschar* adhuc Persis mulus. Qui mos Romanis quoque receptus fuit, docente Spanhemio *de Usu Numismat. p. 800. sq.* (3) in trahendis vehiculis, Jes. 66, 20. vid. Bochart. *P. 1. l. 2. c. 19. & 20.* Majum *Part. 1. p. 497.* Spanhem. *l. c.* Aldrovand. *de Quadruped. Solidiped. c. 4. f. 179. seqq.* Scheffer. *de Re vehicul. l. 2. c. 19. p. 249. 258.* Multus & commodissimus mulorum usus hodienum est non solum apud Persas (Tavernier. *Part. 1. f. 159.*) Æthiopes (Ludolf 1. 10. 1) aliasque exteras gentes, sed & in Hispania, Italia, Gallia, rarior apud Principes passim in Germania, in qua vix generantur. Asinos enim velocitate superant, equis lenius multo & tu-

ri-

tius incedunt, maxime per prærupta montium. Ex quibus causis Cardinales, Prælati, aliæque personæ ecclesiasticæ digniores iisdem utuntur, magis forte quam propter humilitatem, ob quam etiam mannis seu caballis minutioribus vehi debent, juxta Hieronymum in Eccles. 10.

N. 6. Ingenium mulorum multo est illiberalius minusque benignum quam equorum Calcitrant equi & asini, sed contumacissime muli propter summam proterviam ac malitiam. Reperiuntur inter illos, qui unum excipiunt Dominum, peregrinum quemcunque alium calcibus crebrerrimis repellunt. Quidam nullis minis aut verberibus adigi possunt, ut alios mulos mulasve simul gradientes præcedere sinant, sed calcibus ac morsibus id prohibent. Si calcibus & fustibus urgentur, furibundorum instar per campos cursitant, in obvios muros incurrunt, aut transilere tentant. Dum in Sicilia esset Caspar Schottus, mulus cum asino ad fabricam comportabat arenas & lapides, ita tamen ut mulus semper præcederet. Onerabat mulio prius asinum, ac dimittebat: deinde mulum, ac subsequi cogitabat longo spatio: hic nihilominus cum onere etiam gravissimo tam diu cursum accelerabat, donec asinum assecutus præcessisset. Hinc Itali indicaturi hominem, qui nullis rationibus a sententia sua se dimoveri patitur, mulo assimulant dicentes: egli è ostinato come una mula. Aldrovand. *l. 1. f. 173.* Schottus *Phys. Curios. l. 8. c. 59. p. 1077.* Scitissime ergo David homines peccatores obstinatos cum mulis comparat Psalm. 32, 9.

Ana Gen. 36. reperit mulos] 342

N. 7. Verbis v. 24. *Iste est Ana, qui invenit* את הימם *jemim* in deserto, cum pasceret asinos Sibonis Patris sui, mulos significari plerique Interpretes ex Hebræis ac Christianis volunt, quos invenerit, sive commissuram procurando, uti Franzius cum Bereschit Rabba, aliisque Rabbinis, ac ipso B. Luthero putat, aut ex sponte congressis speciem eam mixtam progenitam observando.

N. 8. Hanc expositionem Bochartus P. 1. l. 2. c. 21. refutat aliquot argumentis: (1) mulus Hebræis est פרד *pared*, & in nulla Orientalium linguarum muli ימם *jemim* appellantur. (2) Verbum מצא *matza* apud Hebræos nunquam significat excogitare id, quod non est, sed rem jam extantem invenire, secus ac Latini invenire dicunt pro excogitare. (3) Moses tradit, Anam asinos tantum pavisse, ex quibus solis muli non procreantur. (4) parum est verisimile, mulos progignendi rationem in Idumæa jam tum fuisse repertam, quia Judæi mulis usi fuisse non leguntur in Hebræis fontib[9] ante Davidis tempora, qui septingētis fere annis Ana posterior fuit.

N. 9. Porro idem Bochartus repudiatis recte aliorum veterum explicationibus, qui ימם aut de aquis calidis, aut de paludibus, quas maria ipsi vocabant, acceperunt, tandem Onkeloso & Samaritano accedit, atque per הימם prorsus ac si אמים aut אימים scriptum esset, Emæos gigantes intelligit, quos Ana invenisse dicatur, quod, sive fortuito in eos inciderit, atque eo casu tum notissimo, nominis sui famam ad posteros propagaverit, seu magna clade illos affecerit, aut sibi paratas insidias virtute sua eluserit, hoc quasi κειμηλίῳ eum

Moses

Moses designare,atque ab alio cognomine Ana distinguere voluerit. Quam Bocharti conjecturam firmat doctissimus Wagenseilius *ad Sotam p.216.* suffragio R. Mosis Nachmannidis, quod Rabbini duo Bechai & Abendana transscripserunt,ac putat bene eum rejecisse de mulis ab Ana repertis veterem & communem opinionem, ad quam confutandam ipse duas rationes urget: (1) quod & LXX. Interpretes ignorantes quid הימים significaret, retinuerint vocem Hebræam,& literis græcis utcunque expresserint Ιαμείν: at Talmudistæ, qui nihil ignorare volebant, & quidlibet audendi sibi potestatem sumserunt, illud de mulis postea commenti sint,haut profecto alia inducti ratione, quam quia Scriptura Anam,dum asinos pasceret, aliquid reperisse memorat,nullaq; alterius rei inventio magis cum asinorum pastu conveniret,quam mulorum. (2) quod nec Arabica lingua, quam tamen quoties in hebræa radices deficiunt, consulere jubent Rabbini, nec ulla Orientalis alia, vel tantilla analogia, in suis appellationibus, quibus mulos designant, subveniant. Interim in Bocharti partes descendere detrectat, eo quod non capiat, quid Scriptura vellet, si diceret: *Hic est Ana, qui invenit Emæos in deserto*; aut, si invenire Emæos idem sit,quod irruere in eos, manca & imperfecta oratio prodeat,contra morem scripturæ, res gestas alicujus narrantis: *Hic est Ana,qui irruit in Emæos in deserto*, non adjecto scilicet invasionis eventu, quem alibi solet Scriptura addere, uti 1.Reg. XIII,24. Psalm. XXI 9. 1.Chron. XVIII.12.

N. 10. Itaque laudatus Wagenseilius sententiam Judæorum quorundam hactenus neglectam

Christianis scriptoribus revocat, utpote minimis obnoxiam difficultatibus: scilicet Anam dici invenisse herbam aliquam notissimam adhuc tempore Mosis, phrasi prorsus simili, qua Ruben invenisse Dudaim, plantæ vel stirpis itidem genus, (ficum Indicam juxta Ludolf. *Histor. Æthiop. 1 9, 23.*) legitur Genes. 30, 14. & quomodo quis dicat: Hic est ille Nicotius qui reperit herbam Tabacum. Conjecturam de illa herba ex Arabica lingua attulit Majus *Part 1. p 448.* Nimirum ימן *Jeman* herbam esse, quam Blitum reddit Golius, iners sine sapore, aut acrimonia ulla, & stomacho inutile, ex descriptione Plinii lib. 20, c. 22. ejusdē herbæ stupidæ & fatuæ, Eselskraut/copiam facile reperire potuisse Anam in deserto, ibique asinos pavisse.

N. 11. Ast D. Pfeiffero Nostro communissimam de mulis expositionem retinere placuit, qu ppe argumento solido a quoquam nondum confutatam, *in Dubus vexatis ad Gen. 36, 24.* Nam ad Bocharti argumenta regerit; ad (1) potuisse dialectum Horæam ob contagionem linguarum peregrinarum differre ab Ebræa, ut non sit facile dictu, quare muli sint ימים appellati. Suspiciones nihilominus aliquas adjungit; ad (2). מצא significare aliquando inventionem ab aliis nondum repertorum, elici posse ex Eccles. VII, 25. ad 28. Job. XXX, 13. & c. Deinde id m verbum hoc loco sum posse de re reperta jam extante, si dicamus, ex onagris & asinis sponte congressis mulos progenitos ab Ana observatos fuisse; ad (3) sufficere, circa rei noviter repertæ narrationem, asinorum mentionem fieri, e quibus alteri specieì mixtis oriri mulos novum erat; ad (4) Non valere consequentiam; fieri enim potuit, ut ab eis a niman

nimantis genere, tanquam adversante natura & lege procreato vulgo abhorruerint Judæi. De interpretatione Wagenseilio probata peculiariter monet, Dudaim esse plantam, indicari circumstantia agri & messis triticeæ, & quod ceu puer matri attulerit Ruben; succurrere etiam locum alterum Cant. 7, 13. Ad inventionem vero herbæ non adeo facere additam hic circumstantiam de pastis Patris asinis, præsertim in deserto, ubi nec herba nec pascua: cujus autem rationem si habere nolimus, posse ימים conferri cum Arab. *Jemam*, & verti palumbes seu columbas agrestes.

N. 12. Quare uti omnibus bene consideratis, omnes expositiones sunt valde dubiæ, ita incertum relinquitur, quæ origo mulorum fuerit, si Anam invenisse, aut saltim observasse primum inficiemur. Bocharto arridet *Æliani* conjectura *l. 12. c. 16.* forte fortuna asinum equæ vim intulisse, hancque concepisse; homines hoc observantes procurasse deinde mulorum procreationem. Quo autem ævo, aut qua in gente id primum cœperit fieri, nobis non constare: tantum videri mulorum usum in Græcis fuisse antiquiorem, quam in Hebræis, cum in fabulis Græcorum antiquissimis illorum apud Homerum passim sit multa mentio.

Levit. 19, 19. probibetur, ne quis faciat brutum suum coire cum altero bruto]. 349

N. 13. Verba Legis latissimo sensu accipiunt Josephus, Philo, Maimonides, Talmudici, & pleriq; alii, ne ullæ diversæ animalium species concubitu misceantur. Causæ prohibitionis afferuntur: (1) quia ambigenarũ generatio sit contra naturã. Philo *l. de Creat.*

Princ.p.731. lib. 2. de Legibus special.p.784. (2) ut homines multo plus quam pecora, quæ rationis usu carent, a nefando concubitu deterrerentur. Josephus *Antiq.Jud.l.4.c.8.* Theodoretus *in Levit. quæst. 27.* Maimonides *More Nevoch.part.3.c.49.* Prior caussa naturalis, altera moralis est. Atque sine dubio conjungi potest ex mente Auctorum. Accommodationes Legis allegoricæ, multiplices passim reperiuntur. vid. Bochart. *l.c.cap.22* Itaque cum apud Hebræos mulorum usus solus concessus fuerit, procuratio per commixtionem interdicta, oportuit eos aliunde accipi. Thogarmæi commendantur Ezech. 17, 14. sicut eorundem equi, de quibus diximus *cap.12.n. 22.* Qui muli cum fuerint Cappadoces, quales, uti & in Syria, non ex vario concubitu nascuntur sed ex sui generis animantibus, dubitandi occasionem facere possunt, an præter Syros & Cappadoces ambigenis olim Judæi usi sint, quod inficiatur Bonfrerius *ad Levit. 19, 19.* Spencerus vero, qui prohibitionem restringit ad animalia tantum domestica, eaq; jugum subire solita, qualia bos & asinus, arbitratur licuisse Judæis studium vel operam ad procreationem mulorum conferre. Caussam legi, ait dedisse idololatras veteres, qui in agris colendis occupati, bovis & asini non minus corpora, quam labores miscere studuerint, serio persuasi, se laboris sui fructus uberes percepturos, si animalia illa ad misturam a naturis suis adeo alienam, arte aliqua perducerentur, *de Legibus Hebræor. Ritual. l.2. c.20.* Non repetimus monita ad hæc *cap.14.n.5.* saltim annotamus, non magis adversam naturæ tauri & & asinæ commixtionem debere haberi, quam asini cum equa; siquidem genus mu-

mulorum Gratianopoli reperitur, Gallica voce jumar appellatum, ex tauro & asina genitum, quod scribit Gesnerus *l.b.1.de Quadruped. f. 799.* & ex eo Aldrovandus de Quadruped. Solidipedibus cap. 4. f. 172.a. Jonston *de Quadruped. f. 28.* Cæterum an liceat procurare omnino diversorum specie animalium commixtionem, disputant Scholastici in Thomæ 1.2.q.102. art.6. ad octavum. Procurationem hanc adulteriorum, ut vocat naturæ, vehementer increpat Hugo de S. Victore *in Institutionibus Monasticis de Bestiis & aliis rebus l.b.3.c 55.Tom.II. Oper. f.448.a* confer Sperlingii *Instit.Physl.l.1.c.9 ad praeceptum* III. *p.246.* Noster petulantiam quidem vocat, sed tamen ut commode institui debeat, regulas præscribit, ex Joan. Baptistæ Portæ *Magia Natural.l.2.c.5. acceptas.*

De mixtis, de quibus Baptista Porta legatur] 347

N. 14. *In Magia Natural, l.c. & deinceps.* Adde Nieremberg. *Histor. Natur. l.5.c.24,* Harsdorferi *Secretar. German. Tom.1. Part. 10. Epist.31.* Leyer *de Ruminant.* p.58, Wagner. *Histor. Natural. Helvet. p. 188.*

MORALIA.

I. EBRIETAS.

In Africa propter siccitatem animalia ex variis locis concurrunt ad unum flumen, & exstimulata libidine coeunt sæpe diversæ species, ut nascantur monstrosi partus; Leopardus ex pardo & leæna, Lycopantheros ex lupo & panthera, Crocuta ex hyæna & leæna, & aliæ tales. Unde proverbium natum est:

Semper

Semper Africa aliquid novi apportat. Homines Christianorum nomen gerentes, ad compotationes sæpe confluunt, & impellente ebrietate sermones inanes, scurriles, impios miscent, se verberant, vulnerant, occidunt. Ita Taberna potoria semper multa malorum fert. Vah monstra, ex hominibus natura, Christianis professione, ebrietate pecudibus nata.

II. CALAMITAS.

MUlæ pedes, donec æqvali gressu progredi discat, funibus colligari solent. Unde lemma: GRADIATUR UT APTE. Ita homo inter peccata sicut eqvus & mulus oberrans, a DEO calamitatibus, morbis, ac persecutionibus constringitur, ut effrenem ac dissolutum vitiosorum gressum dedoctus, ad virtutis dimensum incedere discat. Bene Plinius Junior l. 7. Ep. 26. *Nuper me cujusdam amici langvor admonuit, optimos esse nos dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia, aut libido sollicitat? non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit, invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur &c.* Pessime quidem famosus ille Latro Evangelicus incessit, dum per viarum calles passim oberrans, viatorum facultatibus ac vitæ struebat insidias: at postea pedibus vinctis, & ad crucem prope servatorem suum fixis, gressus adeo rectos exegit, ut directo ac regio tramite ad æternitatis portum pertigerit.

III. FI

III. FILIUS DEGENER, INGRATUS.

A Majorum suorum ingenuis moribus & nobilitate degener, Mulæ Symbolo repræsentatur cum lemmate: EX FOECUNDIS INFOECUNDA. Samuel, tametsi sanctus, filios aluit sceleratissimos 1. Sam. 8, 3. Noe a justitia summe commendatus, filium nutriit effrontem ac petulantem Chamum. Jacob perfectionis prototypon, filios sangvinarios, incestuosos, & omnium offendiculo expositos habuit. Salomon sapientissimus, tantæ stultitiæ filium genuit, ut sua imprudentia, & scelesta agendi ratione, decem regni partes amiserit &c. Porro etiam mulum imitatur homo, qui a DEO creatus, & tot beneficiis affectus, bonis operibus penitus est inanis ac vacuus. Picinell. *Tom. 1. fol. 412.*

APPENDIX
DE ANIMALIBUS QVADRUPEDIBUS EXOTICIS.

IAI. sive IGNAVUS.

ANimal terrestre viviparum Americanum, qvod Brasilienses AI, Lusitani ab Indole *Preguiza*, i. e. Ignavum, Hispani per ἀντίφρασιν *Perillo ligero* catulum agilem appellant. Quippe tam lentus est illius gressus, & membrorum motus, ut quindecim ipsis diebus ad lapidis ictum continuo tractu vix prodeat. Mediocris canis est magnitudine, rostro ad aspectum fœdo, & perpetua

tua saliva madido, cauda admodum brevi, ungvibus ad digitorum similitudinem prominentibus tenaciter adeo tenet, quicquid apprehendit, ut pendens dormiat secure. Corio est solidissimo & tenaci. Totum corpus prolixis & mollibus pilis cinerei coloris est vestitum, & ex occipitio coma cervicem velat jubarum instar, lentoque ipsa ventris adipe verrit humum, nec unquam in pedes exsurgit. Non bibit, victitat arborum foliis, & in earum cacuminibus degit plerumqve, quarum in ascensu biduum circiter, tantundem in descensu consumit. Neqve vero adhortationibus, aut minis, sed ne plagis quidem, fustibusqve bestia vel tantillum de insita ignavia ac tarditate dimoveri potest. Piso *Historia Natural. & Medica Indiæ Occidentalis l.5.c.23.fol.321.* Georg. Marcgrav. *Historia Rerum Natural. Brasiliæ l.6. c.1.f.221.* Vocem, referente eodem Marcgravio rarissime edit iiiii, fere ut felis junior. Eadem maximam partem ratione describunt Oviedus, Maffeus, Franciscus Hernandus apud Nieremberg. *Histor. Natural. l.9. c. 13.* licet in aliquibus, tum inter se, tum ab ante laudatis oculatis itidem testibus differentes. Oviedus id animal aliquando domi aluit, & quantum ipse, & alii, qui etiam aluerunt, observare potuerunt, nunquam ulla re vesci deprehenderunt, sed ex aere vivere existimarunt instar chamæleonis, præsertim cum caput & os ad eam partem semper obvertere conspexerint, unde ventus spirabat. Adstipulatur eidem Hernandus. Pisoni & Marcgravio consentit Maffeus arborum folia pro cibo assignans. Non male judicat Nierembergius, foliis arborum posse rusi aii, & domi bestiolis quibusdam secreto, muscis, vespis, vermicu-

miculis,ſcarabæis. Joſephus a Coſta lib. 4. Natural. & Moral. Hiſtor. Indiæ Occidental. cap. 38. ſcribit formicis nutriri. Interim & diuturnam inediam tolerare poſſe videtur,ut mox intelligemus. Noxium animal non eſt, neqve mordet, immo nec mordere poſſe putat Oviedus propter oris anguſtiam. Duplici tamen armatura contra beſtias inimicas ſibi inſtructum eſſe dicitur. Prima eſt in pedibus, quibus tantum robur, ut, quodcunque apprehenderit animal, hoc non amplius ſe ex ungvibus liberare valeat, ſed fame ob diuturnam detentionem moriatur. Altera eſt, triſtis,ac lacrymis, quæ ex oculis defluunt, miſerabilior aſpectus, quo inſurgentes in ſe homines ac beſtias percellit, ut facile perſuadeat ſollicitandum minime eſſe, quod natura tam inerme fecit, tamque miſera corporis habitudine. Hujus rei experimentum ſumturus Joannes Torus Societatis JESU, Procurator Provinciæ Novi Regni in America, unum ex hiſce animalculis in Carthaginenſe, quod ibi habet Societas Collegium adferri curavit, perticam quoque longam ejus ſubjecit pedibus, quam mox adeo tenaciter apprehendit, ut minime eam dimitteret amplius. Animal igitur ſpontanea ſuſpenſione hoc pacto ligatum,in ſeparato loco una cum pertica intra duas trabes poſitum fuit,quod & 40. dies integros ſuſpenſum ita hæſit ſine cibo,potu, ſomnove ullo, fixis ſemper oculis in intuentes, quos miſerabili aſpectu adeo movit, ut vix eſſet, qui non ejus commiſeratione tangeretur. Tandem ab hac diuturna ſuſpenſione liberato canem objecerunt, quem mox pedibus apprehenſum adeo valide integro quatriduo detinuit, donec miſer canis fame enectus ex-

ſpira-

ſpiraret. Kircherus *l. b 1. Muſurgiæ cap. 14.* ex rela tione orali nominati Toti reducis, Romæ accepta. Cantum ſeu vocem ejus animalis, idem Kircherus perhibet, *ha, ha, ha, ha, ha, ha,* quas ſyllabas ea ſoni mutatione proferat, qua Muſicæ tirones prima illius artis elementa, aſcendendo deſcendendoq; exclamant: *Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La; La, Sol, Fa, Mi, Re, Ut;* ita ut Hiſpani, dum primo oras illas tenerent, noctuque, quo tempore ſolùm canere ajunt, hujusmodi vociferationem perciperent, homines Muſicæ noſtræ præceptis imbutos ſe audire opinarentur. Oviedus tamen & Hernandus narrant, ſed prædicta Muſicæ intervalla tantum deſcendendo ab iis identidem ingeminari. Propter quam vocis *ha, ha, ha*, repetitionem continuam adjicit Kircherus, animal ab incolis vocari *Haut.* Meminerunt etiam beſtiæ Americanæ Thevetus *cap. 52. Singularium Franciæ Antarcticæ*, & Joannes Lerius cap. 10. Hiſtoriæ Americanæ; quam ille Hau ſive Hauthi, hic Hay appellat; enim vero, utut in aliquibus Ignavo ea ſimilis deſcribatur, cum tamen ſuo Hauthi faciem Simiæ tribuant, de ignavia plane taceant, aliaq; quædam diverſa adſcribant, non plane idem animal intellexiſſe nonnullis videatur: Piſo ac Marcgravius prorſus erraſſe illos cenſent, culpantes etiam Geſnerum, Jonſtonum, alios, qui Archopitheci nomen Ignavo indiderunt. Confer Cluſii Exoticor. l. 5. c. 16 & Auctarium fol. 372. Schotti *Phyſicam Curios. l. 8 c. 2. p. 907.* Dappers *Amer. f. 445 614.* Franciſci Luſtgarten *fol. 119.* Laet Deſcript. Indiæ Occidental l. 16 c. 15. f. 618. ubi alio nomine *Unau* vocatur. Nos pigerrimos ac tardiſſimos ſervos, operarios, adoleſcen

tes, aliosqve homines conferre poterimus Ignavo animali, qui nullis exhortationibus, nullis minis, immo nullis plagis & verberibus adduci possunt, ut alacres sint in suis laboribus & negotiis, qui, dum se vertunt, aut applicant agendis, hora, dies abiit; dum moliuntur aliquid, mensis, immo annus effluxit. Quicquid ipsis in manus traditur, arcte tantum tenent, ac, si quid agendum ultra esset, nihil omnino nossent. Interim Dominos & Præceptores suos acrius urgentes, tristi ac lacrymis madente vultu aspiciunt, obtestanturque, ut misericorditer & patienter perferant imbecillitate & ægritudine tam corporis quam animi laborantes, quasi a natura non factos, ad multos magnosqve labores perferendos. Itaque veluti ignavum animal clamando semper descendit, ac deficit voce: ita ejusmodi pigerrimi homines nunquam amplius proficiunt, sed incipiendo opus, mox deficiunt. Specialis applicatio fieri potest ad eos, quorum mens torpet ad inchoanda & continuanda bona spiritualia, quod vitium capitale Acediam solent nominare Scholastici, ejusque filias dicere, malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta, ac mentis evagationem. vid. Thomam 2, 2. q. 35. & Commentatores.

II. AIATOCHTLI, ARMADILHO, TATU.

IN Occidentalis non solùm, sed & in Orientalis Indiæ partibus, frequens est inusitatæ conformationis animal, Hispanis Armadilho satis accommodate, h. e. cataphractum, Belgis Schilt-verck en/ i.e. por-

cellus ſcutellatus, Braſiliæ incolis Tatù, quo nomine generatim totum animalium genus loricatum exprimunt, variasqve ejus ſpecies peculiari addito cognomine diſtingvunt. Unde Thevetus, Geſnerus, Aldrovandus, Jonſtonus, & alii, Tati nomen mutuati ſunt; alii Indiæ populi Aiatochtli vocant, i. e. cuniculum cucurbitarium, quoniam ſpecubus inſtar cuniculorum condi ſolet. Bellonius, Geſnerus, Aldrovandus, Gaſſendus qvoqve echinum Braſilianum nominant, nam erinacei modo intra ſuum corticem ſe contrahit. De eo præter Oviedum, Cluſium, Bellonium, Geſnerum, Scaligerum, Nierembergium, Gulielmum Piſonem, Aldrovandum, Jonſtonum a Schotto adductos *Phyſ. Curioſ. l. 8. c. 3. p. 911.* egerunt Antonius Recchus *de rebus Medicis Novæ Hiſpaniæ l. 9. c. 1. fol. 314.* & Fabius Columna Lynceus *in Additionibus fol. 891.* Joannes de Laet *Deſcript. Indiæ Occidentalis l. 15. c. 5. f. 552. l. 16. c. 15. f. 618.* Marcgravius *l. 6. c. 8. f. 231.* Kircherus *in Muſeo Societatis Jeſu Romano fol. 27.* Dapper *America f. 445.* Omnibus Tati ſpeciebus, quamvis magnitudine & præſtantia diſcrepantibus, commune eſt, teſte Piſone, lorica oſſea ex ſquamis elegantibus compoſita operiri; porcellorum quaſi habere roſtrum, figuram, oculos, pilos & pedes; noctambulas & ſalaces eſſe, roſtro terram fodere talparum more, & nunc ſub terra in cavernis latitare, nunc in aquis inſtar amphibiorum, nunc ſupra terram more aliorum quadrupedum degere, fructibus & gallinis veſci, carnem excepta una ſpecie, veſcam & delicatam magnatibus præbere. Aſtutias hujus animalis memorat Nierembergius: Formicas venatur ſupinus Armadilho cubando, atq

cau

caudam suam longam ori admovendo, qua recta procedentes incidunt in insidias, & cibum deludenti suggerunt. Cervum hac fallacia vincit: pluente cælo supinus jacet in ventre, qui exermis est, colligit aquam contentam inter crustas laterum, sic perdurat transacto imbre ferme diem integrum, donec occurrat incaute cervus sitibundus, qui accedens ad potum, immergit buccam; tunc claudit se Armadilho, labra & nares comprehendens cervi. Hic discurrit hinc inde: nunquam laxat prædam ille, donec fatigatam interimat angustia Spiritus.

Repræsentat ergo Armadilho hominem fraudulentum, qui alios sub specie amoris, beneficii, auxilii ad se allicit, ut perimat. Absalon ad convivium invitatum fratrem Amnonem obtruncavit 2. Sam. 13, 28. 29. Pharisæi Christum invitarunt, ut insidias struerent, Luc. XIV, 1. vide 1. Maccabæor. 16, 15. 16. & Camerar. *Cent. 3. Subcis. c. 89.*

Joachimus Camerarius istud cataphractum animal, quod quasi panoplia vel armatura quadam loricata a capite usqve ad pedes contectum est, imaginem facit Virtutis cum lemmate: VIRTUS LORICA FIDELIS. Quemadmodum enim Armadilho munitur naturalibus armis, quibus se defendit, nec externis indiget subsidiis: sic quoque virtus instar loricæ in se munita tuta consistit, & insultus adversæ fortunæ facile superat ac contemnit. *Cent. 2. Emblem. 83. p. 166.*

III. BIARATACA, aliis MARITACACA:

ANimalculum Americanum felis mole, forma oblonga, viverram æmulans, quod com noc-

ad Putorium Gesneri, cui a tetro & putrido fœtore nomen, vel ad mustelas silvestres referri queat. Os & dentes habet leporinos, ut & pilos barbamq; , oculorum pupillæ sunt cærulescentes, auriculæ breviores obrotundæ. In anterioribus pedibus quatuor, in posterioribus quinqve digiti ungvibus acutis. Caudam longam cum corpore villosam, eamq; erectam aliquando gestat, qua totum corpus instar vulpeculæ tegere potest. Color totius corporis ex pallido flavo cum multo fusco mixtus, leporinus quasi est. Ad latera dorsi linea alba excurrit quibusdam pro lusu naturæ, crucis in modum eleganter distincta. Mansvetum est & velox, nec imbelle: volucribus earumqve ovis victitat; in primis ambræ griseæ avidum, cujus appetitu sæpe in litore vagatur. Verum ex ejus esu adeo non spargit gratum odorem, ut e contra vel leviter irritatum crepitum ventris cum intolerabili fœtore, alliqve æmulo, emittat. Quamobrem supra modum metuitur mirum hoc animalculum a feris æqve ac hominibus, non solum qvod tetro & gravissimo odore insequentium insidias eludat, sed quoque plus noxæ iis afferat, quam aliæ feræ, ungvibus vel dentibus venenatis armatæ. Quippe adeo virulentus est fœtor, ut quibusdam, si non mortem, saltim capitis dolores, vomitus, atqve animi deliquia adducat. Admiranda sane proprietas huic bestiolæ concessa, quod vel solo ani flatu longe lateqve aerem non solummodo, sed saxa, militum arma, vestes, capillos inficiat, ut ne quidem fortissimo lixivio & insolatione viginti dierum spatio fœtorem deponant. Quidam ad capillitii rasuram, indusii, imo ad ædium totalem abdicationem coacti

fue-

fuerunt, cum nullum tanto malo hactenus remedium inventum ſit. Sagaciores autem barbari, ſi quando ejus certiores fiant, nudi vento ſecundo eoqve forti eam diuturna venatione fatigant, donec telis ſuis venenatis aliquoties fruſtra emiſſis, fœtoris expers fiat, tandemqve capiatur,& cicurata domi reſervetur more ſciuri. Cæterum innoxia eſt beſtia, eaqve ſola ratione horridiſſima quod urina, ſtercus, & ventris crepitus fœtidiſſima exiſtant. Caro tamen ejus in Mexico ſalubri eventu comeditur: Piſo *l.5. c. 24.* Laet *l.15.c.5.f.553.* Schotti *Phyſ. Curioſ. l.8. c.8.p. 927.* Confer Kircheri Muſeum f. 31. b.

In memoriam hic nobis veniunt homines nonnulli Chriſtiani divites & potentes, qui alios pauperiores leviter irritati implacabili odio perſeqvuntur. Biaratáca crucem in dorſo gerens ambram cupide expetit,ſed ex ejus eſu nullum acquirit gratum odorem. Homines quidam Chriſtiani Chriſti crucifixi nomen gerentes & profitentes templa frequentant, verbum DEI attente auribus,ut apparet, audiunt, ſacro epulo Domini aſſiduo utuntur, attamen gratum odorem fidei erga alios nullum emittunt. Biaratáca in leviter irritantes teterrimum odorem de ſe ejaculatur,cujus virulentia tacti veſtimenta ſua abjicere,capillos eradicare,ædes relinquere, capitis dolores,vomitus,deliquia, immo mortem ſufferre coguntur. Divites & potentes, dum omnia pro ſua libidine agunt, pauperiores, ſi ſaltim queruntur ſibi injuriam fieri, homines pacis ac concordiæ hoſtes, ingratos in ſe pro beneficiis, calumniatores ac diffamatores bonorum virorum ubiqve proclamant, in judiciis publicis,ut pro talibus judicentur & punian-

tur, contendunt, hocque veneno exitiali tamdiu afflant, donec pauperiores bona sua, quæ habent, pro expensis forensibus perdant, in ægritudinem animi, in morbos corporis, in mortem aliquando incidant. Sed sicut, dum sagaciores venatores nudi, vento secundo & forti, diuturna venatione fatigant Biaratacam, ejus venenatum odorem aura aufert & dispergit, ipsaque bestia tandem subigitur: ita innocentes favente DEO & justitia crimina intentata a se amovent, donec ea plane evanescant, ac divites succumbant.

Posses etiam Biaratacæ, Putorio Americano, assimilare eos inter viros doctos, qui in dissentientes a suis opinionibus, scripta virulentissima, ac scurrilibus sarcasmis plena emittunt, ut alii irritare ipsos timeant, putidissimis verborum sententiarumque stercoribus æque conspergendi.

IV. CABAL, CABIM.

Animal in Java, quod incolæ Cabim, Antonius a S. Romano Cabal, Maffæus animal Sionicum appellant. Ejus oscilli extremitatem, si aliquis gestet, quantumvis mille transverberatus vulneribus ne guttam sanguinis dabit. Experimentis pluribus probatum est; sed illud celebre & notissimum, quod cum Naodabeguea Malacensis infensis Lusitanis, & adversus illos egregie dimicans, tandemque oppressus; multisque confossus ictibus corrueret, ex patulis vulneribus nihil omnino cruoris manaret. Mox inter spoliandum, ut primum detracta ejus brachio est aurea armilla (mirum dictu) tanquam vase confracto, ita sese cum anima universus repente sanguis effudit. Cujus rei stupore defixi Lu-

sitani,

ſitani, cum de aliis captivis cauſam quæſiiſſent, cognovere incluſum eſſe in armilla os ejus animalis, cujus in ſiſtendo ſanguine tam efficax eſſet vis. Nieremberg. l. 9. hiſtor. Natural. c. 3. f. 155. b. Certius eſt eos, qui Spiritum DEI inhabitantem habent, in omnibus tentationibus ac perſecutionibus ſolatium ſuum ac ſpem immotam in DEO ſuo retinere, ac ubi cruciatus, mortemque conſtantiſſime pro honore DEI paſſi ſunt, auxilii illius virtutem ab hoſtibus non plane excœcatis agnoſci. In Aurea Legenda Sanctorum *cap. 36.* legitur S. Ignatius Martyr inter multa tormentorum genera, nunquam ab invocatione nominis JeſuChriſti ceſſaſſe: atque cum tortores interrogaſſent eum, cur hoc nomen toties repeteret, reſpondiſſe: Hoc nomen cordi ſuo ſe inſcriptum habere, & ideo ab ejus invocatione ceſſare non valere. Poſt mortem igitur illius, qui audierant, volentes curioſius experiri, cor a corpore avulſum ſcidiſſe per medium, ac totum id inſcriptum nomine Jeſus Chriſtus literis aureis inveniſſe. Quo viſo multos gentilium ad religionem Chriſtianam tranſiiſſe. Licet autem hujus miraculi meminerint, & Canticum (dictum ſequentia) de nomine Jeſu, & Thomas *ſuper Orationis Dominicæ primam petitionem*, quanquam paulo aliter, & Vincentius Bellvacenſis *Speculi Moral. lib. 10. cap. 157.* nihilominus cum veteris ſcriptoris teſtimonio deſtituatur, ab obſcuro aliquo id fictum fuiſſe, ex ipſis Papiſtis aſſerit Joannes Molanus *de SS. Imaginibus & Picturis, lib. 3. cap. 7.* adſtipulante Franciſco Haræo *in Hiſtoria Sanctorum Epitome fol. 79.* Erroris cauſam præbuiſſe videtur Molano cognomen Martyris. Nam tituli

Epistolarum ejus habent: Ignatius, qui & theophorus. Et Simeon Metaphrastes dicit Trajanum dixisse: *Tu ne es qui diceris Deifer? Et quid sibi vult illud Deifer? Cui Martyr: Qui Christum inquit, circumfert in anima. Imperator autem: Sic ergo, inquit, Christum in te ipso circumfers? Certe inquit; Scriptum est enim* (1 Cor.6) *Habitabo in eis, & inobambulabo.* Intelligo autem (pergit Molanus) eum Christophorum dici, non proprio vocabulo, sed appellativo. Unde idem Epist. 3. sanctum Timotheum vocat Christophorum, sive Christiferum Timotheum. Similiter Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi penultima*: Sic Christophori erimus, hoc est Christum ferentes, cum ejus corpus & sanguinem in membra nostra acceperimus, atque ita, ut Beatus Petrus dicit (2.Petr.1.) divinæ naturæ consortes efficimur. Atque ex illis ad Trajanum Ignatii verbis deducit ac approbat Molanus picturam ejus, habentis in corde nomen Jesu, uti passim in templis Papistarum conspicitur.

V. CAMELO-CERVUS seu CERVI-CAMELUS.

ANimal referens partim Camelum, partim Cervum, ex America in Bataviam translatum, refert Matthiolus *lib.5. Epistolar. fol.21.* & ex eo Marcgravius *in Commentario de Chili regione & indigenis cap.6. in fine.* Adde Schotti *Phys. Curios. l.8. c. 17.* Cicur ac mansuetum est, neminem offendit, vexatum vel circa clunes oppressum, non calcibus aut morsibus se defendit, sed vomitu, vel cibi vel humoris, in vexantem retrorsum cum impetu projecto

ob

ob protensam colli longitudinem. Mulierum id fere proprium est, injuriam illatam non aliter vindicare, quam verbis contumeliosis quibuscunque, ex impuro corde oreque emissis.

VI. DUB.

IN desertis Libyæ degit lacertæ similis, sed multo major, longitudine brachium, latitudine quatuor digitos æquat. Nunquam bibit aquam, moritur autem statim, quam primum in os eam acceperit. Dapper Africa *fol.23.* li hominum, qui nullam calamitatem aut tentationem senserunt, nullum periculum unquam subierunt, animo deficiunt, ac morituros se statim putant, quam primum contigerit aliquid malorum ingruere.

VII. EJULATOR.

EST inter Novi orbis animalia, quem Ejulatorem appellant, astu nocentissimus. Infantilem quippe luctum ac ejulatum simulat edito sono sub oppida & villas in prima nocte. Quo audito accurrunt miserentes plorantem quæsituri, quos ipse incautos perimit. Sed jam cauti repetito periculo oppidani, prodeunt e domibus incensis titionibus instructi. Forma & moles hujus feræ canem leporarium imitatur. Nieremberg. *l.9.Hist.Nat.c.72.*& ex eo Schottus *Phys.Curios.l.8.c.35.* Ejusmodi Ejulatores sunt Mendici fallaces & fraudulenti, qui se epilepticos, ulcerosos, claudos, aut aliis membris mutilos simulant, cum sanissimi sint, atque ploratibus precibusque miserabilibus eleemosynas largas impetrant, quas nequissimi homines consumunt: illos ipsos a-

liquando etiam latrocinia exercuisse compertum est. Exempla exstant in libello germanico, cujus titulus Expertus in Truphis von den falschen Bettlern/ und ihrer Büberey/ qui superiori sæculo scriptus atque iterato recusus est anno 1528. cum Lutheri præfatione; tertio prodiit anno 1580. adjunctus D. Nicolai Selnecceri Superintendis Lipsiensis tribus Concionibus typo exscriptis, de Divite & Lazaro: quarta recentissima editio an. 1668. Appendicem habet nonnullarum historiarum. Incidit mihi, quod non ante multos annos ad pagum non procul a Lipsia situm contigit. Nobilis quidam comite servo eques tendebat ad urbem. In via acclamabat illum mendicus genibus incumbens, quasi pedibus mutilatus, atque eleemosynam sollicitabat. Cum a præter equitante nihil accepisset, maledicis verbis, scommatibus atque imprecationibus eum prosequitur. Indigne ferens petulantiam ac nequitiam hominis perversissimi Nobilis, jubet servum reverti, atque scutica maledicum os castigare. Mendicus non exspectans propius adventantem, exsurgit in pedes, quos in effossa scrobe absconderat, ac sepem transiliens aufugit. Memini etiam aliquando a mendico fulcris ligneis, quibus claudi instar nixus incedebat, mendicorum præfectum, qui ipsum licenter in urbe vagatum aliquando verberarat, in loco a commercio hominum remotiore ita fustigatum, ut vix animam traheret.

VIII. FEFE.

IN provinciis Chinæ Junnam & Gannam invenitur ἀνθρωπόμορφον, lōgioribus brachiis, corpore nigro

nigro & piloso, cursus velocissimi, & ἀνθρωποφάγον: homini enim obvium vocem edit risui humano similem, deinde eum invadit, & devorat. Hominem silvestrem incolæ dicunt. Kircherus *Chinæ Illustratæ fol.193.* Simiis ferocitate immanibus annumerat ob pilosum corpus & risum, quem Simiæ contracta fronte, & corrugato naso, dentiumque denudatione, & ubi exacerbatæ fuerint, collisione, una cum stridulæ vocis sono facile exprimunt.

Hæc bestia voluptates turpes Mundi repræsentat. Etenim risus ejus intendit, ut in hac vita, & post illam æternum lacrymemur. Blanditur ille nobis illecebris oculorum, ut nos capiat & perimat. Gestibus lætis se nobis exhibet, ut in perpetuum tristemur. Amplectitur nos suavissime, ut catenis æternarum tenebrarum constringat & teneat. Osculatur instar Judæ proditoris, ut nos prodat, & æternam mortem nobis afflet. Erasmus Francisci im Lustgarten *fol.391.*

IX. GUANACO sive HUANACU.

Silvestre animantis genus in Peruvia & Chile. Mares in summis collibus veluti excubias agunt, tantisper dum fæmellæ in vallibus pascuntur; & cum homines e longinquo advertunt, hinnitum edunt pene ad equorum modum, ut fæmellas moneant: qui si propius accedunt, fæmellas fugiendo ante se agunt. Nieremberg. *lib.9. hist. nat. c. 63. f. 187. Lat. Descriptione Americæ l. 10. c. 4. fol. 406.*

Amor & fides conjugalis a viris requirit, ut periculum omne a conjugibus avertant, & contra hostes ipsas protegant ac defendant.

X. HO-

X. HOITZTLAQUATZIN, HYSTRIX SPINOSUS.

ADmirandum genus animalis sagittatoris novus Orbis alit. Spinosum illud, mediocris canis magnitudine, colore nigrum. Ab incolis Hoitztlaquatzin dicitur, sive spinosus tlacuatzin. Nomen forma meruit. Simile est illi, quod tlacuatzin vocant, manticatum scilicet animal. Tegitur spinis cavis, acuminatis, tres uncias longis, & hystricis spinis aculeisqve perquam similibus. Jaculatur eas spinas in canes insectantes, nulla eorum industria, aut conatibus excutiendas. Nam sensim magis magisqve jactatione defiguntur, donec viscera perfodiant. Alliciunt & ebibunt innatum humorem, donec transfixum & perforatum canem tabefaciant. Nardus Antonius Recchus *de rebus Medicis Novæ Hispaniæ lib. 9.c.12. fol.322.* Nieremberg.*l.9.c.2.f.154.*

Intuearis homines truculentos, qui cum a rixis ad verbera venerunt, quasi hystrices spinosi sint, ita alios veluti canes gladio, aut aliis instrumentis sic vulnerant, ut sanari nunquam possint vulnera, sed iis lente consumantur & moriantur.

Addunt ante citati Auctores, ejus Hystricis aculeos dolores capitis sanare. Admotos enim fronti & temporibus sponte adhærere, nec prius delabi, quam hirudinum more hauserint sangvinem noxium intra suam cavitatem.

Virtus ac efficacia similis est pœnarum divinarum humano generi immissarum, aut alterius severio-

rioris disciplinæ & castigationis, quæ hominibus perversis tamdiu incumbunt, donec vitia expugnaverint.

XI. JERBUAB.

ARabicum nomen muris agrestis in Arabia, Assyria, Tartaria, non dissimilis muri avellanarum; magnitudine & colore cricetum, vel etiam sciurum æquat; pili tamen sunt magis fusci, caput instar muris, sed longæ aures, pedes anteriores valde breves, posteriores admodum longi: possunt tantum montes adscendere; in terræ planitie tarde repunt; subsultando vero se celeriter promovent. Attollunt se supra cubitum a terra, gerunt caudam lævem ac longam, veluti ratti, verum non tam crassam, & in initio cum cirris albis supra tergum recurvatam, quemadmodum Leo pingi solet. Sunt in cibis Arabum. In ædibus cum degunt, pecuniam suffurantur. Unde sæpe domestici in suspicionem veniunt furti apud Herum, quod aliquando detectum est, quando remotis tabulatis pecunia a muribus collecta reperta fuit. Olearius *Itinerar. Pers. l.6.c.20.f.740.*

Avari homines mures hujusmodi sunt, qvi, quicquid possunt, facultatum & bonorum, aliis etiam surripientes comportant, quibus tamen nec fruuntur, nec frui possunt. Inveniunt vero suo tempore alii, & de congestis cumulis nummorum & bonorum gaudent.

XII. LACERTUS AMERICANUS.

JOannes Lerius Burgundus (ut ipse narravit in Historia suæ Navigationis in Brasiliam, quæ & America

rica dicitur, cap. 10. pag. 119.) cum aliquando duobus Gallis comitantibus iter faceret visendæ regionis gratia, neqve ut mos erat, viæ duces Barbaros haberent, ideoqve oberrarent in silvis, vallemqve profundam pedibus metirentur, audito strepitu venientis ad ipsos animalis cujusdam, imbellem esse feram opinati, non secus iter inceptum persequentes securo erant animo. Statim vero ad dextram triginta fere passuum intervallo, in colle lacertum conspiciunt, corpore humano crassiorem, quinum aut senum pedum. Ille in modum Ostrei sqvamis albicantibus & asperis totus (tectus), altero pede anteriori erecto, capite sublimi, collucentibus oculis ipsos intueri cœpit. Quare attoniti (nemo enim eorum sclopettam tum ferebat, gladiis tantum erant accincti, arcusqve suppetebant & sagittæ, quæ tela illi monstro tam duris armato sqvamis nocere non admodum poterant; nihilominus veriti, ne si fuga sibi consulere vellent, celeritate superius ipsos una conficeret) alter alterum trepide cum intuerentur, eodem in loco steterunt. At postquam ille prodigiosus & formidabilis lacertus, ore aperto, & quod æstus magnus esset (sudum enim erat meridiano fere tempore) alte anhelans, ut facile exaudiretur, per quadrantem horæ eos esset intuitus, derepente montis verticem petivit, tanto fragore virgultorum, atque ramorum, qvantum cervus silvam cursu pererrans vix ederet. Itaqve Lerius & socii, qui tum valde timuerant, de illo insequendo non admodum solliciti, Deo liberatori gratias egerunt, & iter institutum denuo sunt aggressi.

Diabolus piis in peregrinatione vitæ hujus sæpe occurrit ex improviso, strepitu peccatorum ab

ipsis

ipsis perpetratorum aut aliis inanibus terriculamentis terret, per tyrannos & alios impios homines, sua scilicet mancipia eis tormenta minatur; mortemque ut pusillanimes a sua probitate & fiducia in Deum desistant, ac singuli succumbant. Pii etiam primum attoniti fiunt, cum vires suas non sufficere ad resistendum cogitant, stant tamen in fide una, in precibus unis firmi ac constantes 1 Petr. V. 9. Ille ergo fortitudinem ac constantiam piorum conspicatus, cum magna indignatione retrocedit, ipsi autem a timore & periculo liberi, DEO omnis gratiæ, a quo roborati fuerunt, ac cujus virtute vicerunt, hymnum concinunt.

Vix referrem, quæ nostro tempore sibi accidisse scripsit Jürgen Frese, civis & mercator Hamburgensis in libello, cujus titulum fecit Atheistarum Specillum, den Atheistischen Brill/ nisi re omni diligenter explorata repetiisset, & confirmasset gravissimus Theologus Kiloniensis D. Christianus Kortholt *in Thaumatographia pag. 46.* Juvat ipsum Frese audire suis verbis enarrantem *pag. 30.* quæ mox post mortem uxoris suæ contigerunt: Da ich mit Sorgen mich täglich quälete / ließ mich der liebe GOTT in schwere Anfechtung gerathen: konte für Sorgen und Hertzeleid nicht schlaffen/ stund auff den 23. April (Anno 1652.) des Mitternachts / da es stockfinster war/ zündete ein Licht an/ schlug die Bibel auff/ und wolte lesen. Siehe / da kam ein greuliches Geräusche / wie ein brausender Wind / da es sonst zuvor gantz still Wetter war/ risse mir das Stuben-Fenster auff / und bließ mir das Licht aus/ begunte zu toben unter meiner

Kam-

damaligen Wohnung war ein Packraum/worinn die Thüren hinten und forn so grausam zugeschlagen worden/und zitterte alles was an dem alten Gebäude war. Meine Dienst-Bothen wurden ruffen und schreyen/zu zittern und beben. Und wuste ich wohl daß meine Liebste bey Gott im Himmel: denn sie singend und betend mit Freuden die Welt verließ. Deren Geist war es nicht: sondern der höllische Versucher wolte durch Zulassung GOttes sein Heyl an mir versuchen. Aber meinem Jesu dancke ich für seine Gnade. Ich gieng mit unerschrockenem Muth hinunter ohne Licht; fragte diesen höllischen Drachen/ was er wolte? Ich sagte: Trutz Teufel / stehe/halt Fuß / komm an / du hollischer Drache / mit allem Höllischen Heer! hie / hie/ hie/hie stehe ich mit meinem Jesu. Was kanstu armer Teufel nu? Aber was war seine Macht? Nichtes. Kam ich hinten in Spicker/so tobet er vorn: war ich vorn / so rasete er hinten. Ich sang ihm Lutheri Liedlein: Ein feste Burg ist unser GOTT. Ja hatte er zuvor nicht geraset/so begunte er zutoben: aber an den Leib konte er mir nicht kommen Nu ists im Feldtreffen gebräuchlich/ wer das Feld behält/ der läst die Carthaunen lustig hören. Die Ehre welche ich diesem Höllen-Hunde anthat / war Schimpff und Spott:ließ ihm den finstern Spicker / und gieng nach meiner Stuben / schlug ein Licht an/und gieng bey meiner H. Bibel/da fand ich eben das Buch Hiob/und eben dasselbe Capitel worinnen er von dem Nacht-Schrecken redet.

Idem

Idem Frese, ubi in præfatione ejus libri retulisset, ut in custodia civili an. 1666. aliquandiu detentus (quod ex singulari suggestione denuntiasset viri Magni adversus Rempubl periculosas machinationes) socium habuerit captivum alium de salute sua desperantem, eumque jam manus violentas sibi ipsi injecturum impediverit, argumentis e Scriptura S. desumptis consolatus fuerit, atque cum prodigia ac miracula desperabundus postulasset, ipse ex immota fide & fiducia in Dominum Jesum, initio prunas, deinde circulum ferreum candentem manibus suis illæsis gestaverit, quæ posthæc subsecuta sint hac sua oratione recenset: Die folgende Nacht stund ich auff von meiner Ruhestete / umb Mitternacht / nam mein Gebetbuch und betete. Darnach fiel mir in der Bibel ein der 46. Ps. Davids. Diesen Geistreichen Psalm lase ich mit Freuden-Thränen über / gieng wandern / und sang in der Stille denselben Psalm / von dem seligen Luthero gemacht: Ein feste Burg ist unser Gott. Und da ich auff diese Worte kame: Wann alle Welt voll Teuffel wär / und wolten uns verschlingen / und so weiter biß zum Ende: Da ward die innerste Thür so grausam auffgerissen / und wiederum zugeschlagen / daß das Hauß bebete. Nu war ich gantz allein; erschrack zu anfange / trat hin zu derselben Thür / und befand sie offen / da ich sie doch zuvor hatte fest zugeschlagen / und muste dieselbe allezeit mit einem starcken Stoß auffmachen. Es waren aber zwey Thüren vor demselben Gemach: Die erste war wol verschlossen. Ich repetirte mit standhafftigem Gemüthe

denselben Psalm noch einmahl. Da es der erzörnte höllische Mörder ärger dann zum ersten mahl machte. Worüber ich lachte / und trat zum dritten mahl recht in die Thüre / nam in der einen Hand das Licht / in der andern die heilige Bibel / trutzete dem Hoffärtigen Finsterniß-Fürsten. Da war niemand verhanden / der sich mehr regete. Ich that zum Trotz dieser Nacht-Eulen das Licht aus / sagte / komm nu her / du Fürst der Finsterniß / in Löwen- Drachen- Bären- und Schlangen-Gestalt / ich wil dich Höllen-Hund und Drachen auf den Leib mit Füssen treten. Nun / du mein liebster JEsu / dein ist die Ehre / dein ist die Stärcke / dein ist der Ruhm / hie zeitlich und dort ewig / Amen.

XIII. MOSSE.

PEculiaris quadrupedum species in America Septentrionali, quæ hodie Nova Anglia dicitur, frequens est, barbari Mosse appellant, tauri magnitudine, capite Damæ & latis cornibus, quæ quotannis mutant, cervice cervina, brevioribus jubis & a collo per dorsum descendentibus, pilis prolixis instar alcis, cum ingluvie pendula sub ipso jugulo, longis cruribus, magnis pedibus, instar vaccarum, cauda longiore, quam sit damarum: Caro ejus admodum grati est saporis, quam ad ventum siccatam barbari diu servant: cutis haut minus crassa quam bubalorum, nec minus ad varia utilis. Magna horum animalium copia reperitur in Insula haut longe a Continente dissita (Mount Mansel vocant Angli) ubi barbari illa venantur in hunc modum: postquam diver-

diversis locis pyras accenderint, saltus indagine cingunt, & feras in mare, ad quod & naturæ instinctu feruntur, propellunt: deinde cymbulis suis adnavigantes, in ipsis fluctibus obruunt & mactant. Laet. *lib. 2. c. 5. f. 68. seq.*

Homines tempore belli in munitas urbes, in templa aut alia loca sacra confugiunt, sed cum Nemesis divina decreverit, ab hostibus suis conjunctim capiuntur, spoliantur & occiduntur. Cum pestis, aut alii morbi contagiosi grassantur, multi, neglectis suis, quæ incumbunt, muneribus in loca salubriora se recipiunt, sed mors sæpe eos comitatur, & e vivis tollit, adeo verum est quod Martialis cecinit lib. 4. epigr. 60.

Nulla fata loco possis excludere; cum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

XIV. OCCITOCHTLI.

Vide hujus Part. 1. cap. 8. n. 14. pag. 226. inter species Pardi.

XV. PÆPHAGUS.

IN India animal est, dimidio quam equus majus, cauda longissima & nigerrima, setis subtilissimis, quibus Indicæ mulieres crines exornant & revinciunt. Ob eam se appeti gnarus, ut ferunt, quoties venatorum canumque indagine se cinctum videt, ut effugio nullus jam locus sit, caudam inter crura, quoquo modo possit, occultans, stare solet & contra tueri, fiduciamque capere securum se fore, quod insectantes venationis præmium non cernant: Sic telo ictus cadit, resectaque cauda & detracto corio, re-

linquitur feris alitibusque in pabulum. Ælianus *lib.16. hist. animal. cap. 11.*

Imago improborum & stolidorum illorum, qui deprehensi a Diabolo in peccatis impunitatem sperant a celandi confidentia. *Qui se excusat, DEO accusat.* Salvianus. Proverb. 28, 13. Ursinus *in Acerra. p. 160.* & ex eo Baumann in *Analectis Sacris p. 1283.*

XVI. SIMIUS AQUIQUI.

INter Cercopithecos Brasiliæ est species quædam, cæteros magnitudine multum excedens, Aquiqui vocant barbari, nigris villis, & longa infra mentum barba: e quibus interdum nascitur masculus colore subrubenti, quem Regem Simiorum vocant barbari, facie subalbicante, & barba inter utramque auriculam tam eleganter composita, quasi attonsa esset; is arborem non raro conscendere dicitur, & stridula voce veluti concionari, tam alte ut procul possit exaudiri; habet ad id peculiare sub palato organum a natura comparatum, concavum, e tenuissima sed validissima membrana, ovi magnitudine, quod levi momento distenditur: inter stridendum autem largam eructat spumam, quam catulus juxta positus, successorem illius vulgo autumant, studiose a barba illius abstergit. Laet. *l. 15. c. 5. fol. 555.*

Sunt Viri prudentia fere nulla, nec moribus probis, loquentia multa ac adulandi arte prædití, qua plebis favorem ac applausum captant & impetrant, ut pro rerum, quæ ad communitatem pertinent, administratoribus præclaris habeantur. Filii ipsorum, cum a Patribus facundiam ac res agendi peritiam didi-

didicisse præ se ferant, & commendentur, facile consentiente & applaudente vulgo in Officiis Paternis succedunt.

XVII. SIMIA FATIDICA.

PRæstigiator Bengalensis, cujus generis homines multi, & in ea arte ludicra Magistri singulares ibi reperiuntur, An. 1614. adduxerat Schach Selimo Magno Indorum Mogori grandem Simiam, quam vaticinari posse ajebat. Rex Selim digito suo annulum detractum jussit a puerorum ministrantium uno sub cingulum occultari, & a Simia indicari eum, qui annulum teneret. Ipsa puerum accedens produxit illum. Rex majori cupiditate accensus, voluit duodecim peculiaribus schedis inscribi literis Persicis Legislatorum nomina duodecim, utpote Mahomet, Solon, Lycurgus, Zaleucus, Theseus, Plato, Moyses, Jesus Christus, Romulus, Draco, Minos, Radamanthus, quas ipse receptas permiscuit, & in sacculo repositas concussit. Post hæc advocavit Simiam, ut veri Legislatoris nomen extraheret, sibique traderet. Bestia in sacculum manum inserens, eduxit schedulam, in qua nomen JESUS scriptum erat ac Regi porrexit. Hic initio exterritus, mox suspicari cœpit Magistrum Simiæ forte linguam Persicam callere, atque illi celeritate quadam subvenisse. Exaravit igitur eadem nomina denuo juxta literas linguæ aulicæ, obtulitque Simiæ iterum ex iis veri Legislatoris nomen eligendum. Illa itidem nomen JESU non solum protraxit, sed & osculata fuit. Ad hæc indignabundus unus ex Proceribus Regis adstantibus dixit, esse meras præ-

stigias, petiitque sibi concedi licentiam miscendi schedas, subjiciens se simul pœnæ, si Simia ipsum decipere valeret. Rege annuente ille ipse nomina scripsit, atque undecim eorum in sacculum conjectis, duodecimum retinuit. Bestia diligenter inquirens nullum eorum, quæ in sacculo extraxit, sed manum vacuam reduxit. Rex severe imperabat, ut unum sibi asportaret. Quid ad id Bestia? Omnia dilaceravit, signis quibusdam indicans, veri Legislatoris nomen se non reperisse. Cum Rex ulterius interrogasset, ubi desiderata schedula esset, accessit illa Nobilem, apprehendit manum ejus dextram, qua occultaverat schedulam, cui Nomen JEsus Christus inscriptum. Propter hæc Rex ira exardescens, Simiam ex aula sua non dimisit.

Quæ cuncta ita gesta esse, multis millibus hominum spectantibus narrat Thomas Roë, Magnæ Britanniæ Regis an. 1615. Legatus ad Magnum Indiæ Mogorem, ex quo repetiit Erasmus Francisci im Lust-Garten/ *fol. 390. & fol. 1466.* Ac ipse laudatus Roe judicium ferre de ea historia detrectat quidem, nihilominus addit, unum ex discipulis Jesuitarum tunc in urbe circumcursitantem proclamasse? Regi esse Simiam, qui sit bonus Christianus; item a Jesuitis historiam eam magni æstimatam fuisse, qui tamen secum de ipsa collocuti contemserint: tandem concludit, videri per imposturam ipsorum rem omnem sic adornatam fuisse. Nobis videtur impostura humana nulla suffecisse, ad fabulam ea omnino ratione ludendam. Quare a causa supra humanas artes constituta Simam actam esse oportuit. Si itaque Jesuitas Auctores velimus, ope Satanæ perfecisse dicen-

ſendum erit. At illos eodem opitulante aut voluiſſe, aut potuiſſe regnum Chriſti inter gentiles propagare, & ipſius Satanæ Regnum deſtruere, facile nemo aſſentietur. Multo igitur veroſimilius cogitabimus, Magum illum Præſtigiatorem fuiſſe, qui Simiæ, quam circumducebat ad pecuniam aucupandam, malũ genium comparaverit. Eſt enim id genus ſceleſtiſſimum hominum Muhammetanis non infrequens, Cum igitur Magnus Mogor de Religione quæſtionem, qualem nemo exſpectaverat, propoſuiſſet, Diabolus per Simiam invitus de gloria DEI teſtatus eſt, non aliter ac Dæmones ex obſeſſis JEſum Filium DEI ſalutant, Matth. 8, 29. ac puella habens ſpiritum Pythonis, quæ quæſtum magnum præſtabat Dominis ſuis divinando, Paulum ac ſocios proclamat ſervos DEI excelſiſſimi, qui annncient viam ſalutis Actor. 16, 16. 17.

XVIII. SU.

Nieremberg. *lib. 9. hiſt. Naturæ c. 74. fol. 189. a.* Belluam rapacem apud Pantagones SU, id eſt aquam vocant nonnulli, quod plerumque juxta fluvios degat. Alii dicunt Succarath. Torva eſt: prima oris acie quodammodo leonem æmulatur, aut hominem: nam ab aure barbata, haut promiſſis valde pilis, pectore propendente: circa lumbos nimis conſtringitur, cauda ampla & longa ſciuri inſtar. Gigantes ejus regionis, quoniam cœlo non admodum calido fruuntur, protegunt ſe huius feræ pellibus. Cum urgetur pellis gratia, catulos in dorſo admiſſos cauda contegit, & fuga elabitur. Capitur una cum catulis ſcrobe effoſſa & celata ramuſculis.

Inclusa, præ rabie aut generositate catulos obtruncat, & horribili clamore venatores atterret, donec sagittis cæsa excorietur. Legi (licet auctor non sit oculatæ fidei) præ charitate ad prata portare filios, ubi sertis floridis & odoriferis comit & coronat illos; tum filios reciconiare simili in parentes vetulos pietate, eosque portare & alere.

Parentes probi suos liberos in bello aliisque periculis non relinquunt, sed secum auferunt, Si eripere non valent, non instar bestiæ interficiunt, sed DEO summo ac optimo Patri precibus se suosque patienter commendant. Parẽtes boni liberos gestant, alunt, vestiunt, virtutibus ornant: vicissim liberi pii senes parentes sustentant, observant, ac vel humeris suis ex discrimine vitæ gerentes liberant. Sic Æneas, cum Troja a Græcis capta & direpta flammis undique arderet, Anchisen patrem suum, inter confusos hostium & civium clamores, tubarum armorũque sonitus, domorum corruentium fragores, inter promiscuam fœminarum virorumque cædem, propriis sustulit humeris, ac civitate elatum incendio liberavit, pietate in Patrem sæculis omnibus memoranda. Unde Æneas seni succollans epigraphen a Marone præfert. lib. 2. Æneid. NEC ME LABOR ISTE GRAVABIT. Eleganter Seneca lib. 3. de Benefic. c. 37. *Vicit Æneas Patrem, ipse ejus in infantia leve tutumq; gestamen, gravem senio, per media hostium agmina, & per cadentis circa se urbis minas ferens, cum complexus sacra, ac penates Deos religiosus senex non simplici vadentem sarcina premeret, tulit illum per ignes. Et quid non pietas potest? pertulit, colendumque inter conditores Romani Imperii*

perii posuit. Ambros. in C. 18. Lucæ filium quendam matri inofficiosum ita alloquitur: *Etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est: non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit: non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera; non reddidisti famem, quam pro te illa toleraverit, ne quid, quod tibi noxium esset, ederet: ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa, quem voluit, cibum non accepit; tibi quem noluit, cibum sumsit, tibi vigilavit, tibi flevit, &c.* Confer. Siracid. cap. 3, 14. seqq. cap. 7, 28. 29. Tob. 4, 3. 4.

XIX. TLAQUATZIN.

INusitata bestia majorum glirium numero adscribenda, in Nova Hispania *Tlaquatzin*, in Brasilia litoralibus *Carigueya* mediterraneis *Jupatiima*, Lerio *Carigoy*, Lusitanis *Rapoza*, Cardano *Chiurca*, seu *Chucia*, aliis aliter dicitur. Vulpeculæ est magnitudine, capite & ore vulpino, barba felina, corpore coloris est nigricantis, sed leucopæis pilis admixtis. Cauda ultra pedem longa & rotunda, in extremitate depili, coloris pardi & nigri, quam curvatam gestat, eaque se arborum ramis more Simiæ adpendet. In infimo ventre circa anum pellis ejus est dupla, & exterior rima sciffa, facitque quasi manticam eamque intus pilosam; *Tambeio* vernaculo idiomate dictam. Cujus os arcte clauditur, ut vix conspiciatur, nisi digitis distendatur, tumque mammæ in interiore pelle apparent octo papillis. Neque alius

 inve-

invenitur uterus præter hanc bursam, in qua semen concipitur & catuli formantur. Quos deinde quinos vel senos simul circumfert, mobiles, perfectos, sed depiles, adeoque pertinaciter uberibus affixos, ut a perpetuo suctu vix avellantur, antequam permittente matre ad pastum ipsi egrediantur; unde redeuntes denuo, uterum maternum pro lubitu ingrediantur. Mas fæmellæ plane similis in bursa pendulos more Gati testiculos fert, & manticam (licet a fœmella diversam habet, qua alternatis vicibus catulos quoque circumfert, sicut avis mas amore pullorum fœmellam ab incubatu subinde liberans. Uterque fœtent, mordaces sunt ut vulpes, earumque more gallinis & columbis non solum, sed avibus in fastigiis arborum insidiantur, quarum defectu cannis sacchareis aliisque optimis vegetabilibus vescuntur. Piso *Histor. Natural. & Medic. lib. 5. c. 24. fol. 323.* Marcgrav. *lib. 6. Histor. Brasil. cap. 2.* Laet. *India Occidental. lib. 5. cap. 4. fol. 232.* Nardus Anton. Recchus *de Rebus Medicis Novæ Hispaniæ lib. 9. c. 18. fol. 330.* aliique, Nierembergius *lib. 9. Histor. Natural. c. 4.* ex variis Auctorum relationibus colligit, non unum duntaxat animal cum bursa esse, sed alia unam habere manticam, alia duas, seu unam diversam; alia catulos lactandi gratia e mantica emittere, alia etiam retinere, alia concludere ubera infra bursam, alia in posteriore ventris parte mammillas in interiore & circa pectus manticam, alia fortasse non omnino bursam habere, sed scissuram in ventre. Schottus vero *Physica Curiosa l. 8. c. 18. p. 960.* verosimilius existimat, unam tantum esse manticati animalis speciem, unius ubique locorum rationis, illius

illius videlicet, qualis ex Pisone & Marcgravio, qui suis oculis viderunt, allata est. Movetur eo, quod plerique alii Scriptores cum iis conveniant, aut saltim non discrepent. Quod autem aliqui in nonnullis dissideant ab illis evenire, quod minus perspectum habuerint animalis formam, proprietates & accidentia.

Cæterum similem amorem erga fœtus suos alia quoque animalia exhibent Mustelæ quippe illos spatio unius diei in diversa loca transferunt; phocæ, balænæ, delphini catulos suos recentes ac teneros ex aliqua causa consternatos, ore excipiunt & condunt. Matres vero nonnullæ inter homines infantes suos negligunt, ex mollitie molestiam aliquam subterfugientes, atque eos aliarum fœminarum maximam partem improbarum curæ committunt, a quibus vitia corporis sæpe & animæ contrahunt.

XX. VACCA CHINENSIS.

IN Cincheu Chinæ Provincia cornuta bestia est, vaccæ specie, cornibus in capite ebur albore superantibus. Salem avidissime appetit. Unde venatores saccos Salis exponunt, in quos incidens tam avide lambendo exugit, ut sui & venatorum imminentium oblita vinciatur & occidatur. Nieuhov. *Legatio Batavica Part. ult. c. 16. fol. 108.*

Venator infernalis lascivis hominibus sæpe salem impudicitiæ objicit, ut turpi scorto adhæreant toti, negligentes salutem corporis & animæ. Non cogitant in rete illius se incidere, dum impuri amoris sa-

lem

lem multum gustant. Erasmus Francisci im Lust-Garten fol. 484. Geschicht-Spiegel fol. 1444.

XXI. ZAINUS.

Porcus est silvestris, quibusdam *Coyametl*, aliis *Quauhtla Coymatl*, vel *Quapizotl*, aliis *Faiasson*, aliis *Tajacu*, aliis Saynus vel Zahinus appellatus. Apris magnnitudine & ferocitate cedit; vix enim nostratium porcorum domesticorum molem acquirit. Auribus, pilis & setis in dorso est solito brevioribus & mollibus nigri coloris, punctulis minimis albis variegatus. Cauda est nulla. Caro admodum probatur, & nostratium domesticæ præstare sapore dicitur. Mirum & singulare eum Aprum obtinere narravit Gregorius de Bolivar, oculatus scilicet testis apud Joan Fabrum Lynceum *de alris animalibus Nova Hispaniæ fol. 648.* seq. quod intestina & ventris viscera contrario prorsus aliis animalibus situ obtinet, renes versus nimirum revoluta; ita ut quæ in ventris parte inferiore ac prona esse annexa deberent, superiori eadem potius ac supinæ, ubi spina excurrit, adhæreant: & quæ spinæ dorsi contigua esse nata sunt, hæc eadem inferiori in parte ventris situentur. Umbilicus exit per spinam circa clunes. Et utcunque satis arcte sit clausus, per ipsum tamen graveolentus quidam halitus transpirat. Quare si quod animal ejusmodi mactatur, necesse est prorsus, ut confestim ipsi umbilicus exscindatur, quod nisi medio horæ spatio fit, esui haut amplius animal existit; tam teter enim inde fœtor efflatur, qui vix sufferri potest, & reliquam carnis massam omnem inficit.

Cui

Cui adstipulantur Joannes Lerius *Histor. Navigationis in Brasiliam cap. 10. p. 115.* Hieronymus Benzo *in Historia Novi Orbis l. 2. cap. 7. pag. 173.* Oviedus *in Summario Occidentalis Indiæ* apud Ramusium *Volumine tertio*, Josephus Acosta *Histor. Amer. lib. 4.* alii, ex quibus nullus dubitat asserere Joan Faber *fol. 650.* existere omnino naturæ illud ludibrium vel miraculum, integrum nimirum animantium genus seu species, præpostero viscerum imi ventris ordine,& contraria Umbilici collocatione situque; affert etiam quatuor causas, ob quas præter naturæ institutum non esse videatur, suibus umbilicum in dorso repositum. Recentissime Dapper *in Descript. Americæ* Sues cum umbilico in dorso memorat, ex quo teterrimus fœtor *juxta fol. 303.* gratus *juxta fol. 445.* exspirat: loquitur quidem priore loco de Guatemalæ, in posteriore de Brasiliæ porcis, quos tamen supra nominati Auctores fœtentes perhibent. At Franciscus Hernandus apud Nieremberg. *lib. 9. cap. 26. Histor. Natur.* Piso *Histor. Natural. & Med. lib. 3. sect. 3. fol. 98. seq.* Marcgrav. *lib. 6 cap. 7. fol. 229.* D. Falcoburg Anatomicus Leidensis in dissectis porcis ejusmodi observarunt, prominentiam illam in dorso inter setas, partim membranosam, partim carneam, quasi ex concursu vasorum lacteorum contortam, nec verum umbilicum esse, nec per eum respirationem fieri, quod Lerius & Thevetus insuper putarunt.

De indole horum Aprorum Nierembergius: *Gregatim*, inquit, *discurrunt; eligunt ducem, quo nisi occiso, societatem & cohortem non dissolvunt. Mirum odium in tigridem. Dux Zainorum convocat*

quos-

quoscunque potest sui generis, usque ad trecentos aut plures, quemadmodum Imperator conducit militem. His copiis invadit tigridem: quæ, licet ferocissima præ omnibus Americanis feris, vincitur multitudine, non sine magna Zainorum strage. Inventi innumeri occisi simul cum tigride, ut paucissimi possint epinicium canere.

Licebit Tigridem cæsam in medio multorum Zainorum occisorum paucis superstitibus adstantibus pingere cum lemmate. VICTORIA CRUENTA. Ita cum homines invicem præliis decernunt, sæpe majorem gloriam victoria, quam lætitiam habet, Vide Justin. *lib. 18. historiar. c. 1. n. 7.*


Nos hanc Commentationem cum DEO finientes bellorum recordatio, in extremo ejus facta, admodum perculit. Gaudemus Turcas esse devictos, barbaros ad Europæ fines repulsos. At hoc nostrum gaudium maximum integerrimumque futurum temerat ac minuit fama nuncians exercitus instrui, arma apparari, quibus non Tigrides Asiaticæ aut Africanæ, proterve ac iniquissime nomen Christianum invadentes coerceantur, puniantur, deleantur, sed quibus Christiani se mutuo perimant, quos Christi gratia arctius, quam ullo naturæ vinculo, conjunctos ac unitos esse decet. Nos, quod possumus summum Domînum omnium, misericordissimum DEUM, in cujus manibus sunt corda Regum oramus, ut mentem pacis, concordiæ, tranquillitatis cupidam maximis terrarum Dynastis instillet, conservet, nec

ad

ad diverſa conſilia inſtitutaque flecti patiatur. Sic quam vocem ſuaviſſimam in nocte Salvatoris natalitia agminatim delapſi æthere cœleſtes illi internuntii admirabilibus concentibus hominum generi congratulati in terram demittunt, nos, uti hoc ſacro Eccleſiæ Natalem Servatoris ſui celebrantis tempore, ita per omnem vitam lætiſſimi ſurſum referemus:

ET IN TERRA PAX.





INDEX I.
Dictorum Biblicorum.

NUMERORUM

DEUTERONOMII

III,

XXII.

DANIELIS.


HOSEÆ.

JOELIS.

AMOS.



INDEX



INDEX II.
Rerum Memorabilium.

A

Criceti

F.

G.

H.

L.

N.

O.

P.

Pan-

Q.

R.

Simia-

Tla-

V.

Z.

INDEX III.
Moralium.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I. Jacta

I.

K.

L.

M.

Naturalia

N.

O

P.

R.

S.

T.

V.

Vesti-

INDEX IV.

AUCTORUM

Citatorum, explicatorum, notatorum vel refutatorum.

A.

Aquila

Phil-

Sa-

Phi-

C.

Dani-

D.

F.

Fr. Ge-

H.

J.

Joan

Merce-

Tho.

O.

P.

Pamelius

R.

S.

T.

Theo-

V.

Cor.

X.

Z.

INDICIS V. HODEGO HOMILETICI SPECIMINA.

CUm ob rationem in præfatione benevolenti Lectori dictam, Index integer in Pericopas Dominicales hic exhiberi nequeat, Specimina interim aliqua ejus fecimus, in quibus ostendimus, quibus modis Historia Animalium ad eum sacrum usum accommodari debeat. *Exempli gratia*, Si exegesin desideres textus Evangelici Dominica I. Adventus, consule Indicem Locorum Scripturæ, in quo allegatum invenies Matth. 21. aut Zachar. 9 vel in Indice Rerum quære vocem Asini: ita subministrabitur Tibi *pag.380.Continuationis hujus* copiosa super difficili textu differendi materia. Ibidem simul accommodationem ejusdem allegoricam leges.

Si ex eodem Evangelio moralem doctrinam, *verbi causa*, ex exemplo discipulorum obœdientiam DEO in omnibus, etiam difficillimis rationi humanæ visis rebus præstandam suasurus es, vox Indicis moralis *Obœdientia* Te ducet ad imaginem Elephanti *pag. 116.*

Ad Lectionis Epistolaris ex Rom. 13. eadem Dominica doctrinas illustrandas, variæ imagines colligi poterunt. Ad verba, *Tempus est jam nos de Somno expergisci*, suppeditabitur *juxta Indicem Dictorum pag.543.* imago *Gliris* somnolenti, qua scelerum lethargo sepulti adumbrantur. Eandem reperies in Indice Moralium *sub voce Ignavia.* De Comessationibus, libidinibus, contentionibus, i-

quibus dehortatur vir DEI, similitudines & Emblemata *Index Moralium* plurima designabit.

Festo Nativitatis Christi fructum Incarnationis exhibebis in emblemate Leonis, qui capite cooperto, & oculis velamine obductis feritatis obliviscitur, ac miram induit mansuetudinem pag. 197. Suggeret id Index Moralium in voce *Christi*.

Patientem Christum in Agno, Hirco emissario, Camelo, aliisque imaginibus repræsentabis, quas conjunctim monstrat Index Moralium *in Christo*.

Eodem indice docente, Christum Resurgentem Leoni comparabis.

Hoc igitur quærendi labore Te sublevabit Index ille, in quo ad singulas periodos textuum exegesis aut imago annotabitur.

F I N I S.



INDICULUS ERRATORUM

P. lin. leg.
4. 31. Sixtus.
5. 25. his vicissim Salomonem intellectum.
6. 3. Nec.
15. quadragies octies.
8. 4. Theriotropheum.
10. 3. irrefutabilia.
24. Illarum.
14. 20. Solidipeda..
23. 23. *Ζωοποιεῖσθαι*
29. vasis.
30. 22. *γονῆς*.
32. 1. definientem.
36. 31. squamati.
ib. cetacei.
42. 10. tres horas.
52. 24. automaton.
56. 15. & (pro *prius*.)
57. 14. cycnos.
23. marina.
58. 7. gradi.
59. 8 palato.
60. 23. putaverunt.
25. de Republ.
68. 28. sibi (pro *illis*.)
29. secum (pro *cum iis*)
69. 24. decies mille.
27. malorum.
71. 16. eamque (pro *atq;*)

p. lin. leg.
75. 12. duungulum.
76. 15. Salomone, R.
77. 31. criceti.
84. 6. corpore.
85. 29. Jobi.
86. 27. *σαρκικοὶ*.
88. 19. evadant.
89. 13. secus (pro *magis*.)
23. hos.
95. 10. tubarum.
105. 15. Mogoris.
107 31. promte.
113. 9. Insulæ.
114. 3. Suaveolentia.
20 sui (pro *illius*.)
22. ad (pro *adversus*)
122. 19. Elephanto.
131. 25. דהוגני׃
137. 27. calceant.
139. 16. השרוני▭
18. Arabes.
147. 2. amictos.
149. 11. ter sub ventre transeunt & (*pro ter*)
152. 20. Divitem.
21. vorare.
155. 9. *ἐμφαλικωτέρως*.
156. 7. quomodo (pro (*quomodo sic*)

p.	lin. leg.
157.	9. innixus.
158.	20. ipsos.
	31. palpebris.
160.	12. ὁλοσειχωτερον
	15. εὐθυτριχον.
161.	17. v. 34. (pro 24.)
	21. v. 2. 6. (pro 26.)
170.	21. Jes. XIII. 8.
	27. desolatas.
177.	24. 1. Sam. XIX. 22.
179.	2. Hunonis.
	31. & X, 14.
184.	31. כפורים
193.	21. Ezech. XXII, 25.
205.	24. Sæpius.
207	13. cilicini
221.	32. obstiturum.
226.	20. allamberit.
229.	30. ipsa.
235.	6. supplicum.
239.	30. infernale.
240	24. (de Asiatica
	28. MAGIS.
241.	26. GENI.
242.	62. Livonis.
	27. Curonis.
253.	13. calefactæ.
263.	19. dependentibus,
281.	9. usum,.
286.	valebant.
288.	7. aliquoties.

pag.	lin. leg.
295.	30. est.
297.	14. ארבעים אלף
313.	27. coronatorum.
314.	ult. centies.
315.	1. centies mille.
331.	31. ὁ μόσχος ὁ ἐκλεκτός.
339.	4. prooemium.
349	8. ablui.
350	8. Summotus fuerat.
351.	17. veritati.
356.	4. eas (pro esse.)
360.	29. Pœnitentiarium.
365.	15. ferentes.
368.	8 9. de Muris.
	16. mundum.
371.	12. receptis.
387.	26. Gehörn.
390.	32. Habac. 3.
398.	2. יחולל
	6. אילה שלחה הנתן אמרי־שפר
399.	8. ea.
400.	29. buculum.
410.	7. horroribus.
418.	6. phialam.
436.	17. Fabro.
	22. cerebri.
455.	21. PHILAUTI.
456	5. ovibus.
478.	ult. ex caprarum

Induculus Erratorum.

pag. lin. leg.
487. 30. Scholiastæ.
31. πυγὴ.
490. 2. virtutis.
29. supposititio.
492. 18. עתודים
498. 9. coccinei.
504. 20. annuum.
524. 24. Cyder.
29-30. similis.

pag. lin. leg.
520. 19. punctatum.
41. 11. numerus.
543. 13. quam.
549. 12. creberrimis.
552. 32. ab eo.
564. 18 alliique.
568. 7. 2. Cor. VI. 16.
582. 24. Simium.

FINIS.



